

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
4
B
34

Q. MARII CORRADI VRITANI,


De copia Latini Sermonis,


Libri quinque.

AD CAMILLVM PALAEOTVM, cum eius ipsius vita & alijs, quę versa pagina indicabit.











VENETIIS, M. D. LXXXII.

Apud Franciscum Zilettum.



INDEX EORVM, quæ hoc libro continentur.

1 Lucij Scarani ad Thomam Contarenum epiſtola nuncupatoria.

2 Q. Marij Corradi vita ad Baſilium Iſſapicam Salernitanum.

3 Eiuſdem Q. Marij epiſtolæ quatuor, prima ad Io. Angelum Papium, ſecunda ad Lucium Scaranum, tertia ad Baſilium Iſſapicam monachum Caſinenſem, quarta ad Camillum Paleotum, & ad Papium, quibus reſcribit, dum eum Bononiam accerſebant ad eloquentiam docendam.

4 Donati Caſtilionis argumenta in libros de copia Latini ſermonis.

5 Oratio eiuſdem Corradi habita Salerni in ſynodo prouinciali cũ eius epiſtola ad Gaſparem Ceruantem Salernitanorum Archiepiſcopum.

6 Ode de obitu Hieronymi Vitaliani, cui annectitur alia Epiſtola ad Baſilium, & carmina ad Franciſcum Rogaui in quibus defenduntur verſus de obitu, Hieronymi Vitaliani.

7 Opuſculum de bello grammaticali.


8 Declaratione Græcarum vocum, quæ paſſim in his libris reperiuntur.

9 Erratorũ, quæ ſunt alicuius mométi, correctio.

THOMAE CONTARENO GEORGII F. IOPPES Comiti, Equiti nobilissimo,

LVCIVS SCARANVS, Medicus, Philosophus S. P. D.


ISIT ad me superioribus diebus clarissimus vir, Ioãnes Angelus Papius Salernitanus, in Academia Bononiensi supremus legum interpres, quasdam Q. Marij Corradi, de copia Latini sermonis lucubrationes, vt eas ego Venetijs imprimendas curarem: id scilicet muneris amico mortuo praestare cupiens, vt illius nomen, quod (si diutius ipse vixisset) per se ipsum celeberrimum fuerat futurũ, hoc saltem ingenij sui monumento apud ignotos illustraretur. Feci igitur id libenter, tum vt bene merito de litteris, ac de me etiam ipso, quantum possem, gratias referrem, tum, ut studioso-



rum vtilitati, propter egregiam operis elegantiam, consulerem. Verùm, vt cumulatiorem operam meam hac in re nauasse videar, placuit Antonij Amantij epistolam, quæ Corradi vitam summa fide descriptam continet, necnon alia quædam ipsius auctoris ludicra his libris apponere, ac denique totum hoc opus, alioquin ornatissimum, tuo nomini dicatum, ea ratione magis exornare. Cum enim tu is sis, qui non solùm ingenijs, & litteris faueas, sed etiam generis nobilitate, gratia, & auctoritate plurimùm valeas; non dubito fore, quin ijdem ipsi libri, ea quoque de causa, & auctoritatem, & gratiam sint apud homines habituri.

Vale. Venetijs Kal. Nouembris. M. D. LXXXI.

BASILIO ISSAPICAE SALERNITANO, Monachо Caſſinenſi

Antonius Amantius,

DE VITA, ET MORIBVS QVINTI MARII CORRADI.



AESTISSIMAE litteræ tuæ lacrymas meas auxerũt; nam dum id à te expecto, vt ipſe dolorem meum, quem ex Q. M. Corradi obitu capiebam, tua prudentia leuares, rogas, imo cogis me tanti viri ſcribere vitam. Speras.n. ex meis litteris dolorem tuum poſſe leniri. Tuum hoc erat, qui à teneris (vt Græci aiunt vnguiculis) DEVM OPT. MAX. colere, & mundana omnia ſpernere didiciſti. Sed quoniam ego te, & nobiliſsimam familiam tuam Iſſapicam maximo amore proſequor, præcipua illius geſta, quoad potero, poſteris breui hoc noſtro ſermone commendare tentabo. Orbitas uerò tanti viri ne dum à nobis, verùm ab vniuerſa Europa, de-

ploranda esset, siquidem vnà cum eo suos de Rhetorica libros, nondum absolutos, perdidimus, qui quidem magno desiderio à studiosis viris expectabantur. Sed ad narrationem deueniamus.

QVINTVS MARIVS CORRADVS ex ornatissima familia VRIAE natus anno M. D. VIII. fratribus omnibus maior, dotes animi, & corporis egregias, non ad perniciem, sed ad suam, & aliorum vtilitatem, & salutem conferre studuit. Vria in Salentinorum agro, in confinibus Apuliæ posita, à Cretensibus ante Romam conditam ædificata fuit. Corradus autem noster cum ad eam peruenisset ætatem, quæ literis discendis apta videretur, bonis præceptoribus traditus est. Humanioribus verò studijs toto pectore incumbens cum laude, & admiratione omnium, breui multum profecit; & magnam sui ingenij, morumque documenta præbuit. Non .n. vt assolet illa ætas, lasciuientium consortio delectabatur, sed omnis illius voluntas in litteris perdiscendis, & in Ecclesiæ cultu posita erat. Et id quidem ingentem lætitiam propinquis, & amicis afferebat. Cùmque ab ineunte ætate erga res sacras (vti diximus) summus ipsius vigeret amor, vestem clericalem suscipit, & per singulos sacri ordinis gradus ascendens,

dens, sacerdotij dignitatem assequitur. Sacerdos itaque effectus maximo zelo cultum diuinum, & sacra omnia tractabat, vt pote qui ex istorum contemptu pestes, fames, calamitates, & mala omnia hominibus, & ciuitatibus euenire in publicis declamationibus asserebat. Qua de re suos conciues de illorum socordia, & negligentia sæpe numero reprehendens, ciuitatem V ritanam propè euertendam anteuerabat. Vir.n.bonus, & prudens intuebatur ecclesias, & sacrosanctas Diuorum reliquias minus decenter coli; quod quidem crebrò inculcat in oratione sua de diuinis honoribus Diui Francisci Dyrrhachini. Iuuenis adhuc cùm esset, & discendi percupidus, Bononiam studiorum, studiosorumque matrem se contulit. Ibique per triennium apud Romulum Amasæum, præceptoresque summos in litteris fuit, & ex animi sententia successerunt illi studia, sæpius animo repetenti Isocratis illud ad Cyrum, Persarum Regem; litterarum.n. & litteratorũ cùm esset amator, & cultor studiosissimus multã utiq; doctrinã est consequutus. Et nedũm in Latinis, Gręcisq; literis plurimùm profecit, verùm etiam in omnibus disciplinis, quæ verè eruditum hominem reddunt. Non .n. Corradus noster erat purus grammaticus (vt zoili, & obtrectatores blaterauerunt) sed

vir summæ eloquentiæ, in oratione cultus, & in omnium ferè disciplinarum genere peritus, quod ipsius quæ extant scripta testantur. Nam præcipuas Philosophiæ quæstiones, & præclaros ipsius nodos (cùm opus est) maxima cum facilitate explicat. Summa etiam cum fœlicitate modò iuris Pontificij, modò etiam sacræ Theologiæ loca declarat. Legant inuidi, & maledici eius orationes, summa elegantia refertas & doctrina, & oratoriæ artis præceptis ornatas. In epistola ad Marcellum fratrem, cuius initium est: Audi mi frater, disertissimè de prouidentia diuina disputat. In illa, quam ad Carolum Carrafam cardinalem dedit, summa ingenij perspicacitate musices antiquitatem & venustatem commendat. Pari etiam modo excellentiam, vtilitatem, & Latinæ linguæ necessitatem commemorat. Præsertim in epistolis ad Pium IIII. Pontif. Max. & ad Io. Angelum Crottam, & in præfationibus librorum de lingua Latina, in quibus admirabilis est vniuersis, & à doctis hominibus alter ferè Cicero existimatur. Verũ eius scripta commemorare superfluum fore putaui, cùm tu in illis maximè versatus sis, & omnibus pateant. Prætereo hic de eo facta iudicia, Robertelli, Victorij, Amalthei Achillis Statij, M. Antonij Flaminij, & omnium ferè Ita-

liæ

liæ clarißimorum hominum. Silentio pertranseo doctißimorum amicitias, in quas se insinuauit, Io. Angeli Papij, Petri Perpiniani, Sigonij, Pauli Manutij, Bouiorum, & aliorum qui in tota Europa tunc florebant illustres uiri. Extant præclara eiusdem Manutij testimonia de Q. Mario Corrado, qui ad eum scribens ait: Non soleo blandus esse, nec auribus dare, quod negari poßit veritati. Quare velim mihi credas affirmanti, neminem me tibi Latina in oratione anteponere, conferre paucos. Hoc ego ita iudico, nec tu meum iudicium in dubium reuocare debes; cùm mihi iam in epistolis tuis, tantum in hoc genere tribueris. Vnum doleo, tuam istam latere virtutem in extremo Italiæ angulo, neque in hac luce versari, fructumque capere laudem eam, quæ tibi debetur iudicio, ac testimonio præstantium virorum. Et in alia epistola dicit: Mihi quidem, nihil scito esse iucundius epistolis tuis, quas cùm lego, delector mirificè amore in me tuo, delector etiam ingenio, & scribendi elegantia, in qua tibi (non loquor εἰρωνευόμενος) paucißimos comparo, antepono nemi nem. Atque equidem, si per vtriusque fortunam liceret, nihil malim, quàm aßiduè tecum esse, totosque dies in tuo sermone consumere. Aldus quoque Pauli filius, qui non

mediocrem nostra hac tempestate laudem in literis est consequutus, in epistolis clarorum virorum Q. Marium his verbis alloquitur: Quid? Egone, qui tui similium (quamquam tibi paucos omnino doctrina, pauciores verò eloquentia comparat pater meus) ego igitur, cum hominum excellentium amicitias semper appetierim, iisque à me deberi omnia studia iudicauerim; ita patris mei, tui studiosissimi, iudicium contemnerem, vt respondere grauiter Marij Corradi litteris, refertis officio semper, & Latini sermonis elegantia, nunc etiam cum beneficio meo coniunctis? Commendat etiam illam mirificè in suis de orthographia libris. Braccius quoque Martellus Lupiensium episcopus Corradi nostri doctrinam admiratur; quod etiam & Carolus Bouius Brundusinorum archiepiscopus fatetur, cui Bouio annis duodecim in archiepiscopatus administratione vicarius apud Vritanos fuit. Verùm vnde nostra effluxerat Oratio, reuertatur. Q. Marius cum litterarum cognitione, vitæ, morumque disciplinam summa cum prudentia semper coniunxit, illud sæpissimè in ore habens: Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Hinc ad Franciscum Strateium scribens, aiebat. Adiunxi ad mea studia scientiam omnis diuini iuris, & humani, nec est à

me

me prætermiſſum, quicquid eſt in legibus, inſti tutis, & in more maiorum. Totos decem annos, poſtquam Roma ſum reuerſus, in conſuetudine fui ſemper honeſtiſsimorum hominum, qui ſunt vita, litteris, & exiſtimatione clariſsimi, & principes viri, quo tempore nullum meum dictum, aut factum reprehendi ab ijs, vel à quoquam iure potuit. Vixi diu Romæ cum doctiſsimis, & ſanctiſsimis viris, vixi in luce hominum, in oculis pontificum, familiaritate Cardinalium, & eorum, qui legitimi ſunt magiſtri ſacræ religionis. Erat quippe Corradus ſtaturæ mediocris, pulcher aſpectu, moderatus in veſtitu, manſuetus animo, in diſputationibus mellifluus: ita vt eadem dulcedine bonos delectaret, & aduerſarios confunderet; ſtudijs adeo deditus erat, vt nedum cibi, & potus, verùm ſui ipſius ſæpe ſæpius obliuiſceretur. Nam ſapientiſsimi Salomonis conſilio, SAPIENTIAM Regnis, & ſedibus præferendam eſſe didicerat; & diuitias nihil eſſe in comparatione ipſius. Solitudine ſummopere delectabatur, qui cum Africano dicere poterat. Nunquam minus ſolus ſum, quàm cùm ſolus ſum. Taciturnitate, prudentia, & grauitate maxima inimicis & obtrectatoribus terrorem incutiebat: tamen inter amicos vrbanos, iocoſos ſales miſcebat. Deniq;

alius eloquentiam mihi necessariam esse arbitrarer, si, vt par est, hominis doctissimi, simul & amantissimi Corradi, naturæ facilitatem, continentiam victus, mansuetudinem animi, tolerantiam in aduersa fortuna, studium pietatis, diuinarumque rerum omnium, atque virtutum summam complecti vellem. De seipso ita scribit ad Gasparem Ceruantem Archiepiscopum Salernitanum: Habebis hominem semper, vt hactenus, alienum à rumoribus vulgi, sæpius cogitantem, rarius loquentem, rectis studijs, & antiquis litteris deditum, nullius vel docti hominis famæ detrahentem, vel indocti cuiusquam. Et subdit: Ego verò meam à prima infantia vitam, cunctis mortalibus velim esse cognitam: nemo posset hominem, re, aut verbo, iure, aut iniuria à me violatum dicere. Sed institutum nostrum prosequamur. Bononiæ tandiu permansit, quandiu existimauit sibi, & studijs fecisse satis. Et ad suos tandem, quasi postliminio reuersurus, Romam (vbi tanti viri fama celebris habebatur) perueniens, à clarissimis hominibus amantissimè exceptus, & detentus est; totoque ferè pontificatu Pauli III. ibi vitam egit. Carus enim erat sanctissimis, & doctissimis cardinalibus, Sadoleto, Bembo, Cortesio, Polo, & Contareno. Duo prætereà amplissimi cardinales

fuere

fuere, qui grauissimis in rebus, & à secretis eo-
vsi sunt, Hieronymus Aleander primùm, dein-
de Thomas Badia, qui quoad vixit, plurimùm
eum amauit. Vnde factum est, vt prædictus
summus Pōtifex Paulus tertius, doctrinæ Cor
radi fama permotus, multoties cum sua, & om-
nium astātium Cardinalium admiratione eum
orantem audierit. Gratissimus etiam fuit Hie-
ronymo Seripando Salernitanorum Archiepi-
scopo, ac in cardinalium collegium à Pio IIII.
iure cooptato, qui Tridenti præses congregati
concilij mortuus est. Ad ipsum sacrosanctum
oecumenicum Tridentinum concilium Q.
Marius à summę auctoritatis patribus vocatus
fuit, ut eiusdem synodi decreta venusto ser-
mone scriberet, sed ipse proprijs negotijs prępe
ditus, cùm Tridentum petere moraretur, alijs
prouincia demādata fuit, Aloysius frater tuus,
ac alij nobilissimi viri testes sunt, quàm grata
fuerit antiqua Q. Marij nostri memoria doctis
simo viro Cardinali Sirleto, ad quem anno
M. D. LXVI. Calabriam proficiscentem,
& Salerno transeuntem, officij gratia Q. Ma-
rius accessit, & ab eo amantissimè fuit exce-
ptus. Cognouit etiam summus vir, atq; am-
plissimus Ioannes Alfonsus Visbaldus prouin
ciæ Salernitanæ prorex, quæ fuerint huic à car-
dinale laudes tributæ. Non enim erat imme-

mor

mor in humiliori fortuna coniunctissimè Romæ cum eo vixisse. Non multò post, idem cardinalis ex mandato Pij IIII. Pon. Maxi. Q. Mario commisit, ut nonnullas epistolas de Indorum rebus in Latinum sermonem transferret. Hinc nactus occasionem Corradus noster scripsit Pont. Max. epistolam pro lingua Latina, cuius initium est: Magna sum lætitia affectus, ex auctoritate concilij, voluntatisque tuæ, epistolas de rebus apud Indos, in Latinum transferendi. Etenim hinc accessio aliqua facta est Romanæ linguæ, & maximam in spem venio fore vt maiora posthac Latinis litteris illustrari velis, & cęteri pulcherrimum tuum hoc exemplum sequantur, &c. Hæc epistola extat in secūda editione librorum de lingua Latina. Sed reuertamur ad ipsum Corradum. Romæ moram faciens C. X X X V I. declamationes Quintiliani uetustioris castigauit, & in lucem emisit. Sed quoniam (vt diximus) solitudinis, & litterarum amator erat, dignitates & honores non ambiebat, ut ad Argentarium scribens aiebat: A meis rationibus, instituto, natura, experientia præterea multorum annorum maximè est alienum, tanto in strepitu, & frequētia hominum versari. Neque ignoras tu, quum diu Romę vixerim, & coniunctissimè cum doctis hominibus, & eruditis, me, nisi ambitionem

semper

semper fugerem, & desiderio solitudinis inter-
ca tenerer, honestè, ac iucundè viuere potuisse.
Mortuo itaq; Cardinale Badia omnino in pa-
triam reuerti voluit, quamuis maxima spe hu-
mana munitus, potuisset in vrbe adhuc immo-
rari. Vritani enim conciues sui, sanctissima il-
lius cõuersatione, & doctrina vti plurimũ desi-
derabant. At reuersus ad suos, ex reditibus à
patre relictis honestè vitam ducebat, exemplo,
& litteris eos docens: & summopere Philoso-
phiæ, & Theologiæ pulcherrimè operam cępit
nauare. Interea Bona, Poloniæ Regina, in Prin-
cipatu suo Barensi commorabatur, & à Princi-
pibus viris, qui Reginæ inseruiebant, Q. Ma-
rius vocatus est. Desiderabat enim Serenis-
sima, & prudentissima Regina propriam sui ip-
sius vitam, & totius Sarmatiæ historiam à Q.
M. Corrado litteris mandari, & per vniuersum
vagari. Verùm ipse stomachatus aulis Princi-
pum, illiusq; strepitus, & frequentiam abhor-
rens, dum illò ire cunctatur, Regina interim è
vita excessit. De hoc negotio sic ad Argenta-
rium scribit. Cætera sunt leuiora, vt ne labo-
res quidem vllos timeam, aut quærendi li-
bros, aut consulendi doctos homines, aut
Sarmatiæ visendæ. At in aliena esse domo, nisi
ęqualium meorum, qui & ipsi habitare mecum
posint, & suspensum habere omne tempus, &

momen-

momenta ſtudiorum, & viuendi, non ſanè velim. Quare à te vehementer peto, ne quid inſtituas, quod ratio cõſilij mei, & voluntas minimè profectò leuis ferre non poſsit. Et ad Paulum Manutium ait: Sunt qui tamen ad hiſtoriam Regum Sarmatiæ me adhortantur. Hanc equidem ſuſcipere non fortaſſe nollem: ſed res non per doctos homines, & prudentes apud reginam curatur. Verùm liuor & inuidia ſemper aſſolent in optimos, & clariſsimos quosq; viros debacchari. Dum ergo Caroli Bouij ſui Antiſtitis vicarij officio fungeretur, perſecutionem ciuium ſuorum perpeſſus eſt. Nam dum ipſi in gubernanda ciuitate Vritana modum non ſeruabant: iuſtitiæ zelo, & patriæ amore percitus vehementer eos increpabat, & publicè reprehendebat. Itaque doloſè cogitantes, nõ voluntatem, & animum, ſed conſuetudinem, & familiaritatem Vritani Archiepiſcopi ab ipſo ſeiunxerunt. At ipſe inuidiæ, perfidiæq; cedens, Neapolim ſe contulit, à nobiliſsimis viris accerſitus: vt ipſe in primo libro linguæ Latinæ ſcribens ad Marcellum Corradum hoc inſinuabat. Verùm antequam cum illis quidquam certi ſtatueret, ſtudiis ſuis non commodè Neapoli prouideri, animaduertit. Id exploratũ habens Aloiſius Iſſapica frater tuus, tãquam ſtudioſorum Mecænas, dedit operam

cum optimis viris & eloquentiæ studiosis, Hieronymo Augustino, Michaele Vicinantio, Hieronymo Vitaliano; misso etiam eius rei causa Neapolim Barptolemæo Manso, Salernum magno pretio eum adduxit. Triennio apud Aloisium mansit, & vltimam manum (otio dato à fratre tuo) libris de lingua Latina imposuit, qui Venetis typis impressi sunt. Quamobrem debet Aloisio Salernitana ciuitas plurimùm, quæ sui beneficio Q. Marij doctrinam, litteras, & singulare quoddam eloquentiæ lumen cognouit. Debent omnes amantissimi Romanæ linguæ, ob nouum lumē ipsorum librorum Q. Marij. Etenim Vetustissima, & nobilissima ciuitas Salernitana omnium doctrinarū cultrix, & altrix non minùs, quàm vlla vrbium Italiæ, & Europæ vniuersæ, semper fuit, & præstātissimi præceptores in publicis illis gymnasijs docuerunt: quare nec carere debebat Q. Marij doctrina. Qui quidē, suauissimos mores ob quandiu Salerni degit, vniuersæ ciuitati carissimus extitit. Hæc tibi nota sunt, nam etsi in sacro cœnobio Cauensi DEO OPT. MAX. laudabiliter seruiebas, Salernum tamen sæpe repetens, successiuas horas secum dispensare satagebas. Sed quia lucerna accensa, omnibus perspicua esse debet, hinc, (cùm satisfecisset illis, ad quos docēdum venerat) Vin-

centius Carrafa, fama ipſius permotus, multis precibus, & literis ab eo obtinuit, vt domũ ſuam adiens, duos ipſius filios in moribus, & literis inſtrueret. Quamobrem factum eſt, vt arctiſsimam iniret familiaritatem cum Antonio Carrafa cardinale, fratre Vincentij, cuius in domo cùm eſſet, ad vrbem vocatus eſt ab eodem Sirleto. Tres.n.erant cardinales, qui Corradum doctiſsimum in ſuis domibus, & apud ſeipſos deſiderabant. Ille verò cũ vellet inceptum docendi munus relinquere, cardinalis Carrafa, eius conſtantia delectatus, effecit, vt à ſanctiſsimo Gregorio XIII. Pont. Max. amplis beneficijs, & archidiaconatu Vritano donaretur. Neapoli dũ verſatur apud hunc, quem dixi, Carrafam, Marcellus, & Franciſcus Corradi, eius fratres mortui ſunt; quos quidem lugendo, magnopere in præfatione ſecundi libri de copia Latini ſermonis exornat. Eodem tempore ſex curatores ſtudij Bononienſis, procurante Ioanne Angelo Papio iuriſprudẽtiæ omnium facile principe, iteratis vicibus vocauerunt eum ad publicè profitendam rhetoricam, apud quos Corradus cum ingenti gratiarum actione ſeipſum excuſauit. Idq; præſertim propter archidiaconatus munus. Nam ex decreto ſanctiſsimæ ſynodi Tridentinæ, Vriæ reſidere cogebatur. Accedebat etiam, quòd ob ingraue-

 ſcen-

ſcentem ætatem, labores ſtudiorum,& vigilias vltra præferre non poterat: ſicut ipſe doctiſsimis, ſimul & amantiſsimis viris, Io. Angelo Papio,& Lucio Scarano ſcribit. Vriam itaque ſe iterum contulit: quoniam conciues ſui ad meliorem frugem conuerſi, illius præſentiam, & ſancta documēta ſummopere deſiderabat. Ibi cùm populum, & collapſam cleri diſciplinam, quantū ad archidiaconatū ſpectabat, reformaſſet, id præſertim curabat, ut rhetoricorū libros iā inceptos, abſolueret. Verū cùm affectę iā eſſet ætatis, ad cœleſtis vitæ cultū, ac ſolam ipſius mortis cogitationē animū penitus adiecerat. Anno itaque M. D. LXXV. ætatis verò ſuæ anno lxvij. confectus vigilijs, & ſtudiorum laboribus, Eccleſiæ ſacramentis receptis, deuotiſsimè migrauit ad CHRISTVM. Homo igitur in omni ſcientiarum genere doctiſſimus, ingenio perſpicax, preclarum, ac propè ſingulare veteris eloquentiæ exemplum, ſicut uiuens bonis omnibus carus fuit, ita mortuus lacrymatus eſt ab vniuerſis,& magnum ſui deſiderium apud omnes reliquit. Qui utinam tamdiu ſuperuixiſſet, dum ipſos ſaltem rhetoricorum libros abſolutiſsimos reliquiſſet. Quartus tamen liber, qui eſt de dialectica,& Aloiſij, fratris tui, mandato Neapoli excuſſus eſt. Abſoluit autem quinque libros (ſtudioſis omnibus

apprimè necessarios de copia Latini sermonis, Camillo Palæoto consecratos, extant & alij tredecim libri epistolarum, qui omnes Venetis typis Francisci Ziletti demandati, propediem expectantur. Iam verò octo libri suarum epistolarũ Carolo Borromæo, Cardinali amplissimo dicati M. D. LXV. per Andreã Valuassorẽ Venetijs excusi sunt. Insuper adhuc viuẽs libros de lingua Latina castigauit, & in quàm plurimis auctiores perfecit. Et iterum Bononię excusi sunt, eodem ferè tempore, quo Q. M. obijt, sicque nouos labores suos in lucem editos uidere non potuit. Hæc sunt, quę de vita, moribus, eloquentia, & doctrina Q. Marij Corradi mihi memoria subministrauit. Qui mortuus est non in aliena patria, ut Cicero, non in exilio, vt Ouidius, sed Vriæ, quæ erat ipsius propriũ, & natale solum, in qua corpus terræ, & animam DEO OPT. MAX. reddidit. Tu uerò pro illius salute preces fundere non desinas, meque, vt multis ab hinc annis cæpisti, ama. Vale.

Q. MARIVS CORRADVS IOAN. ANGELO Papio. S. P. D.

BONONIAM.

EXPECTANDAE mihi Roma litteræ fuerunt, antequàm de mea voluntate, ac rationibus reſponderem. Erat.n. res, de qua ſatis per me ipſum ſtatuere vix poſſem, & ante ſcripſeram ad te, meam in litteris operam Cardinali Carrafæ me hoc tempore occupatam habere. Is deniq; eas ad me miſit literas, quib. ſignificabat tectè quidē, ſed vt facilè intelligerem, meum illi in ſe animum, & meis de rebus conſtituendis conſilium, non placere. Non multis egit mecum, ſed cogitare me plurima coegit. Ego verò, & litteris moueor illius, & voluntate plurimum, ſed meo pudore magis, & illo metu, ne is, aut poſtquam, ingrati animi accuſare me poſsit, quòd eum, à quo paulò ante, & fortunis auctus, & rebus plurimis eſſem adiutus, alieniſsimo tempore, ac ſtatim, vt egere mea opera cœpiſſet, reliquerim. Hæc mihi, ſi non obſtitiſſent, vide, obſe-

cro te, mi Papi, quàm grauia sunt præterea, quę neglexissem omnia, meis vt Bononiensibus inseruirem, & consilijs parerem, & auctoritati tuæ. Primum ætas non ea est, quæ laborem diu ferre posit. Nam præter defatigationes, & perpetuas à prima adolescentia quas sum expertus, fortunæ acerbitates ἤδη μονονουχὶ ἐκτετοξευκυιῶν, vt non dubitandum sit, mihi nullam postea superfuturam esse vitam, ad studia ad otium, ad scriptiones; certoque sciam, in eo labore mihi esse moriendum. Sunt præterea multa in manibus, quæ proposui mihi ad scribendum, rudia adhuc, & inchoata, quæ tanta cupiditate arripui, tanta contentione studij persequi volebam, vt nihil putarem esse aliud, cur mihi aliquantisper viuendum esset. In ijs vetera sunt quædam Varronis, aliquot iam ante seculis inter mortua, maximè ad linguam Latinam, propter conuersiones rerũ tantas, ad finem Romani imperij insequutas, necessaria, quę per doctos homines, hac ætate nostra, cupiebam nobis esse restituta. Periclitari hic vires meas cępi, vt ne alia tibi narrem somnia; idest multò etiam grauiora, quæ nemo diuinaret, quin irrideat fortasse audaciam meam. Taceo hic meam solitudinem: quæ cœpit mihi esse acerbior hoc ipso anno, duobus amissis vno die minoribus natu, & suauissimis


ſimis fratribus, qui res meas omnes curabant, nunc mihi præter dolorem, onus etiam, valdè graue reliquerunt. Nec templum dico, & cerimonias, quibus Vriæ ἀρχιδιάκονος, post Pō tificem ſecundus præſum, & noſti tu renouatas in concilio Tridentino leges. Hæc tamen minimi putarem, niſi maximum illud eſſe videretur, quòd ſummi viri & clariſsimi, cuius dictum eſt, non dico auctoritati, ſed beneficijs, beneuolentiæ, & voluntati in me ſummæ, ſine magna infamia, hoc quidem tempore, deſſe nullo modo poſſem. Ego.n. quod in me eſt, non docere ſolùm Bononiæ eloquentiam pulcherrimum mihi putauiſſem, ſed hoc ipſo etiam, quod me ſapientiſsimi viri iſto loco, principe orbis terrarum, eſſe dignum credidere, non iniuria duco apud omnes homines eſſe gloriandum. Nimis.n. arrogantis foret hominis, doctiſsimorum uirorum, quòd ſemper iſta in urbe docuerunt, & Romuli præſertim Amaſæi, præceptoris noſtri, loco non eſſe contentum. Quamobrem ago tibi, & ſex viris curatoribus Bononienſium ſtudiorum gratias, qui tantum mihi honorem habere voluerunt, quantum ſi liberum eſſet mihi accipere, fortunis omnibus emere noluiſſem. Quid.n. optabilius mihi, aut honorificentius accidere pntuiſſet, quàm tantæ iſtius vrbis iudicio meas litterulas, tanta

ista vrbe dignas videri? Illud præterea mihi iu cundissimum fuisset, si quid istic doctrinæ olim à Romulo, vel à summis præceptoribus accepi, id nunc de superiore loco, non Bononiensi tantùm, sed vniuersę penè Italiæ, uel Europę etiam, iuuentuti reddere. Hanc igitur, eius opinionis, quæ habita de nobis est præclara, & amoris tui, & istius amplissimæ ciuitatis, & principum, de quibus ad me scripsisti, virorum in me uoluntatis memoriam scito nunquam apud me intermorituram esse. Quamobrem te oro, & obtestor mi Papi, iisdem omnibus, & qui de me ita honorificè sentiunt, & loquuntur, negotium suspicias agēdi meo nomine gratias, & hanc epistolam, illis omnibus, & ciuitati vniuersæ à me scriptam esse arbitrare.

Vale Neapo. vj. Kal. Martij. M. D. LXXI.

Q. MARIVS CORRADVS Lucio Scarano. S. P. D.

BONONIAM.



VNC, serò ad epistolam tuam, expectandum mihi fuit, dum Roma litteræ afferrentur. Non quales voluissem deniq; allatæ sunt. Miratur.n. Gulielmus Sirletus, Cardinalis, dolet collega illius Antonius Carrafa. Vides iam quales homines. Eos placare studui, sed mehercule ita, vt ijs nonnulla exprobrauerim. Sic aliquid mihi profectum erit, hac de cupiditate mea, istic in litteris viuendi. Sed quando tamen isti dolent, illud etiam vide, vtrum fieri possit, quod maximè cuperem. Primum, non est mihi Scarane ætas eadem, aut fortuna, quam reliquisti. Nam constituere ante necesse est etiam, Bononiç moriendum, nec mihi, aut alijs diu Bononiæ viuendum. Deinde nonnulla hactenus extitit Carrafæ in me liberalitas. Illi non debeo ingratus videri: Promissa quotidie noua, quæ vt ego mecum non plurimi faciam, superbi tamen esset hominis, aut stulti, palàm non laudare. Et quidem his adhuc fecit, vt nunc plus


fortu-

fortunarum sit mihi. quàm vitæ. Quorsum attinet igitur quærere ea, quibus frui ipse nō possis? Accedit etiam non leuissimum omnino sacerdotium, quod inter alia inuito mihi, Carrafa dedit. Abesse nunc ab eo per leges Tridentinas minime licet. Magni fient motus, nouum erit genus vitæ, & nouæ de me opiniones, hæc si relinquam. Non leuia hæc esse debent, sed grauissimum est, quòd me sibi beneficijs Carrafa, & amore summo Sirletus deuinxit. Multò grauius autem illud apud me, quòd ij non officium à me requirunt, sed nouis pollicitationibus, comitate, & precibus agunt mecum. Nam epistolam tibi cum Papio communem esse volui, quam verò ad illum dedi, tecum & cum doctis, bonis, amantibusque nostri. Vale Neapoli, vj. Kalend. Mart. M. D. LXXI.

Q. MARIVS CORRADVS BASILIO ISSAPICAE Monacho Cenobij Cauensis S. P. D.

SIC habeto, mi Basili, ad tuas litteras: me prorsus, ad perficiendas lucubrationes meas, quid etiam sit otium, iam diu ignorare. Nunc accessit etiam noua hæc de conditione Bononiensi, cogitatio, plurimæque, & publicæ, & amicorum, ea de re literæ, atque preces, quæ me varijs modis extulerunt. Te tamen amo ob tui ingenij præstantiam, & obseruo tuos omnes, quibus me litteris, & commendatione tua cupio in primis esse carum, ad quos si scribo rarius, vel occupationes meas credant esse tantas, vel me inertiæ, & ingratitudinis condemnent, necesse est. Ad quæ dubitas in nostro de dialectica libro, erunt ad te ab nostro Amantio litteræ. Aloisium fratrem tuum, cui plurimum debeo, diligentissimè mihi salutabis. Vale Neap. iiij. Nonas April. M. D. LXXII.

Q. MARIVS CORRADVS IOANNI ANGELO PAPIO, & Camillo Palęoto S. P. D.


OLEO vehementer, non posſe me hoc tempore, quales maximè cupio, ad vos ſcribere epiſtolas. Cogor enim de noſtris tãtum libellis negotium vrgere. Nulla in re mihi videor vnquam fuiſſe turpior, nec puto fore aliquando vbi, vel mea ſcripta tã indignis modis repellantur, vel ego tam diuturno ludibrio haberi poſsim. Denique ſic habetote, non ignorare me, vnde hoc mali, turpitudoq́ue mihi conflata ſit. Quare ad uos, Campegiumq́ue ſolos redeundum putaui. Excuſationem à uobis accipere non debeo vllam. Significatum præterea mihi eſt à te Papi, eſſe etiam plurimos, loco & auctoritate ſumma viros, amãtes noſtri, & in ijs Palæotum fortaſſe cardinalem, Camilli fratrem, quos omnes contra paucos qui repugnant, ad negotioli huius confectionem aduocare poſsimus. Hanc epiſtolam volui vtrique veſtrum eſſe communem, à quibus hac de re tota, expecto & ſtatim, & quales maximè cupio, literas. Quinque libros abſolueram, tibi Camille dicatos, de copia

Latini sermonis. Nunc te oro, vide etiam, atque etiam, vt à paucis, (vti iam dixi) videamur, neve, quòd spissum Bononiæ esse negotium vi deas, cedendum putemus, & ego in ijs libris non tua, fratrisque tui gloria, sed puluere tantum, blattisq; digna scripsisse videar. Libros, expecto, vt à me quàm primùm petas tu Papi, quoniam te incumbente ad rem, spe magna esse debeo. De epistola, quæ ad Cāpegium à me scripta erat, vtrum ei sit reddita, facies, vt sciam Ipsis verò de libris epistolarum sæpius ad te scripsi vehementer me esse solicitum, propter Capucinos monachos, qui secundam editionē expectant. In priore enim, quia (vt aiunt) sua literarum ignorantia à me reprehensa est, quo tidie me in iudicium vocant, & profectò, quod in ipsis est, capitis esse crimen videri cupiunt. Amo equidem illos, & obseruo, at norunt omnes, & ego sum expertus, nullum esse periculū, quod ab illa immanitate hominum timeri non debeat. Quare, si gratis fieri nequit, at pecunia saltem conficiatur negotium, de qua scribite, oro vos, ad me statim, & ego videro, siquid possim cogitare, nisi sic istic non auaritia, sed occul to in me, literulasque nostras odio peccatur. Mihi quidem nullius rei sum conscius, ac ne scientiæ quidem in me agnosco tantum, ut pertimescere hanc docti homines possint. Meis

prȩterea

præterea in ſcriptis honorare omnes conſueui, nec palàm arrogare mihi, vnde quiſquam offendatur. Stupidus admiratione ſum. Ad iſtorum'ne hominum Papi amicitias me ſuperiore triennio vocabas? Verum tamen ego fortaſſe vaticinor, & ſpero omnes mihi eſſe amicos, & uos tandem aliquando negotium mihi eſſe confecturos iſtud in quo iam de amiciſsimi hominis periculo, ac (penè dixerim) capite agatur. Valete. Vriæ xvij. Kalend. Decembr. M. D. LXXIIII.

DONATI CASTILIONIS ARGVMENTA IN QVINQVE LIBROS de copia Latini ſermonis.

IN PRIMVM.

Narrat auctor cur ad hos libros, ante intermiſſos, ſeſe reuocauerit abſoluendos. Quæritur hic de copia Latinitatis ex analogiæ ratione, quæ quæſtio duplex eſt, altera ex vetere ſermonis conſuetudine, altera ex nouatione neceſſariorum nominum, ac poſteriorem hanc, quæ ad rem multum facit, præmeditatus quidem M. Varro, non etiam proſequutus videtur. Hæc plurimi facta eſt olim à doctiſſimis, nunc etiam, ſi quando maximè, plurimis, iuſtiſque de cauſis eſt neceſſaria. Rurſus hæc quæſtio eſt bipartita, vt altera pars in nominibus, & verbis, altera in conuerſione poſita ſit, & in commutatione verborum, cæteriſque figuris eius generis. mox proponit auctor, quid quoque libro ſit agendum: rationemq; nouandi nomina ad certas leges, terminationeſq; reſtringit. Poſtremò 25. formas; ceu perennes, vberrimoſq; fontes indicat.

IN SECVNDVM.

Cum eiuſdem argumẽti ſit poſterior hic liber, & ſuperior, ne cui forte mirum videatur, cur alterum ab altero ſeiunxerit, conſilij ſui cauſam initio reddit: ea fuit germani fratris importuna mors, quam pro re nata lacrymis, & querimoniæ proſequutus, adijcit ſuperioribus 25. totidem reliquas nominum formas. Sub finem multa διεξοδικῶς de Græca lingua, vbi eadem Latinæ κατὰ πάροδον comparatur.

IN TERTIVM.

Venitur ad ea, quæ ſignificatus habent plures, non tamen vnius generis ſunt omnia. Alia namque notiones acquirunt varias inclinata paululum; plurima a rebus alijs ad

ali a

alia varijs de causis accommodantur, Attinguntur synonyma, ἀεὶ ὁμωνύμων plurima, quippe plus ad copiam conferunt, quàm synonyma. Ostendit etiam à quibus ad quæ voces transferantur, quæ item varia significent. Res tota exemplis illustratur. Simul planum fit alijs etiam figuris, præter comparationes, & translationes, adiuuari copiam.

IN QVARTVM.

Post nomina refert orationem ad verba, quorum non est tanta fœcunditas, quanta nominum: quippe in his aliæ figuræ (translationem excipit) rarius habent locum. Quamquam vno ex verbo varijs adiuncto nominibus significationes oriuntur plures, quàm ex vno nomine: primo tamen loco, vt in tractatione nominum fecit, exponit pertinentia ad analogiam. Denique reprehensis Latinæ linguæ obtrectatoribus, in nouando dominari vult necessitatem & analogiam.

IN QVINTVM.

Disputat contra Latinitatis hostes, ostendit ea nil esse præstabilius eam: numquam ita floruisse, sicut, superioribus proximis annis; voces diuersarum rerum à peritis artium petendas; ex omnibus partibus Latinum sermonem augendum; hauriendum ex Græcis fontibus, idque tribus potissimum modis, restituit quædam inusitata, quoad meliora succedant; viam tradit nouas voces accommodandi nouis rebus. Postremò pauca quædam de aduerbijs, cum ad copiam non sanè conferant.

Q. MARII CORRADI VRITANI,

De copia Latini sermonis,

AD CAMILLVM PALAEOTVM,

Liber Primus.



IBROS de copia latini sermonis propter afflictam diu valetudinem intermissos, vt hoc tempore, nondum recuperatis planè uiribus, absoluerem, præstantis ingenio, ac scientia uiri, amantissimi utriusque nostrum Ioannis Angeli Papij uoluntas me commouit. Ego quidem certè, minimè putauissem fore, ut me hoc anno ad studia referre possem, nec literas adhuc uidißem ullas, nisi tantus mihi hortator accessisset. Quare nunc, & illius ad me literis, & amore, beneuolentiaque vestra, & mehercule etiam non nihil sponte incitatus mea, recognoui, quæ multo ante scripseram, iisque recognoscendis mihi sum uisus multum à sex mensium ægritudine esse releuatus. Itaque serò

Io. Angelus Papius præstās ingenio, & scientia nominatur à Q. M. Corrado.

Sententia I. A. Papij de Q. M. Corrado.

quidem nunc ad te hos misi libros, sed non potui maturius, & profectò in ijs, quæ longo post interuallo repetita sunt, maiore mihi opera laborandum fuit, quam si olìm recenti memoria, & statim corrigere potuissem. Verum tamen, vt hæc sint cumque, te Camillæ, pro eo quanti me facis, rogo, hos quasi testes quinque amoris in te mei ponas etiam in gratia apud Palæotum Cardinalem fratrem tuum. Illius enim summæ scientiæ, summæque auctoritati, atque amplitudini, hos probare si audeas, minimè dubium erit, eos tibi dignos expectatione saltem de nobis tua esse uisos. Atque hos ut quam minima, uel nulla cum tua molestia audire possis, aut rectissimè aliis probare, tempora expectabis illa non prorsus aliena, quoties ex urbe, publicis negotijs, administratione reip. sententiisque isto in Senatu pulcherrimo dicendis, in uillam, ad studia, atque otium aliquod, receperis. Sed redeo te ut quæ proposita sunt aggrediar, & hinc admoneam hoc primo libro, copiam latinitatis ex ratione analogiæ mihi quærendam esse. Omnis igitur hæc de copia uerborum duplex quæstio est, una ex vetere consuetudine sermonis, altera ex nouatione eorum, quæ rebus nouis desunt. Illa, quum scribimus necessaria est, aut loquimur, ut plurima & usitata uerba in promptu habere possimus, hæc uerò ad augendam pertinet copiam latinitatis, paritque semper, quum opus est, noua, ut rem nullam proprio

Copia uerborũ duplex.

uerbo carere patiatur. De illa, rhetores parum multa dicere potuerunt: hanc M. Varro solus (quod ego sciam) in libris de analogia ostendit informatam se habere in animo, quam tractaret. Vtrum uerò is auctor hanc partem fuerit persequutus nostram, an quæ est apud rhetores, an utrãque, an quæ promiserat, mox præstare nequiuerit, affirmare profectò non passim. At rectè si cogitemus, illa de oratorum copia nihil esse, tanta in ieiunitate rerum, de quo certa ratione, ac uia ualdeque multis verbis disserendum sit, dubium non erit ijs in libris eum, aut nouis tantum, aut nouis potissimum de uerbis conscribere, aut cogitare debuisse. De ueteribus enim, & iis quæ in scriptorum omnium usu communi uersantur, una tantùm & breuis præceptio esse debet, omnem ut Romanam linguam, scientia & exercitatione perfectissimè cognitam habeamus. Quam ad sciẽtiam, si facultas præterea accesserit ea, ut quæ oportet, non latinè solùm expediteque possimus dicere, sed quæ variandi & illustrandi causa in uerbis & in oratione, alia esse pro alijs consueuere, teneamus, nihil erit amplius, quod illam ad uerborum copiam requiratur. Hanc uerò, quæ in uerbis posita est nouandis, quamque hoc tempore, in his libris proposui mihi ad explicandum, non dubium est à Varrone doctissimisque ueterum pluris esse factam, & multo pleniorem disputationem, magisque necessariam & iudicio ac do

ctrina maiore dignam esse iudicatam. Quando igitur nobis etiam, res uisa est ea, quæ debuit uideri, & maximè post mutatam religionem, & tātas omnium rerum conuersiones, latinæ linguæ necessaria, totam de illa quæstionem, debere putaui duas in partes habere distributam. Harum altera pars est in nominibus & uerbis; altera in conuersione commutationeque uerborum. Cupio hîc nōn obscuram esse hanc distributionem. Quare de nominibus & uerbis, sic intelligi uolo, ut octo ex partibus orationis, hæ potissimum duæ imminutiones recipiant uel accretiones. Conuersio autem erit eiusmodi, ut siue translatione, siue metonymia, siue abusione, siue quocunque genere alio figuræ, aut ratione alia mutetur uerbum conuersione id mutatum sciamus. Quando igitur mihi non de uerbis tantum, sed etiam de loquendi formis quibusdam plurimis tractandum, erit, quæ sunt loco uerborum, & augent copiam latinitatis, ratione aliqua adductus esse videor, ut nomen his libris de copia, non uerborum, sed latini sermonis fecerim. Nam quod Varro dixit uerborum, non sermonis, ostendit se hanc partem nolle ad suum institutum pertinere. Ego autem qui rem nullam uerbo carere cupio, uel suo, uel alieno, uel translato, uel (quod postremum est) intellecto, paulum immutare librorum nomen uolui. Sua ac propria appello, ut paries, mare, litus, Roma, lapis, flumen, Cæsar, & quæ id solum notant,

Necessitas huius libri.

Duas alias in partes copiæ diuisio.

Cur suos libros nō de uerborum copia ut Varro, sed de Latini sermonis inscripserit.

notant, quod habent à natura. Ex his enim alia sic propria sunt, ut uix transferri ad rem alteram possint, alia, ne uix quidem. Aliena sunt, quæ solam propter similitudinem dicuntur, ut hirundines fabrorum & coronæ hominum, ut.

Rara muros cinxere corona.

Translata sunt ex arte Grammaticorum, vel Rhetorum, ut.

Læto turgent in palmite gemmæ.

Intellecta denique esse uolui; cum aliis ex uerbis, aliud quiddam efficimus, ut, ire inficias, dare manus hosti, ire pedibus in sententiam Catonis. Sed quod ad partes orationis attinet, habent hoc nomina & uerba, ut maior fieri illorum numerus, aut minor possit. Participia autem, quando sine iis uerba non sunt, uerbis nullo pacto queunt esse pauciora. Aduerbia, nec multum augere necesse est, & ex nominum fontibus, ut participia a uerbis, plurimum nascuntur. Pronomina, præpositiones, coniunctionesque, & interiectiones, aliæ si plures fiant, iis alium nostro in sermone dare locum non possimus. Accedam ergo primum ad nomina, tum ad uerba, deinde ad nominum & uerborum conuersiones, vel mutationes, deinde ad res nouas, quæ suis carent verbis, postremo ad si qua de aduerbiorum nouatione possim dicere. Ac primum hoc loco dicendum est illud, nomen contra quàm præpositio, quàm pronomen, coniunctio & interiectio partem

Breuis quinque librorũ propositio, ac summa.

tem esse orationis infinitam. Nullus enim debet esse finis eorum, quæ nata sunt ad rerum significationes infinitarum. Quæ porrò esse non lingua modo, uerum etiam cogitatio & mens tanta posset, quæ uel res omnes, uel ipsa rerum genera saltem complectatur? Quamobrem ponat sibi quisque ante oculos, ratione que & animo lustret artium omnium uel opera, uel instrumenta, ut rei bellicæ, rei naualis, musicæ, ædificationis, rei rusticæ, aut eorum quæ ad fabros, artificesque omnium generum pertinēt, lignarios, marmorarios, artifices, textores, uestiarios, itemque ad noua sacra, nouum ius Pontificium, nouos magistratus, nouas leges, nouum morem iudiciorum, militiæ, ædificandi, nauigandi, quantam in his, huiusmodique in rebus omnibus, infinitatem nominum putamus aut ignorari, aut nondum fortasse in ueteribus linguis esse notam? Illud etiam cogitando uideamus, ut urbium partes, atque agrorum, regionum quoque desertarum, syluæ, fontes, riui, prædiorum termini, & rusticarum possessionum, ipsæ etiam regiones, prædia, rusticæ possessiones, & partes ædium priuatarum, ne habere quidem sua nomina potuerunt. Illis de rebus igitur, aut locis si loquendum erit, non latino solum, aut græco, sed nec uicinarum ciuitatum sermone, quæ uolumus dicere licebit. Non enim pascua tantum, olivueta, syluas, prata, uineas, arua, piscinas, uiuiaria, aut quæ maximè usitata, in uillis prædiisque

Ad plurimarum infinitates rerum noua excogitari nomina oportebit

habent

habentur, immo adeo ſæpius nihil horum in his eſt, niſi quæ nominibus dici proprijs non poſsint. Nec urbes aliæ, ut Roma, partes habent Capitolini montis, Palatini, Viminalis, Esquilini, Cælij, Auentini, Quirinalis, nec portas Flumentanam, Capenam, Salariam, Latinam, Aureliam, Trigeminam, & quæ ſubtiliter deſcriptæ, & in libris celebratæ ſunt doctorum, nec regiones, ſuburram, Carinas, Tranſtyberinam, Cælimontanam, Forum boarium, Circum Flaminium, Campum Martium, aut pontes, Miluium, Aelium, Vaticanum, Fabricium, Ceſtium, aut uias, Appiam, Latinam, Labicanam, Sacram, Prœneſtinam, Auentinam, Collatinam, Flaminiã, aut aquas, Martiam, Virginem, Claudiam, Aureliam, Seuerianam. Omnes enim Italiæ urbes, & Europæ, aut barbaris utuntur ad hæc nominibus, aut nullis; quamquam ſunt multo grauiora, magisque neceſſaria in diſciplinis, artificiis, & uſu communi rerum omnium, quibus nullo pacto carere poſsimus. Ordines quoque ciuitatum ſunt alii nunc, atque olim fuerunt, nec dictatores hodie ſunt, magiſtri equitum, prætores Vrbani, uel prouinciales, plebeius ordo, equeſter, Senatores, tribuni militares, ærarii, plebeii, uel curiæ, uel tribus, nec ſi uſquam ſint, iiſdem ſunt nominibus, aut eadem ratione, qua, Aemilia, Arnienſis, Claudia, Cornelia, Esquilina, Fabia, Terentina, Lemonia, Mæcia, Vfentina, Papiria, Quirina, Romulia, Velina, Tromentina, Paleria, & reli-

quæ xx. quarum nomina, tuto & secundis doctorum auribus usurpare possimus. De his, non modo, qui nunc uiuunt nostri amici, docti homines, sed olim M. etiam Varro libros conscripsit. Nũc mutata est magnam partem, plurimis in rebus ratio uerborum, & tantis in conuersionibus ipsius penè orbis terrarum accidit, ut sine dubio infinita nouare debeamus. Rectissimè prætereà si uolumus cogitare, multo plura intelligemus esse nomina, quæ desunt, quam ea, quibus palàm utimur: etiam si nihil mutatum, nihil amissum foret. Quamobrem nos tanto éx numero eorum, quæ iam occiderunt, aut nondum sunt in lucem edita, quæ necessaria sunt, nouare conabimur, aut restituere, aut ijs, qui id facere cupient, uel cogentur: uiam, qua id faciant, ostendere. Quoniam uerò non unam in uocem, easdemque postremas in syllabas cadunt nomina, sed plures, ac diuersas habent formas, quibus neque adimi ullo pacto, nec addi licitum est alias, quodcunque nouandum sit nomen, ad unam ex his aliquam illud conformari oportebit. Erunt hæ nobis tamquam Romanæ tribus, in quas censeri necesse sit quod uerbum non peregrinari semper in nostra lingua, nec esse barbarum, sed ciuitate Romana donatum, & Latinum esse uolumus. Hos perennes esse quosdam, & simul cum omni mundo mansuros fontes nominum illis placuit, qui patres Latinæ linguæ, primique auctores fuerunt, contra ac stultissimi

Varronis libri de tribubus.

hostes

hostes Latinæ, & Italicæ gloriæ arbitrantur. Non enim posse aiunt nouum gigni aliquid ex eo sermone, quem ipsi mortuum cupiunt esse, & extinctum. Sed ego iam uenio ad quæ sunt mihi proposita ad scribendum, initio prius his paruis ex rebus ducto, quas uidelicet ipsi etiam grammatici usu tritas habent, unde tamen (antequam ascendatur ad maiora,) pedetentim apparere incipiat quanta sit copia latini sermonis, quanto esse maior possit, quanta, & quam æterna ex fontium ubertate hauriatur. Esto principium igitur quale iam dixi, ut hæc tota semper a minoribus crescat oratio. Ac primum singulis ex nominum formis, quas ante dicebam, scrutemur illam quæ cum cæteris est in ore omnium, unde est bellicosus, factiosus, religiosus, facinorosus. Hanc & reliquas, non omnes quidem, sed quamplurimas tamen persequi necesse est, quæ pertinent ad analogiam, de qua doctis hominibus, aut ideo scribendum est, ne recta illa, prima, & rudis grammaticorum declinatio ignoretur, quæ statim pueris tradi solet, quod etiam Varronis consilium fuit, in ijs libris quos de lingua Latina scripsit, aut uerba, ut nouandi rationem doceant, quod nos hic facere conabimur. Illa monstrat quemadmodum casus à casibus, personæ à personis, numeri à numeris, hæc autem nostra, ut nomina à nominibus uerba à uerbis, aut hæc ab illis, illa ab his, aut plurima, à se ipsis nascantur. Nunc illius

Prima nominũ forma vt facinorosus

lius generis nomina aggrediar quæ dixi. Hæc ipsa tamen à quarta declinandi forma & sexto casu fiunt saltuosus, quæstuosus, fructuosus, à saltu, quæstu, fructu. Alia ex his ad agendum sunt nata, ut stomachosus, fastidiosus, alia ad patiendum ut inuidiosus, odiosus, alia utranque naturam habent, ut laboriosus, operosus, formidolosus. Nam laboriosa res, uel operosa, uel formidolosa dicitur, quę plurimum affert laboris, operæ, formidinis, laboriosos autem homines, operosos, formidolosos, qui laborem, operam, ac formidinem aliunde illatam ferunt. Obseruanda sunt igitur, quę à rebus ad personas translata, notiones mutant. Aliud est enim gloriosus homo, gloriosus miles, quam gloriosa res, gloriosa uictoria. Grammatici hęc perquirant. Nostrum sit uidere, quam multa hæc sint, & quanto plura nos similia his facere posimus. Nec putemus hæc omnia simul cum sermone latino eße nata, sed à scriptoribus omnium temporum, quoties necesse fuit, analogiam sequutis inuenta. Semper enim licuit, immo adeo, necesitati parendum fuit nouandi, quæ prius non fuissent. Nunquam Romani hoc, sibi, aut infinitæ etiam posteritati hominum interdixerunt. Nulla unquam extitit illorum, ne significata quidem auctoritas, quæ impediret, aut quæ non præceptis, & usu ipso scribendi potius uiam nobis patefaceret ad siqua latinitati desunt. Nemo enim ex doctisimis ueterum, genus aliquod

quod attigit literarum, qui non sepius uerborum primus auctor fuerit. Qui putandum est igitur, eos, nulla ex parte nobis concedere id, quod sibi tantopere licere uoluissent? Hoc, si ratio ulla est, qua permitti debeat, illa profectò secundis omniū auribus & uoluntate, minimè dura mihi, aut inso lens uidetur esse, quum uerba ducuntur ex uerbis usitatis, recepta conformatione aliqua uerborū. Nam si religiosum hominem à principio latinitatis & bellicosam gentem, & aliquem factiosum, aut facinorosum diximus, nihil esse impedimento debuit, quin medici, hanc planissimam ingressi uiam, introducerent noua, quæ sibi uiderent esse necessaria, ut grauedinosos, gutturosos, lusciosos, ueternosos, & furfurosa etiam capita, facies, aut corpora nominarent. Iidem non populo aut consuetudine uulgi, sed Catone usi auctore medicamentosum quoque dixerunt, nec sunt ueriti oleosa quædam, fuliginosa, uinosa, aut flatuosa nominare, quemadmodum à morbis etiam, à pituita ramice hernia, lentigine uerrucis, caligine, suspirijs, uaricibus rabie insomnijs, carne, obliuione, similia nomina, uel ipsi, uel cæteri scriptores quamplurima fecerunt. Qui uerò nimium religiosi cupiunt uideri, nec recipiunt quæ sunt uel à doctissimis quæsita, inuenta, & iam usu trita, illorum ego non religionem puto esse aliquam, sed onus grauissimum stultæ mendicitatis. Non semper enim epistola

Ducere uerba ex uerbis usitatis.

scriben-

Quid faciet in scribendo qui uult tractare noua quędã, & minimè usitata elegantiapaucorum.

scribenda est, aut carminibus amatoriè ludendũ, sed ea tractanda sæpius, quæ non Virgilij, Ciceronis, aut hæc paucorum elegantia tueri potest, sed eorum nomina aut multo cum labore inuenias, aut ne cum labore quidem. Quare, ut is qui ærumnis abundat, qui fastidio, qui gratia, qui ingenio, qui officijs, ignominia, iocis, luxuria, numeris, obliuione, peculio, fama, opinionibus, pecunia, superstitione, quæstu, inopia, specie, sumptu studijs, ebrietate, uoluptatibus, animo, insidijs, libidine, flagitijs, hoc ipso ex fonte nomina acceperunt, sic alia multa sunt eodem pacto nata, ut rem multi luminis luminosam, sine fructu infructuosam, loca, regionesve, herba, gramine, aquis, paludibus, lacunis, mõtibus, frutice, salebris, cliuis, glarea, flexibus, latebris, niue, iugis, portubus, umbra, syluis, caligine, saxis, rubrica, uoraginib. pumice abũdantes, nomina hoc eodem ex loco accipiant. Hinc ærosum quoque aurum, ærosam terram, & ærosum lapidem dixerunt, furiosos etiam homines qui furijs agitentur, marmorosum quod est marmori simile. Nec mea interest, aut cuiusquam exponere quæ sunt à ligno, negotijs, opera, prodigijs, ostentis, neruis, pecore, scrupulo, tumultu, uadis, nummo, tenebris, impetu, lana, piscibus, onere, uitio, suspicionibus, labore, loculis, pluuia, ranis, æstu, rugis, stomacho, periculis, rhesina, obsequio, mammis, incœstu, labris, plaga, pustula, forma, probris, arena, imperio, nebulis, macula. Sunt etiam

plura,

plura, uortex, strepitus, otium, petra, ventus, pluma, populus, vena, pediculus, venenum, scrupulus, rima, vultus, lacinia, seta, nimbus, pluuia, pampinus, vnda, verbum, palma, spongia, scopulus, viscum, scelus, squama, spatium, genus, villus, caput, fabula, racemus. Nullum ex his est quod non pariat huius formæ nomen, & alia sunt adhuc multa si velim quærere & in singulis immorari, sed puto satis esse aliqua tantum indicare. Quædam non a perfectis nominibus ueniunt, sed illorum à deminutis quæ ὑποκοριστικὰ dicuntur. Nec siticulosus enim à siti, nec verniculosus, aut meticulosus vnde cætera sunt. Tortuosa ingenia fecit M. Tullius, tortuosam aluum, tortuosa loca, estq; id nomen formatum perinde atque si foret, à quarta forma declinandi. Torosum corpus, strigoso contrarium, sed pectorosum a pectoris magnitudine dicimus. Nec antiqui defuere etiam, qui belleborosos homines, aut granosum folliculum, aut spicas granosas, aut machinosam rem, ut insidiosam dicerent. Fragosa, confragosave loca dixerunt inculta, & aspera quædam, unde ad asperitatem quoque, & orationis componendæ vitia quædam, hæc non nulli transtulerunt. Formicosas autem arbores, truncos, aut loca dicimus quæ formicis abundant, & suspendiosos quibus uita suspendio terminata est. Multa hæc fortaße videbuntur, sed nondum est finis. Illud præceptum esto, similia his quum opus erit, fingi posse

Venientia a deminutis.

Veteres aperierunt uiam fingendi nomina pro rerum nouitate.

omnia quæ uolemus. Vt scias autem, hanc apertam à ueteribus uiam, ac legitimam fingendi nomina esse habitam, à ficis etiam, & a uictoria, & à literis docti quondam homines non contra latinitatem fecerunt, ut ficosos, uictoriosos literososque dicerent. Nullum igitur finem huic rei, uel terminos olim a Romanis esse positos arbitrabimur, ultra quos audere non liceat, nisi tantum unius commodi, & necessitatis. Nimbosum Oriona Virgilius, & pluuiosam hiemem alii, non communi ex usu linguæ dixerunt, sequitur hinc ut etiam aquosus ferendum esse uideatur. Hoc si fiat, acetum quoque, & vappa, ut uinum, & ruga, & scabies, ut rabies, & uigor & uorago, ut obliuio & cauerna, ut plaga, habebunt unde copia hæc augeri possit. Quamobrem ego, qui antiquitatem plurimi facio, & elegantiam sermonis & uerborum amplector illam, quæ circa imperium C. Cæsaris, & Augusti fuit, non reprehendo tamen si necessario quis, voraginosam esse terram dixerit, cauernosos colles, montosaque litora. Amo enim in loquendo modestiam, & verecundam esse volo audaciam nouandi, & offendor siquis temerè, licentiosèque nouitatem sectatur, sed nisi certos modestiæ, & verecundię fines tueamur, in timiditatis nimiæ uitia incurremus. Mulierosum hominum dicunt, amoribus mulierum nimis deditum, cur non simile à pueris, aut à scortis, meretricibusque nomen fiat? Non expecto

pecto equidem ut fiat, sed ostendo quam facilis uia, & aperta ei sit, qui facere id cogetur, ut latinitati, non uerba sed ipsi nos deesse uideamur. Petrosum dicimus locum, spumosum amnem, syluosas regiones, & zacynthum nemorosam Virgilius, captiosas interrogationes, quæstionesve alij, arenosum litus, & hominem (uti iam diximus) pectorosum, nec apud multos eiusmodi nomen est a capite, à uentre, neque id finxit quisquam à fronte, scapulis, collo, brachiis, utero, clunibus, tergo, humeris, lumbo: quæ non deessent, si in scriptonem, qui his egeret, incurrissent. Non enim erat, nec futurum putamus, quamobrem vitari oporteat, ut nec mammosam dicere mulierem, uel mammosas canes uitauerunt. Spongiosum, fungosumque pro eodem acceperunt, ut à pumice pumicosum. Facies etiam cadauerosa, & plantæ quædam spinosæ, domusque, & ædificia ruinosa dicuntur. Ac denique apparet iam, ut una tantum ex forma, innumerabilia ueteres nomina protulere, & hanc uiam nobis in promptu esse uoluere, quoties accidat, nouo ut uerbo carere non possimus. Dicant enim qui nobis repugnare hic audent, cur nouis uti non liceat? Romano, inquiunt, solo hic iure utimur. At, nos etiam hic Romani sumus, nec est apud maiores illos nostros legem inuenire ullam pro uobis constitutam. Non modo enim qui latinè primi scripserunt, Ennius, Cato, Decemuiri legum ferendarum, deinde Plautus,

parta in loquendi ac scribendi consuetudinem induxit. De his quidem verbis, sic statutum habeo, stultissimè eos facere, qui ea sentiunt perinde esse habenda, quasi nata prorsus nunquam forent. Sed venio iam ad quæ de nomine sequũtur illius formę, vnde sunt populabundus, sitibundus furibundus. Hæc si a prima cõiugatione uel quarta sint producta syllaba, dicuntur ea, quæ tertia postremam antecedit, ut priora duo a populatũ & sititum, sin a secunda vel tertia, eandem syllabã corripiunt, vt ridibundus, tremebundus, ab ijs vocibus, quas non habent ridendi vel tremẽdi verba. Propria hæc sunt latinitatis. Nã Græcis, vna & propria vox non est, qua dicere, hæc possint. Vis aũt ea inest his in nominibus, vt multo plus in ludibundo & iactabundo sit quã in ludente, aut iactante. Hinc etiã nobis infinitę copię locus erit. Nulla enim tãta necessitas esse põt nouitatis, quã hęc forma nominũ, cumulare non possit. Nã deliberabundus, cõcionabũdus, errabũdus penè apud oẽs leguntur, vnde infinita (quũ opus est) similia faciamus. Quid obstare necessitati debet aut mehercle dignitati orationis, aut copię, aut varietati quo minus talia a clamãdo ẽt, amplexando, mirando, ostentando, cursitando, certando, & infinitis hmõdi ducantur? Nã si Cicero ludibundũ, furibũdũ, tremebundũ, quæribundum, fremebundum, si Virgilius errabundum, moribundum, Sallustius prędabundũ,

Secũda forma ut sitibundus.

 & vi-

& vitabundum. Liuius uenerabundum, concionabundum, populabundum, deliberabundũ, tentabundum, nemoque reprehendit quod a Liuio nouata sint quæ Sallustius prætermisit. aut a Sallustio, aut a Cicerone quæ alius non dixit quisquam, profectò confiteamur necesse est, non certa quædam huic formæ nomina, certoque numero comprehensa a Romanis esse data, sed liberam hinc, apertamque uiam ad immemorabilia, nobis & omnium seculorum doctis hominibus propositam. Quamobrem ut uerear equidem, homo a natura timidus ad omnia, & is præsertim cui nondum accidit: nec multum uideo fore, ut possit accidere, ubi sitibundus quispiam, aut clamabundus, gemebundus, iocabundus, meditabundus, mirabundus, pauitabundus, lætabundus, cogitabundus, ridibundusve dicendus mihi sit, alios tamen audere omnes uelim, & timiditatem ipse nimiam reprehendo meam. Casabundum aliqui, & nutabundum, & mare undabundum sunt ausi dicere, quos ego auctores vehementer sequendos puto, ut illorum exemplo, nemini existimemus esse impeditum iter ad noua. Quare liberum sibi esse quidam putauere, negabundum, & Ouidius sudabundum, equum uerò alii spirabundum, atq; hinnibundum, & ἐπιῤῥηματικῶς hinnibundè dicere. Nascuntur hæc a uerbis tantum, sed M. Tullius quadam in epistola ad Atticum, non quod esse sciret in communi

vsu Romanæ linguæ, sed quod sibi veniret in mentem eo loco fortasse plus etiam assumere, quam timiditas mea hactenus postulare ausa est, etiam à nomine huius formæ nomen declinare voluit. Quùm complicarem, inquit, hanc epistolam, noctuabundus ad me venit cum epistola tua tabellarius. Orta autem à verbis non est cur extimescere, vel contemnere debeamus, nisi quorum, non satis constet analogiæ, aut necessitatis ratio. Neque enim frustra, nouitas verborum consectanda est, eaque sola non tantum laudatur, sed etiam flagitatur, quæ necessitati seruit. Quando autem analogia semper custodienda est, illud norunt omnes, eam vt ante iam docui, aut in declinatione verborum esse positam, vt lumen, luminis, lumini, & metuo, metuis, metuit: aut in ea ratione, qua verbum aliquod nouum, alijs verbis, quæ vetere vsu trita sunt, simile formamus & sua ad genera quædam referimus, vt æstuosum & lignosum dicere sumus ausi, quia innumerabilia eius formæ nomina esse, nostro in sermone videbantur. Hic verò, nemo ludibundum, vel concionabundum dixisset, nisi vetere similium, & copiosissimo aliorum nominum exemplo inuitatus. Nunc venio ad illius vocis nomina, somnolentus, vinolentus, corpulentus. Priora duo nimium & inueteratum significant vitium somni, aut vini, sed corpulentus nimiam corporis habitudinem.

Quibus in rebus posita sit analogia.

Tertia forma ut luculentus.

Turbulentum dicimus hominem, turbulentas conciones, turbulentissima tempora. Non plurima hæc sunt, quod quæ primi generis fuerunt si non eandem prorsus, at certè simillimam significationem habent. Siue enim piscosa littora: siue piscolenta maluissemus dicere, non valde interfuisset, & quædam sunt etiam in quibus literarum sonos coniunctionesque vitamus, aut sequimur. Nam si exempli causa duo hæc nomina proposita sint sputum & saliua, quanto literarum incommodo, & vocis asperitate, hinc saliuolentum, inde sputuosum diceres? Quanto est suauius à luto lutulentam suem dicere, quam lutuosam viam? A formidine formidolosum dixerunt, sed à fraude rectius fraudulentum, à truci truculentum, sicut à fæce, fæculentum, à violentia violentum; à luce luculentum. Hinc macilentum senem, macilenta animalia, sanguinolentum vulnus, pisculentum littus, aut purulentam vomicam, puluerulentum iter, & herbas rorulentas, analogia freti dixerunt: flatuosum tamen & flatulentum non extimescimus.

Esculenta, & poculẽta.

Esculenta, & poculenta nulla ætas verita est nominare, nec Plautus mustulentum. Quamobrem non reprehendas, quod amarulentum nõnulli finxerunt, & nisi à forma superiore nominum herbosa loca, valles, prata, aut syluas dixissent, nemo huius formę nomen ab herbis ductum vitauisset, nec venenosa, aut uenenata ob-

ſtare debent, quin viroſa quędam, aut virulenta dicamus. Aliud enim virus eſt, aliud venenum, vt illa pro his eſſe non poſſint. Cur præterea virulentum, cur mille huiuſmodi, vt violentum, ac temulentum eſſe non debeant? Poſſunt quidem certè, & quia poſſunt, non eſt cur non eſſe debeant, quoties nouo, neceſſarioque nomine accidit, vt carere non poſſis. Verum ego ad illam nunc formam tranſeo, quæ in eiuſmodi eſt nominibus, monumentum, detrimentum, hoſtimentũ. Quarta ut hoſtimentum.

Eſt enim duarum voce syllabarum ſuperiori ſimilis, tametſi abeſt hinc prima liquidarum litera, quæ eſt in corpulento, & ſomnolento, & illa ſemper qualitatis, hæc tantum ſubſtantiæ ſunt nomina. Ita enim ποιότηταν olim dixerunt, ita ȣσίας, ætate noſtra ſunt auſi nominare docti homines, quorum ego autoritate fretus, vtendum his cenſeo pro receptis. Huius formæ nomina fuere olim monimen, detrimen, hoſtimen. Mox productio ideſt παραγωγὴ, acceſſit illa qua Cicero ad Trebatium ex Seruij ſententia ſcribit ad nomen poſtliminij acceſſiſſe. Nihil enim amplius liminium eſſe vult Seruius, quam timum in æditimo, finitimo, legitimo, vel tullium in meditullio, et fortaſſe in matrimonio, vadimonio, mille que huiuſmodi, syllabas poſtremas. Atque hinc extitere, primùm quæ diximus monumentum, detrimentum, hoſtimentum. Duo prima exempla habent veterum, plurima, vt illud eſt

Candida Dido
Esse sui dederat monumentum & pignus amoris.

Quicquid enim ad memoriam spectat posteritatis, monumentum dicimus, vt sepulcra, fornices, columnæ, libri, annales, historiæ. Detrimentum à verbo est deterendi, vt

Laudes Cæsaris, & tuas
Culpa deterere ingeni.

Hostimentum verò ab hostiendo, quod in veterum lingua ad compensationes rerum dicebatur, vt Plautus,

Quin promitto inquam hostire contra, vt merueris.

Alia sunt quædam, nihil ad hunc locum pertinentia, vt omentum, capillamētum, cęmentum, sarmentum, lineamentum, paludamentum, & quædam alia, vt pulmenti, atramenti, emolumenti, talenti, ac pulpamenti, tomenti, vocabula. Quamplurima autem veniunt à verbis, vt firmamentum, indumentum, blandimentum, fundamentum, vestimentum, à firmando, induendo, blandiendo, fundando, vestiendo. Hinc æramenta dicimus, ea ratione, qua etiam ferramenta, sed auramentorum nomen instrumentis dederunt, auro purgando, vel effodiendo accommodatis. Hinc valuarum ornatus antepagmenta, hinc tabellas olim ad domos tegendas assamenta, hinc flores, vnde coronæ fiant, coronamenta,

Quamplurima ueniūt à verbis.

menta,

menta,& quæ fulciunt aliquid fulcimenta, & quæ ſunt odoribus prædita, odoramenta noſtri maiores, nouis quondam nominibus dixerunt. Sunt ex his quædam vetuſtiora, quibus addita non eſt ſyllaba poſtremã, vimen, putamen, ſpecimen, molimen, ſtatumen, ſtamen, lumen, ſubſegmen, nomen, ſumen, vocamen, ac numen. Alia contra, ſecundam habent vocem, carent prima, vt ſupplementum, teſtamentum, indumentum, veſtimentum; & innumera ſunt quæ formam vtrãque retinent, velamen & velamentum, tutamen, & tutamentum, tormen, & tormentum, vnguen, & vnguentum, tegmen, & tegmentum, piamen, & piamentum, reſegmen, & reſegmentum, rumen, & rumentum, ſuffimen, & ſuffimentum, ſpiramen, & ſpiramentum, ſtabilimen, & ſtabilimentum, ſtramen, & ſtramentum, medicamen, & medicamentum. Videtur autem hoc loco reprehendi poſſe à doctis genus hoc ſpinoſum, & exile orationis meæ. Minus enim ſplendidè, minus hęc ornatè à me dicuntur. Quæ enim oratio eſt, quæ ſcribendi elegantia, vbi nihil eſt aliud niſi multa, eandem in vocem cadentia, inſtrumentum, honeſtamentum, delectamentum, auctoramentum, ſupplementum, laxamentum, inuitamentum, ſacramentum? Sed ferri inconcinnitas hæc orationis debet, ſi commodum nos illud hinc ſequitur, vt videre poſſimus quemadmodum Romani auctores, hæc ſequuti

Quando ferri debet inconcinnitas orationis.

quuti exempla, sunt ausi etiam dicere illa, quæ nostra ætas reformidaret, nisi grauem habeat auctorem, complementa, equimenta, frequentamenta, inclinamenta, loculamenta, lutamenta. Quia enim erant antea, quæ videbantur esse meliora, paulatim per similitudines, analogiæque vias, ad hæc ventum est etiam duriuscula, vt minimè verendum putarint ad nomen experimenti, documenti, impedimenti, incrementi, incitamenti, fundamēti, medicamenti, irritamenti, momenti, iuramenti, quæ sunt vsu tritiora, addere etiam, quę asperrima fuerunt, meditamentum, libramentum, lomentum, recisamentum, spissamentum, scitamentum. Hinc audentiores *facti, non modo intertrimentum, linimentum, fidelimentum, opprobramentum, retrimentum, rudimentum, salsamentum, sed ne polimenta quidem, præpedimenta, tentamenta, lenimenta, terriculamenta, turbamenta, tinnimenta, lomenta, lanamenta, & offerumenta, dicere timuerunt. Ex his, quæ dicta sunt, & quæ in auctoribus leguntur, quemadmodum ex cæteris nominum formis, mihi quidem via se aperit ad infinita. Quamobrem non sunt vitata à doctissimis, quæ esse potuerunt à delinitum, fictum, fotum, inquinatum, tectum, irritatum, iugatum, leuatum, machinatum, & si figmentum, fomentum, tegmentum nonnulla fiant mutatione literarum, nec operimentum, nec ostentum, sedi-*

mentum,

mentum, segmentum, ramentum, sæpimentum, strigmentum eadem prorsus ratione formantur, qua cætera. Multa enim præterea vix scias vnde, aut quomodo nata sint, vt fragmentum, pauimentum, alia, detractione quarundam syllabarum fiunt, vt quod lamentamentum esse debuerat, lamentum fuit. Hæc denique, eo à me dicuntur, vt sciamus ne his quidem plurimis contentos nos esse oportere, nec finem esse debere ullum, quoties necesse est doctissimis, prudentissimisque hominibus, ac diu in scribendo exercitatis inueniendi noua, & sibi ipsis laborique suo prospiciendi, & sermonis latini locupletandi. Hoc autem facere, qui velit, nec ei doctrina, iudicium, exercitatioq; desit, aliquam certè ex his, quibus dixi, aut mox dicam, formis sequatur necesse est. Vt enim qui ciuis olim Romanus fiebat, aliquam in tribum describebatur, sic uocabulum quodcumque nouandum est, ad unam ex his formis quamplurimis conformandum erit. Ac venio ad ea nomina quæ eiusmodi in vocem cadunt, prætorium, ambulatorium, diuersorium. Sunt hæc alia substantiarum, alia qualitatum, alia substantiarum; & qualitatum simul. Prætorius enim uir, prætoria cohors, prætorium ius quum dicitur, ad qualitates pertinet, sin absit uirile genus, ac muliebre, solam ad substantiam refertur. Substantiæ solius est, auditorium, quo ad audiendum conuenitur. Quæ

Multa vix sciri potest, vnde sint nata.

Quinta forma, vt prętorius.

dam à nomine, quædam à verbo docti homines fecere, amictorium, lictorium, ut pacificatoriam legationem, suppuratoriam uim, & extractoriam, iugatorios boues, damnatorium iudicium, candidatorium munus, pugillatorium follem, au cupatorios calamos, & hostorium fuit olim, quē ad æquandas mensuras frumentorum nunc radium uocamus. Quoniam uerò cognosci hacte nus potuit hæc non à uerbis tantum fieri, ut à te gendo tectorium, & sunt etiam à nominibus, ut qui dicti sunt lictorij fasces, & prætoria dignitas, non mirabimur liciatorium quoque à licijs esse nominatum, ut ab holeribus holitorium, a quæstore quæstorium, quod etiam si uerbum non desit quærendi, à nomine tamen quæstoris est potius, quam à uerbo, quemadmodum imperatorius, oratorius, declamatorius, prædatorius, recuperatorius, prædiatorius, suasorius, sutorius, pastorius, piscatorius. Nec plurimi tamen refert, nunc quidem, si nolim statuere, vtrum à no mine quædam sint, an a uerbo. Nugatorius enim, uiatorius, uindemiatorius, sutorius, a nuga tore sunt potius, uiatore, uindemiatore, sutore, & contra sudatorium, seclusorium, tractorium, oper torium, tectorium, portorium, prætorium, iugato rium, a suis unumquodque uerbis. Quid hæc ta men (dicat aliquis) augent copiam latinitatis? Illud videlicet, quod iam sæpius dictum est, ut hinc, si necesse sit, similia faciamus infinita.

Hanc

Hanc enim sequuti uiam, qui post C. Cæsarem fuerunt, sibi permisere etiam, non modo ut signatorium, & absolutorium, sed repertorium quoque, refrigeratorium, ac mitigatorium dicerent. Medicis enim longo interuallo post amissam rem pu. illa, quæ ἀναψυκτικὰ, uocantur, & ἀνώδυνα, quum dicenda essent, nec tanta in uetustate sermonis esset quomodo id fieri posset, noua ijs verba suppeditauit ipsa hæc ratio analogiæ; ut quemadmodum recuperatorios iudices apud M. Tullium, & senatorium ordinem, sic refrigeratorias medicinas, & mitigatoria unguenta, aut remedia dicerent. Hoc si necessario, & vtiliter illi fecerunt, nos etiam & necessitati parere, & latinitatis amplitudini prospicere, & homines doctissimos, qui hoc sequuntur laudare, atque ijs habere gratiam debebimus. Illa uerò non multa sunt, quæ in hanc formam cadunt, loquax, mendax, fallax. Hinc nomen edacibus, fallacibus, ac bibacibus fuit, itemque pertinacibus, dicacibus, uoracibus, hinc audaces, dicaces, furaces rapacesque dicti sunt & pugnaces. Nouum apud quosdam fuit, quod vinum fugax, & gemmas, & poma fugacia dixerunt, quæ minimum durant, & quæ fugientia quoque nominarunt. Nam uino, si acescere id incipiat, uel quoquo modo præsentem bonitatem uideatur esse amissurum, uel gemmis, quæ adulterinæ sint, pretium, aut splẽdor decessurus, uel pomis, rebus ve alijs,

Medici ex M. Tullio usi sunt analogia.

Vi, ut fugax.

quas

quas mutari intra breue spatium, uitiarique necesse est, id nomen dederunt, ut fugacia hæc omnia appellarent. Nulla omnino ex his formis est, quæ non veluti fœcunditate quadam suã augeat copiam latinitatis. Non enim pugnax tantum, aut mordax, aut sequax, aut uerax, aut illa in ore omnium suspicax, verax, uiuax, contumax, uorax, capax, efficax, sed sternax, pellax, & denique inaudax etiam esse dictum ab Horatio pueri sciunt. Linguaces etiam olim esse dictos à maioribus inuenio, & hanc vocem diu usurpari desitam rectè ab A. Gellio, doctisque alijs esse renouatam. Nemo fortasse auderet ætate nostra emacem, uendacemque sine veterum auctoritate dicere a uerbo emendi, ac vendendi, ego verò non solùm M. Tullium, & M. Varronem laudo, qui hæc a M. Catone acceperunt, uel Catonem amo ipsum, qui hoc etiam loco patrium sermonem his nouis duobus verbis, (ut ait Horatius) fortasse primus ditauit, immo etiam cupio illius, & ueterum omnium exẽplo doctos omnes, & in sermone latino multum, ac diu, rectißimèque uersatos verborum, quibus egeant, primos auctores fieri. Nec uis, atque usus Grammaticæ, nullus in ratione loquendi esse debet. Hanc respicientes igitur antiquorum doctissimi, quoties opus esset, non temere nec vulgi, ac multitudinis errorem sequuti, nouis de uerbis cogitabant, sed quas dictum est, &

quas

quas dicam formas (id quod nobis etiam ac doctis omnibus faciendum est) intuebantur. Quamobrem redeo, vt ex his quæ sequuntur uideã, si quid nobis ad nouam copiam suppeditari possit. Nec præteriri oportet multa, quæ illius modi sunt, seminarium, tabularium, auiarium. Sunt hæc substantiarum, alia verò qualitatum, uel ministeriorum nomina, vt Saltuarius, gallinarius, librarius; Nec est quod mihi substantiæ, vel qualitatis nomen atque insolentiam reprehendat quisquam. Qualitatis enim ipse M. Tullius in quæstionibus Academicis nouauit, substantiæ autem nomine Philosophi carere nequaquam possunt. Nec video cur, si prestare dicimus, nõ substare etiam dicatur, quum præsertim eius uerbi Terentium habeas auctorem, nec, si à prestando, prestantia est, non à substando substantia esse debeat. Nos pro eo, quod est ὀσία, vel opes, vel bona, uel fortunas dicimus. Itaque in communi usu loquendi necesse non fuit pro his substantiam dicere, sed illa, quę apud Philosophos est, quando naturę nomen πολύσημον, & valde ambiguum est, vix aliter quam substantia posset nominari, nec usitate Philosophi quidam, tametsi latinissimi, sic argumentantes loquuntur, vt si omnis arbor natura est, & pirus est arbor, hinc fieri pirum quoque esse naturam. Magis usitatè, magis propriè, addo etiam magis expressè

presſè ſubſtantiam hic dici quam naturam. Non dubitandum igitur noſtros, ſi plenius de Philoſophia ſcribere uoluiſſent, ſubſtantiam ſępius, quam naturam fuiſſe dicturos. Inſolentius fuit, ac durius, quod eſſentiam quoque ex noſtris maioribus quidam dixerunt, quę nõ eſt, vnde naſci poſſit. Sed reuertor unde ſum digreſſus, vt pauca ex ijs proponam, quę oſtendi innumerabilia, penarium, vinarium, roſarium; Primum igitur de ſubſtantię nominibus.

De nominibus ſubſtantię.

Voces ad ſignificandum ubi ipſæ res ſunt repoſitę.

His ea ſubiecta vis eſt, ut locum ſignificent, ubi res ipſę locatę ſunt, ac repoſitę, ſitque penarium, peni locus, ut ſacrarium, ęrarium, tabularium, in quibus res ſacrę, vel ęs, vel tabulę reponuntur. Significantur his nominibus etiam loca, vbi rerum copia eſt illarum, vt aluearium, roſarium, uiuarium, pampinarium, quorum valde facilis, & in promptu omnibus ratio eſt. Non multa ſunt, quę ad rerum ſubſtantias pertinent, vt ueſtiarium, cellarium, granarium. Hinc nomina fiunt à plumis, à pane, à columbis, ut plumarium, panarium, columbarium dicatur: item à cibis, à fœniculo, à gallinis, à plantis, ab oſſibus, à carne, à uapore. Sed multo plura ſunt, fermeque innumera, & poſſunt eſſe infinita, quæ accidentium, vel qualitatum ante nominaui: vnde M. Tullius, Hortenſium & Lucullum, qui nimium piſcinis delectarentur, neſcio an valde uſitato nomine uocat piſcinarios,

cinarios, & Cn. Pompeium à deuictis Hierosolymarium, quòd fortasse nimium sibi ex illa victoria placeret. Hunc nos reprehendemus igitur, & Romanæ linguæ parentem accusabimus, quod nec usitatè, nec Romanè loquatur? Dij auerruncent inquis, nec in mentem ueniat cuiquam, latini sermonis Deum quendam, uel sola, ac tacita cogitatione uiolare. At nouationem eiusmodi non sibi tantùm hic auctor, aut illius tantùm seculi hominibus uoluit esse permissam. Quæ enim tanta posset esse stultitia, ut is, qui modis omnibus patrium augere sermonem cuperet, non & suis maioribus haberet gratiam, qui hoc fecißent, & cunctę posteritati, & nobis inuidisset, si quid adiuuare illum in ea re poßemus? Quare nisi illa desint, quæ sæpius iam dicta sunt, necessitas uidelicet in rebus ipsis, & rectissima latini sermonis sciẽtia in scriptore, sciamus nouorum uerborum, nullis neque hominibus, neque seculis, neque gentibus auctoritatem ipso à M. Tullio, aut à Romanis ueteribus negatam esse. Quæ ponam igitur hoc loco, non reprehendat quis, aliunde quam ab illo, aut ætate illius eße allata. Animaduerti enim de nostris auctoribus, qui ante illum fuere, aut postea sunt insequuti, neminẽ eße omnino, qui multa, & noua, atque intentata non protulerit. Ac primum ad hanc uocem, sed non ad hunc locum pertinent, solita-

Hierosolymis.

Nouatio uocũ, omnibus seculis permissa est.

rius

rius, temerarius, topiarius, manifeſtarius, refractarius, ualetudinarius, ſubitarius, cōtrarius; item à numeris illa primarius, ſecundarius, tertiarius, quartarius. Primarius enim vir, primaria fœmina, primarij ciues, & primario loco homines dicuntur. Secundarium uocant panem, & nos rectè ſecundarium dicere caſeum poterimus: quamquam ſit etiam ſecundarius pro ſecundo, ut; Idem (inquit Cicero) faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Craſſi quaſi ſecundarius. Eſt adhuc ſecundus uiciſſim pro ſecundario, vt apud Horatium.

Paſti ſiliquis, & pane ſecundo.

Tertiarium, uel aurum, uel argentum, vel ſtānum dixere, uel res cæteras, quæ tertia parte rei cuiuſquam ſimilis adulterantur; ſunt etiam nota quartarius, & quartanarius. Poterat eſſe tale nomen à quinque, nec defuit à ſex, ut ſextarium, congij ſextam partem dicamus. Fiunt præterea non ab eo quod eſt octo, nouem, decē, ſed octona, nouena, dena, Octonarius, nouenarius, denarius uſque ad quadragenarium, quinquagenarium, centenarium, millenarium, multifarium, & omnifarium. Sed redeo, ad quæ ſunt huius loci propria, nec diu quæri uolo, de Friuolaria, & Aulularia Plauti fabulis: illa certè ſunt ſcriptorum omnium, legionarius, auxiliariusuè miles, agrariæ leges, hæreditaria bona, argentaria ratio, redarius ſeruus, aut etiam le-

cticarius,

ftiarius, unciarium fœnus, frumentaria legatio, legataria prouincia, consiliarij amici, coronarij flores, emissarius, admissarius ve equus, tabellarius hospes. In his uiolarium quoque, & aluearium, & igniarium, & multa huiusmodi esse possunt, quæ tamen, vt igniarij nomen copiam, locumve non significant. A nundinis dixere nundinarium, cuius valde est aperta notio. Ordinarium quoque, sicarium, usurarium, sanguinarium non est cur debeam explicare. Aes caldarium, & mulieraria manus quid sint, ipsa nominum ratio ostendit: arenarios autem homines, & bestiarios dixerunt, qui in arena certarent, uel qui ad pugnandum cum bestijs damnati essent, & nomine substantiæ arenarias vnde arena effoditur. Magnas habet hæc forma commoditates, quæ ministerijs, functionibusque penè omnibus (vt in tertio librorum de lingua latina docui) nomina accommodat. Hæc enim fecit, vt apellatione propria non carerent, qui carbones faciũt, qui parietes crustant, qui ostijs, aut cubilibus præsunt, ut carbonarij, crustarij, ostiarij, cubicularij dicantur: item qui pecoribus, qui belluis, qui penui, carnibus, materiæ, abietibus, farinæ, et qui medicamenta conficiũt, qui herbas norunt, qui incendia faciunt, qui munus populo exhibent, qui condimenta uendunt, qui lanceas gerunt, gallinas curant, loris utuntur, machinas tractant, in macellis uersantur, fe-

Huius formæ commoditates.

ras mansuefaciunt, pedibus in sententiam eunt, præstigijs turbam eludunt, pigmenta excogitant, odores concinnant, onera ferunt, operas locant, manticulas furantur, ædificijs materiam suppeditant, capras pascunt, in molendinis morantur, muscas uenantur, nauiculas gubernant, partem ex possessionibus capiunt. Sunt hæc multa, sed nondum est finis. Nec falsum est, quod ante iam dixi, colligi hæc, aut numerari vix posse, & nobis vberrimum hinc fontem esse ad infinita. Itaque videamus illa, quæ se quuntur. Non desunt huiusmodi nomina, quæ à frondibus principium habent, pecunijs, oliuis, nummis, ouibus, pampinis, imaginibus, salsamentis, sellis, linteis, sanguine, sumptu, tabernis, stuppa, tributo, superficie, suibus, sulfure, pulmonibus, tesseris, tumultu, uestib. subsidio, statuis, pulte, uexillo, tẽpore, sarcinis, uoluptate, lignis, retibus, vitro, statione, sacculis, rore, tigno, stercore, sagittis, stipendio, testamentis, urna, rude, palma, tutela, armento, vulnere, vnguento. Scio hæc dici molestissimè, sed cognosci ex multis cupio quæ iam dixi infinita. Quamobrem non tam dici à me, quàm cogitari à studiosis volo, quæ sunt à lamentando, quæ ab intercalando, gesticulando, vt sciamus hæc duci etiam aliquando à verbis. Nec insularium ab vrbanis insulis dicere timuerunt, nec indusiarios, nec patellarios, pellicularios, arrectarios,

Hinc vberrimus fons ad infinita alia.

rios,

rios, transuersarios, pollinarios, polentarios, scrutarios. Iam plagiarij vetus nomen est pro eo, qui iniustam in alios exercet seruitutem, vnde lex extitit plagiaria. Sic honorarium quoque arbitrum dixerunt, quem uterque litigator honoris causa summum controuersiæ totius iudicem legerunt. Sic honorarium apud maiores, donum erat, quod nouo magistratui prouinciam ingresso dabatur, & honorarium sepulcrum, quod κενοτάφιον Græci uocant. Rei rusticæ scriptores camerarium nominant cucurbitę genus, quod in pergulas, aut arbores uitis instar serpit. & Varro locarium, quod in diuersorijs pro loco soluitur: alij herbam lactariam, quòd lacte abundet, leporaria in quibus, aut cætera animalia. aut ipsi lepores nutrirentur. Quæ uerò sunt apud Virgilium.

Crurum tenus à mento palearia pendent.

Non ad hunc locum pertinent, nec eadem ex hac forma nascuntur, nisi à conseruandis paleis ducta sint. Nostra aut paulò superior ætas pennarium quoque, & calamarium dicere est ausa, ut antiqui pomarium, promptuarium, uiuarium, salarium, trigarium à trigis, qui sic dicuntur, ut quadrigarij à quadrigis. Nec miratur quisquam porcarios olim, porcinarios, strophiarios, & subrostrarios esse dictos. Nec uenenarios, solearios, utricularios, uicarios, uenalitiarios, uinearios, uiuarios, funes subductarios,

compendiariam uiam, stutarias fabulas, & à verrucis verrucariam herbam. Quid? nonne infantariam quoque mulierem docti quidam homines dixere? Nimis ambitiosè inquiunt hoc fecere, & audaciter, & contentos nos esse oportebat iis, quæ ipsa antiquitas peperit, nec noua, ac superuacanea inducere, & satis erat, quòd puerperam nostri maiores dixerunt. At, puerpera est, quæ adhuc ex partu dolet, aut certè paucis ante diebus peperit: infantaria autem semper, dum lacte nutriat infantem. Silentiarios etiam dixerunt quidam. Hìc, si me roget quis, ego, ut iam dixi, à natura timidus, nescio, an quædam ex his ausus essem, laudo tamen eos, qui suo periculo, aut potius virtute mihi animum, & securitatem faciunt, nec ipse laudari volo, si necessaria fortaße non audeam. Sunt limbolarij apud Plautum, sunt ridicularij, arcularij. est apud vnumquemque ueterum ita magna nominum huiusmodi multitudo, ut colligi non satis magna ex parte queat. Substantiarum illa sunt nomina, solarium, tepidarium, termentarium, corollarium, muscarium, carnarium, ulmarium, uitiarium. Laudo etiam doctos, qui ualetudinarium dixere pro domo, in qua ualetudine affecta homines curantur. Ex cænacularia denique, & vesticularia, de quibus uolebam dicere, mihi uenit in mentem, quòd nostris in libris de lingua latina dixi, officinarum quoque, &

Quæ sit infantaria mulier.

Valetudinarium, quod sit.

& artium ipsarum, ac functionum hinc fieri nomina, ut sulfuraria, uitraria, manicularia, uasaria, unde non metuendum est, argentariam quoque, & aurariam ab argentarijs, & aurarijs dicere, nisi pro auraria esset aurifodina. Denique hinc artis fornariæ nomen, & ossuariæ, & arenariæ, & corollarij, & locarij, & aquarij, & escarij, & fermentarij, & pulmentarij, & colonarij: itemq; muscarij, cæmentarij, fugitiuarij, & lutariæ anguillæ, uigesimarij auri, pilarij militis, glebarij bouis, tum Varro ipse tum cæteri homines docti acceperunt. Non erit finem reperire, aut horum nominum, aut eorum, quæ antea ostendi, plurimorum. Sed hoc loco mihi reclamabunt, qui tantùm angustissimis inopiæ suæ finibus contenti, ea solùm probant, quæ M. Tullio, aut ætati illius fuisse in usu cognoscunt. Illi uerò si à doctissimis audirentur, nihil eßet à quoquam in latino sermone dictum pestilentius. Licuit enim, aut potius necesse fuit maioribus, nouarum rerum paucissimarum causa uerba nouare, quæ non erant; nobis propter iura penè omnia, mores, religionem, ritus, uitam denique ipsam multis modis mutatam, non neceße erit, nec licebit? Nimirum non intelligant isti, quid sit, quibus ve in rebus positum sit, id quod tantopere expetunt, ueterum doctissimorum, aut Ciceronis more loqui. Ac profectò non uerbis ea res conficitur, sed ipsa

Necesse est aliquando nouare voces.

potius oratione, loquutionibus, textura, ac formis quibusdam loquendi: poteſtque oratio illius tantùm composita uerbis nihil habere cum illo, aut cum ueteribus commune, & rurſus multorum nouatione uerborum modo neceſſaria, & moderata ea ſint, propter quas dictum eſt loquutionum formas tantum accuratè, & eleganter expreſſas, ipſo à Cicerone, ac à ueteribus composita uideri. Sed quoniam tanta mihi copia oritur ſermonis ex his uerborum formis, quantam fortaſſe, ne ipſe quidem ſatis à principio uidere potuiſſem, iam placere incipio mihi, & fieri ad meum hoc inſtitutum alacrior, & rectiſſimè putare inter multas, hanc etiam, ut iam dixi, M. Varroni uiam adiumento fuiſſe ad copiam latinitatis eruendam. Redeo igitur, ut quæ ſuperſunt, exponam.

VIII, vt votiuus. *Non pauciſſima in illam uocem cadunt, omnia qualitatum nomina, deliberatiuus, uotiuus, adoptiuus. Definitiuum, demonſtratiuum, ac deliberatiuum cauſæ genus uocant rhetores, notum pueris. Votiuum eſt, quod nos ex uoto promiſimus daturos, ut;*

Paſcitur in ueſtrum reditum uotiua iuuenca.

Ergo, & ſacra uotiua, & peregrinationes, & iter, & pecuniam, & ueſtitum, & ieiunia, & uigilias, & omnia, quæ ex noſtræ religionis more, uoti cauſa fiunt, uotiua, & ludos uotiuos, & legationem uotiuam, dicere poterimus. Pertinet

tinet enim ad copiam quoties accidit, hæc monere. Natiua multa, & alia translatiua, & adoptiuum dicimus filium, ut Cicero adoptiua etiam sacra in oratione pro domo sua nominauit. Nos illum intuebimur locum oratoris, nec sacra tantum Fonteia, sed etiam quæ M. Fonteij erant, domum, familiam, honores, & maxima, minima omnia, is adoptiua dicere potuisset. Natum hoc nomen est à primigenio optiuus, quod uetustiores dicebant, & Horatius retinuit, ut;

Optiuo cognomine crescit.

Sunt furtiuus, & fugitiuus, puerilis notitiæ, & satis est hinc formare similia, nec huius est loci, Martis illud cognomen Gradiuus. Dulcem quoque, & facetum hominem, aut sermonem festiuum dicimus, unde nominata est etiam loquendi festiuitas. Sunt cadiua poma apud rei rusticæ scriptores, sponte è ramis cadentia, & hinc recidiua, uel eadem notione cum cadiuis, uel sunt quibus iterum accidit, ut caderent. Instaurativos dicebant ludos, qui pro ijs, qui intermissi erant, aut uitio facti, instaurabantur. Instauratiuum ergo sacrum, aut res diuina quæpiam dici à nobis potest, quoties accidit, ut propter uitium interueniens aliquod iterari oporteat. Dicitur à uerbo instaurandi, quod ferè ad ea, quæ habent in se religionem aliquam referuntur, ut instaurare funus, bellum, sacra, ludos, cærimonias, nec sæpius ad quæ religione prorsus Instaurativum sacrum quando dicipotest.

potius oratione, loquutionibus, textura, ac formis quibusdam loquendi: potestque oratio illius tantùm composita uerbis nihil habere cum illo, aut cum ueteribus commune, & rursus multorum nouatione uerborum modo necessaria, & moderata ea sint, propter quas dictum est loquutionum formas tantum accuratè, & eleganter expressas, ipso à Cicerone, ac à ueteribus composita uideri. Sed quoniam tanta mihi copia oritur sermonis ex his uerborum formis, quantam fortasse, ne ipse quidem satis à principio uidere potuissem, iam placere incipio mihi, & fieri ad meum hoc institutum alacrior, & rectißimè putare inter multas, hanc etiam, ut iam dixi, M. Varroni uiam adiumento fuisse ad copiam latinitatis eruendam. Redeo igitur, ut quæ superſunt, exponam.

VIII, vt votiuus. Non paucißima in illam uocem cadunt, omnia qualitatum nomina, deliberatiuus, uotiuus, adoptiuus. Definitiuum, demonstratiuum, ac deliberatiuum causæ genus uocant rhetores, notum pueris. Votiuum est, quod nos ex uoto promisimus daturos, ut;

Pascitur in uestrum reditum uotiua iuuenca.

Ergo, & sacra uotiua, & peregrinationes, & iter, & pecuniam, & uestitum, & ieiunia, & uigilias, & omnia, quæ ex nostræ religionis more, uoti causa fiunt, uotiua, & ludos uotiuos, & legationem uotiuam, dicere poterimus. Pertinet

tinet enim ad copiam quoties accidit, hæc monere. Natiua multa, & alia translatiua, & adoptiuum dicimus filium, ut Cicero adoptiua etiam sacra in oratione pro domo sua nominauit. Nos illum intuebimur locum oratoris, nec sacra tantum Fonteia, sed etiam quæ M. Fonteij erant, domum, familiam, honores, & maxima, minima omnia, is adoptiua dicere potuisset. Natum hoc nomen est à primigenio optiuus, quod uetustiores dicebant, & Horatius retinuit, ut;

Optiuo cognomine crescit.

Sunt furtiuus, & fugitiuus, puerilis notitiæ, & satis est hinc formare similia, nec huius est loci, Martis illud cognomen Gradiuus. Dulcem quoque, & facetum hominem, aut sermonem festiuum dicimus, unde nominata est etiam loquendi festiuitas. Sunt cadiua poma apud rei rusticæ scriptores, sponte è ramis cadentia, & hinc recidiua, uel eadem notione cum cadiuis, uel sunt quibus iterum accidit, ut caderent. Instauratiuos dicebant ludos, qui pro ijs, qui intermissi erant, aut uitio facti, instaurabantur. Instauratiuum ergo sacrum, aut res diuina quæpiam dici à nobis potest, quoties accidit, ut propter uitium interueniens aliquod iterari oporteat. Dicitur à uerbo instaurandi, quod ferè ad ea, quæ habent in se religionem aliquam referuntur, ut instaurare funus, bellum, sacra, ludos, cęrimonias, nec sæpius ad quæ religione prorsus

Instauratiuum sacrum quãdo dici potest.

 carent.

carent. Rediuiuus, primum substantiæ nomen est, unde rediuiua dicuntur pro materia, ueteris, ac diruti ædificij, ut lapides, columnæ, marmora, nouo ædificio utilia: qualitatis uerò, eum demonstrat, qui defunctus uita, reuixit. Non frequenti in usu nomen hoc esse poterat olim apud nostræ religionis ignaros. Illi enim solas poetarum fabulas narrant, ut Aesonem à Medea, & Hippolytum à Diana dicant uitæ fuisse restitutos. Historijs etiam uideri uolunt, quòd Cælius Tubero, A. Viola, L. Lamia reuixerint, quùm essent iam elati. At nostris in literis, & sacris omnibus nulla tam crebra, nec tam neceßaria mentio est, quàm reuiuiscentis Christi, & eorum, quos ab eo scimus ad uitam esse reuocatos. Et ne de singulis dicendum sit, statim illo in cruce mortuo, è sepulcris quamplurimi exeuntes rediuiui, sese multis apud Hierosolyma ostenderũt.

Omnium mirabiliũ mirabilis, dies vniuersalis iudicij.


Sed nihil mirabilius uidit natura, nihil præstabilius humanum genus, aut salutarius accepit, quàm quod nobis promissum diuinitus est, in postrema seculorum omnium die, omnes omnium temporum, & omnium terrarum animas, ad corpora ex tumulis, ex pelago, ex flammis, ex puluere, ex uento recepta, eße redituras, foreque ut cum rediuiuis corporibus, æuo sempiterno cum diuis in cœlo fruantur. Hæc igitur quæ pro dignitate cogitare nõ potest quisquam, habent renouatum ex antiquitate Romana uocabulum,

ut quæ sunt nostræ religionis propria, rediuiuum Christum, rediuiuos homines, rediuiua corpora dicere possimus. Iure etiam suo Catullus, auctor nobis aliquid audendi fuit, ut solus hinc irrediuiuum faceret. Sunt illa duo inter se contraria tempestiuus, & intempestiuus. Prærogatiua, ius est illud, quo primus in Senatu, uel comitijs, aut alter altero prior quis sententiam rogatur: item, quo uel singuli homines, uel inter se ordines aliquo in conuentu pro dignitate alter alteri præponitur. Habent hic studiosi latinitatis ad quæ sæpius transferre, accommodareq; prærogatiuam poßint. Exeunt in hanc uocem conceptiuæ feriæ, statiua, & statiuum præsidium, statiuæ munitiones, quarum uestigia non puto maiora esse, uel crebriora, uel magis æterna, quã ea, quæ in Salentinis latè, profundè, ac longißimè, pro castrorum fossa cauato saxo inter Vriam, et Manduriam antiquas urbes uisuntur. Rusticarum rerum scriptores habent in usu, ut uitem dicant arbustiuam, illam, quæ apud poetam est;

Vlmisque adiungere uites.

Sectiuæ plantæ apud eosdem sunt, quæ, ut porrum, secantur. Oliua apud Catonem, uel caduca est quæ spontè cecidit, uel strictiua, quæ manu collecta est. Tortiuum quoque mustum, analogia eadem tuetur, ut satiuum porrum, succisiuum tempus, interpensiuos parietes. Quàm frugifer

autem



autem hic locus, fructuosusque sit, ex eo potissimum cognosces, quod in his, quæ posui nominibus, multa, ne cogitata quidem à M. Tullio, & oratoribus aliquando fuerunt, nec ea communis usus peperit, sed sola necessitas homines doctos, ut noua fingerent, coegit, cui necessitati etiam nos parere debebimus, ut rhetores, grammatici, Philosophi, medici, & magistri doctrinarum, qui tanta hic libertate sunt usi, ut nullum simile nomen fugituri fuisse uideantur. Nec ad postremum locum reseruandi sunt, quæ eiusmodi finiuntur in syllabas, ut uenalitius, ascititius, aduentitius. Primum ex his nomen eum demonstrat, qui uenales habet seruos: reliqua duo sunt ad locum non proprium aliunde translata. Hoc tamē differunt, quòd ascititia sponte à nobis quæsita sunt, aduentitia autem casu acciderunt. Eadem notione inter se hæc duo sunt, fictitius, & commentitius, ut comminiscendi, & fingendi uerba. Adoptatitius, pro eo quod proximè adoptiuum diximus. Simili uoce, diuersa tamen à superioribus natura sunt, gentilitius, nouitius, natalitius, patritius, nutritius. Sed quę sunt huius loci, ea partim à nomine ducuntur, partim à uerbo. A nomine sunt, lateritius, cæmentitius, cannitius, cratitius, stramentitius, quibus eas res notamus, quæ ex lateribus, cæmēto, cannis, stramine, cratibus, factæ, materiataq; sunt. Sed ædilitij, ac tribunitij dicti sunt, qui

IX, ut uenalitius.

ædilitatem,

ædilitatem,uel tribunatum gesserunt,quibus ex nominibus formari non potuit,quale est à Senatu, consulatu,censura, Senatorius,consularis, censorius. Ex his fecimus igitur,ædilitium hominem,ædilitia comitia,ædilitium munus,tribunitiam potestatem, tribunitiam intercessionem, tribunitios furores, sed à pastoribus M.Tullius fistulam pastoritiam fecit,idque uel intermortuo auctore,uel raro,uel fortasse nullo. Sed quã is auctoritatem sequi magis debuit, quàm quæ sæpius iam dicta est,necessitatis,commodi,analogiæ,& latinitatis? Quæ autem sunt à uerbis, ea ad patiendum pertinent. Sic enim libet nunc mihi dicere,quæ παθητικὰ *à grammaticis dicuntur. Nam collectitius exercitus, dedititius miles, translatitium uerbum, translatitius mos, translatitium edictum,conductitia domus, ascriptitij Dij, ascriptitij ciues, arreptitius homo, supposititia mater,artoptitius panis, emptitia possessio, prædatitij boues,mulctatitia pecunia, fœneratitium argentum, edititius iudex,pignoratitia nauis, meretricius amor, quid aliud, quàm pueris notam perpessionem demonstrãt? Sic homines emißitij,qui sunt mißi ad explorandum,& oculi emißitij apud Plautum auctorem arguti, & quasi tela quædam emißitia,& huc, illuc lasciuè circumspectantes. Receptitia res in iure ciuili est, quam uendendo quis uel quouis modo alienando, sibi reseruauit. Ascriptitij*

ciues

ciues sunt, quibus aliunde profectis, ueterum numerus ciuium augetur. Hinc Deos ascriptitios dicebant, quos propter virtutem, aut aliquam in homines beneficentiam in cœlum (vt credebatur) translatos, pro dijs colebant. Aiebant enim eße maiorum gentium Deos, & minorum. Nos illorum de religione sententia, multis iam ante seculis repudiata, sermonem, elegantiam, & uerba teneamus. Itaque nunc, ipsum Deum Opt. Max. auctorem uniuersi, & quas mentes à prima die mundi is procreauit, non dubium quin maiorum gentium Deos Romani ueteres dixissent, quos in ea re libentissimè imitabimur, & eos qui in cœlum, ex laboribus, & uita sanctissimè acta migrauere, Paulos, Laurentios, Ambrosios, Apollinares, Antonios, Franciscos, Hilarios, Potentianas, Cæcilias, Apollonias, Margaritas, Vibianas, minorum gentium diuos, diuasq; dicere, usurpareq; debebimus. Placet enim mihi latinam linguam ipso à religionis ortu nostris ueluti initiatam sacris ostendere, & nostra ad sacra omnia accommodare, qua de re plenius erit quinto libro nobis, & accuratius differendum. Pauca sunt illius formæ triticeus, & hordeaceus, unde triticeam Virgilius messem nominauit, & nos triticeum panem, triticeam pultem, triticeam farinam, & quæ ex tritico fiunt omnia, triticea dicere poterimus. Idem prorsus de hordeaceo di-

Ethnicorũ Religione, reprobata illorũ sermonũ elegantiã, & uerba tenere debemus.

X. vt triticeus.

dictum sit, ut nihil factum ex hordeo, non hordeaceum dicatur. Immò etiam siquid fieri ex auena possit, cur non eadem ratione, dicas auenaceum? cur non ex faba fabaceum, cur non ex lolio, lente, milio, cur non ex frugibus cæteris idem, aut simile nomen fiat? Non peto equidem vt fiat, sed aio fieri debere, si oporteat. Deest inquiunt ueterum hìc, & Ciceronis potissimum auctoritas. Ecce tibi quam inuadunt arcem, & quibus argumentis rem tantam, & grauissimam sermonis latini totius causam cupiunt esse terminatam. Interrogo enim, ipsi ueteres nulla sine antiquis auctoribus uerba fecerunt? Inficiatur nemo, & si interdictum libertate illis tam necessaria fuisset, non adolescere modo, sed ne principium quidem aliquod, vel nostra hæc, vel quarumcunque gentium linguæ habere potuissent. Quod si ætas hoc permisit ulla, quod ætates omnes permiserunt, nostra hæc, & posteritas futura omnis permittere debebit, quum Romano inclinante imperio, & noua, augustissimaque religio nata est, & omnium aliarum conuersiones rerum consequutæ. At, nunc quidem, nihil ad religionem, conuersionẽue rerum tantula res pertinet, vtrum ex auena fiat auenaceus, ex lolio loliaceus, vt ex hordeo, hordeaceus, uel ex tritico triticeus. Ita quidem res est, sed ipse tibi uideris de parte conuellere posse argumentum, quia falsò iudicas iam de toto esse la-

Veteres, sine antiquioribus auctorib. multa noua fecerũt

be-

besectatum. Ego uerò, et omnia quæ sæpius dixi, doctis hominibus, quoties necesse est, licere uolo, & auenaceum, loliaceumque ijsdem affirmo permittendum esse ex analogia cæterorum. Nec eße reprehendendos existimo doctissimos, qui sine ijs, quibus dictum est, auctoribus, maluaceum quoque, arundinaceum, & ferulaceum dixerunt. Iidem illi à rosis etiam, non sunt ueriti, rosaceum oleum, & rosacea unguenta nominare, & à creta, arena, tophis, argilla, testis huiusmodi nomina declinare. Stultè quis probari hæc sibi postulet usu oratorum. Quando enim potuisset communi in consuetudine loquēdi, aut in epistola, aut in foro, aut in libris ea de parte Philosophiæ, quæ pertinet ad mores, accidere, ut maluaceum aliquid, herbaceum, uel ferulaceum dicatur? Nos autem, qui sentimus immensam esse, et ueterem copiam sermonis latini, & nouam, atque infinitam quotidie nasci posse, non uno tantum, aut paucis auctoribus contenti esse debebimus. Esto enim, quod omnes doctissimi sentiunt, & ego in primis qui doctrinā concedo multis, unum debere esse aliquem de ueteribus, ac perfectis, cui similes in oratione esse uideamur, uerborum tamen longè diuersa ratio est, in qua non modò nullis ex Romanis auctoribus propter nouitatem uitanda sunt, uerùm etiam nobis permittēda uenia est (quoties oporteat) nouorum. Quare non est, quod mihi quis

Quomodo debemus unū Autorem eligere ad imitandū.

uerba,

uerba, aut aliorum auctorum, qui post seculum Ciceronis fuerūt, aut C. Plinij secundi, exprobrare debeat. Hic enim (quod nemo fecit alius) rem prætermisit nullam, de qua non doctè, prudenter, & accuratè scriberet. Huius enim libri, pro thesauro quodam esse possunt uerborū, ijs, qui non solas epistolas conscribunt. Verba enim suppeditat ijs, qui mathematica scrutātur, qui de cœlo, ac sideribus tractant, qui etiam de cultu agrorum, de cognitione stirpium, de partibus, ac dimensione terræ, de scientia medicinæ, de natura rerum, de ijs quæ latent sub terra, quæ nascuntur in mari, quæ fiunt in aere, quæ intelliguntur in cœlo, atque mundo. Magna enim fide, ac memoria nobis uerba tradit ea, quæ à ueteribus accepit, magna doctrina, ac iudicio, parit noua, & uiam aperit exemplo suo ad inueniēda, quæ desunt. Verùm ego, iam contemnens indoctorum reprehensiones, & nihilominus placens mihi, quàm si nullo in uerbo, aut litera à Cicerone discederem, transeo, vt ostendam, quæ sequuntur. Similia sunt superioribus illius formæ nomina, marmoreus, lapideus, ligneus. Similia dixi, quod etiam si duabus literis hæc superata sunt ab illis, & aliquid inter se discriminis habeant, vt hæc totam, illa partem materiæ significent, tiliaceus tamen, & myrteus, non est quo modo posis discernere, & fortasse tilia propter duas cōcurrentes inter se uocales literas, aliter

Vt Plinius copiam iuuet.

XI. ut argenteus.

for-

formare nomen qualitatis non potuit; & seu myrteum hic, seu tiliaceum dicas lignum, nihilo plus, minusve alterum altero demonstret. Multum enim hic ualet incommodum ex coniunctione literarum. Et à lapidibus etiam lapideos muros dicimus, à silice autem, siliceum potius Cato Maior formauit. Cauebimus tamen, sic tiliaceum, vt myrteam syluam nominare. Sed relinquam hæc pueris, immò adeò nec de sensu horũ nominum disputabo argenteus, aureus, plumbeus, æneus. Quis nesciat enim hæc ad materiam omnia pertinere? His affinia sunt, quæ à lana, ultro, saxo, lino, stamine, rebusque huiusmodi infinitis nascuntur. Non huc referenda sunt, mediterraneus, præsentaneus, subterraneus, superuacaneus, cæruleus, subfarraneus, subtegulaneus, temporaneus. Hæc enim, significatu à prioribus dissidentia, nihil aliud, quàm duas postremas cum illis communes habent syllabas. Pedaneum uocant, factum aliquid unius ad pedis mensuram: hinc bipedaneum, tripedaneum, cæteraque pedanea, suos ad numeros accommodata. Alia sunt præterea quæ longè absunt à significatione materiæ. Nam lacteus primùm, & si referri possit aliquando ad superiora, sæpius tamen id lacteum dicimus, quod lactis candorem habet, quale est etiam sanguineus, purpureus, niueus, flammeus, igneus, quod speciem, atque aspectum retinet aliquem sanguinis, pur-

Multa sũt huiusmodi, q̃ absũt à significatione materiæ.

puræ, niuis, flammæ, ignis. Virgineus, poetarum est nomen, ut virginea manus, virgineum corpus, virgineus pudor, taureus uerò Neptuni cognomen est, nec taurea, pro flagello apud multos est in usu. Plautus quoque uerbereum. dicit hominem uerberibus dignum, idest μαστιγίαν*, hunc magis usitatè uerberonem dicunt: nec arboreum quidem, aliquid est factum ex arbore, ut nec illa, quæ sulfurea, uiperea, & ferruginea dicimus. Germanæ autem materiæ sunt, ulmeus, fraxineus, corneus, ferreus, uirgeus, cæreus, & quorum, neque ueteres aliquē, neque nos finem debebimus habere constitutum. Aliud omnino genus est illud, Cæsareus, Romuleus, tartareus. Hæc enim à græca forma sunt,* κεσάρειος, ῥωμύλειος, ταρτάρειος, *quæ nos in latinam uocem transferentes, posteriore detracta, ex binis uocalibus* διφθόγγου, *nomina fecimus simillima Romanis: reuera autem græca sunt, non minus, quàm* Ἀριστοτέλειος, πυθαγόρειος ἐπικούρειος, *unde modo Aristotelia, modo Aristotelea dicimus argumenta. Syllabam uerò, quæ antecedit ultimam, seu secunda ex nostris, seu tertia uocali scribatur, tum breuem pronunciamus, tum longam, quod fieri posse docet Virgilius, qui cum cæteris poetis omnibus sic pronunciare solet,*

Voces germanæ materiæ.

XII, ut Cæsareus.

At pius Aeneas per noctem.

Contrà in aliam formam, nomine eodem

conuerso;
Aeneiadasque meo nomen de nomine fingo.
Tertiam uocalem retinuit eo in loco;
Namque notaui
Ipse, locum aeriæ, quo congessere palũbes.
Secundam uerò, similiter correptè pronunciatam;
Aetherea quos lapsa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cælo.

XII, vt adamantinus.

Multa à Græcis ad latinos trãsierunt.

Atque, ut à Græcis non discedam, plurima sunt apud illos, quorum non pauca ad nos transierunt, eiusmodi nomina, qualia sunt adamãtinus, myrrhinus, elephantinus penultima semper breui syllaba. Generis eiusdem sunt à sandaracha, sandarachinus, à cocco coccinus, ab omphacio, omphacinus, à crystallo crystallinus, croco crocinus, sampsucho herba sampsuchinus. Illorum, quæ huiusmodi sunt, eundem hunc in morem pronunciari debent omnia, ut susinum, aut lirinum, aut melinum, aut terebynthinum, aut amaracinum oleum, aut hyoscyaminum venenum, amethystinæ, ianthinęq; uestes, onychinus lapis, cedrina laquearia, cypressinæ trabes, glaucinus color. Nec superuacaneum putaui hæc monere, quamuis peregrina: & profectò me illud mouere debuit, quòd illos imitati nos etiam nostris ex nominibus eadem ratione,

qua Græci à fago faginum, myrto myrtinum, lentisco lentiscinum, & olea oleaginum fecimus. Communia inter nos & illos fuere, Asiaticus, Parthicus, Creticus, Lybicus, Aqualicus, Macedonicus, Atticus; & a proprijs nominibus Platonicus, Aristotelicus, Homericus. Non est apud nos hoc secundum genus. regionum verò nomina minus multa sunt, quàm apud illos, vt Germanicus, Gallicus, Hispanicus, Italicus, & pauca, ut aquaticus, venaticus. Solum græca sunt Agamemnonius, Aeneïus, Euandrius, Ixionius, Latonius, Minoius, Phœbëius. Hoc postremum solēt poetæ, media sublata vocali de syllaba, quæ antecedit ultimam, pronunciare, ut. XIIII, vt Creticus. XV, vt Minoius.

Phębeæ lampadis instar.

Denique ex eorumdem sunt lingua Lacędæmonius, Salaminius, Ephesius, apud illos quidem infinita, ad nos uerò hæc, & non plurima translata, nec ad linguæ nostrę copiam valde vtilia. Quamobrem genera quinque hęc eò colligere simul in hunc locum volui, ne mihi sæpius ad græca redeundum esset. Nunc persequar nostra, ea videlicet (vt hactenus feci) vnde aliquid manare ad copiam videtur. Ac primum occurrunt illa caprinus, vulpinus, lupinus. Plurima hæc sunt, nec ferè pauciora, quàm ipsa genera aaimantium, à quibus vetera nomina, si non sunt huiusmodi, noua formare nemo sibi interdictum credere debebit. Neque enim pau- XVI, ut Ephesius. XVII, ut uulpinus.

lo post amissam remp. & florem illum latinitatis circa principium Romanorum dominatus, desita sunt nouari multa, quæ, si non eßent, nemo tentare ex delicatis hominibus auderet. Sed nobis utendum censeo pulcerrimè inuentis, nec timendum (nisi parum aptè, & imprudenter fiat) propter noua. Nam ferina quædam, canina, vaccina, vitulina, vrsina, nonnullo ex vsu dicere videbimur. Taurinum verò, nescio an solo Virgilio auctore satis acceperint, quum tamē accipiendum sit nomen hoc a lepore, porco, veruece, hirundine. Quid? nonne Plautinæ etiam, & plurimorum est auctoritatis, murina quoque, & formicina dicere? Nonne à quibusdam vulturina quoque, & pauonina, & infinita eiusmodi inuenimus eße dicta? Quare tametsi nihil declinatum esset ab hirco, pecore, miluo, passere, equo, accipitre, boue, asino, camelo; nihil à glire, pullo, coruo, pica, fele, cane, cæterisque generibus animantium, non tamen verendum nobis esset auctoritate, modestiaque nostra vti, & si opus eße videatur copiam, & elegantiam sequi, aut necessitati parere. Cadunt in hanc vocem, quæ ad genus hoc referri non possunt, matutinus, mediastinus, clandestinus, paupertinus, puluinus, perendinus, vespertinus; quorum tamen analogia, ac proportio declinandi potest non nihil copiam adiuuare. locorum sunt marinus, Alpinus, & hinc Cisalpinus, Transalpinus, & longè

gè

gè aliam rationem habēt pelecinus, sementinus, pedecinus, ferinus, riuinus, haruspicinus, & parietes intergerini. Nec illa quidem huc pertinent, quę patria dicunt nomina Canusinus, Brundusinus, Rheginus, Tyburtinus, Camertinus, & quod apud Ciceronem est Semiplacentinus, nec illa personarum Paulinus, Antoninus, Plautinus. At cum superioribus germana sunt, ouinus, caprinus, suinus, vnde nomina sunt formę ὑποκοριστικῆς, ouillus, caprillus, suillus. Nam quatuor literæ semiuocales, quę à grammaticis liquidæ vocantur, si forma deminuendi vtamur, in primam semiuocalem vertuntur, fiuntque ex matula, ruma, uinum vmbra, matella, rumella, villum, vmbella. Quamplurimis hoc nominum exemplis in tertio libro de lingua latina docui. Eius rei significatio nonnulla à grammaticis excitata ad nos venit. Illi enim sic statuebant, non multo plus, ac nescio an plus aliquid, quàm de postrema liquidarum litera hìc disputandum esse. Rem igitur satis ferè arbitrabuntur esse cognitam, si docerent à dolabra fieri dolabellam, sinistra sinistellam, dextera dextellam, tessera tessellā, terebra terebellā, mitra mitellam, libra libellam, fenestra fenestellam, & à veste rara, rallam, itemque a rastro rastellum, sicut à plaustro plostellum, rostro rostellum, flagro flagellum, flabro, flabellum, quibus addere potuissent etiam illa minus aperta, ut à macro macellum, à saturo

Patria nomina quæ dicantur.

XVIII. vt umbella.

satullus, & à cancris cancelli fiant, & nos tigillum, sitellum, salillum cognoscemus a tigno, situla, salino, in quibus esto etiam quasillus & aspergillum. Verùm nos, & gratiam habemus his auctoribus, qui primi hæc animaduerterunt, & ex paucis viam nobis ad rem totam aperuere, & reliquas tres, quas dixi liquidas illi primę addendas putamus. Nam tabula, & oculus, quã formam deminuendi faciãt, non est quòd me dicere oporteat. De secunda verò liquida quid est aliud a ruma, mamma & à primo, quàm uti iam dixi, rumella, mamilla, & primulum? De tertia verò quid aliud à fœmina, lamina, pagina est, quam fœmella, lamella, pagella? Quamobrem latius hæc patent, quàm illi ante nos dixerunt, & hinc extitere, quæ dicebam, ouillus, bouillus, caprillus, & similia his porcellus, fuillus, nauicella, & quæ sunt nota omnibus, ab illis quæ sunt ouinus, bouinus, caprinus, porculus, nauicula. Nec ratio contemni hæc debet nominum, quæ non statim à suis primigenijs nascuntur, vt fiscella, non à fisco, sed à fiscida solùm esse potuit, vt codicillus etiam, non à codice, sed a codiculo, & furcilla, & arcellæ, non a furcis, aut arcis, sed a furculis, & arculis manauerunt. Arcus tamen, & frater, & forma, & sarcina, & anima, arciculam potius, & fraterculum, & formulam, & sarcinulam, & animulam fecerunt. Cognosci hæc tantùm uolui a iuuenibus propter

illam,

illam, quæ uetus est, copiam. Non multa enim hinc nouari possunt, quemadmodum ne ex illo quidem genere, in quo paucissima sunt illa, supernas, & infernas, quę sunt à supero, & infero mari. Hęc rationem habent, quam similia verba, XIX. ut Infernas. *cuias, nostras, vestras, nota omnibus. Pertinet huc propter vocis similitudinem, frequens illud in iure ciuili damnas. Verum superioribus coniuncta sunt à nominibus urbium, Sentinas, Vrbinas; Arpinas. Hæc illud afferunt ad copiam, vt si quę vrbes propter malum sonum habere non possint nomen, vt Romanus, Bononiensis, Tarentinus, ad hanc vocem recurras, quæ est à Rauenna, Aquino, Arpino, quum deforme, & inelegans nomen hinc fieret, quale est à Mantua, & Roma, leniore voce, & commodiore ex his ducta sunt Rauennatis, Aquinatis, Arpinatis, & hinc duarum detractione literarum, Rauennas, Aquinas, Arpinas manserunt, & profecto a supero, & infero mari, non erat commodius nomen, quàm supernatis & infernatis, quæ posteritas (vt iam dixi) fecit, vt supernas & infernas essent. Ficetum verò, & oliuetum omnes dixerunt. Hinc spineta etiam, roseta, laureta, & myrteta passim leguntur. Nec vineta, lilieta, senticeta, corneta, pineta, palmeta, populeta, aut alia, etiam si duriuscula, vitari debuerunt. Sed quæ ad arbores tantùm, aut non* XX. vt spinetum. *multa secundùm arbores pertinere putabantur,*

 uide-

videmus ad minora, idest usque ad rubos, ac dumos venisse, ut rubeta, dumetaq; dicerentur. Quare vbi magis propriè voce hac sunt vsi veteres, non mirum si non pineta modo, sed mespileta etiam, auellaneta, roboreta, querceta aptè, & suo loco dicere audebimus, quando nouelleta etiam, & masculeta nonnulli ex auctoribus, & scylleta liris amnis M. Tullius ea loca apud Minturnas dixit, quæ ijs piscibus abundarent, qui scyllæ nominantur. Quamobrem non modo arborum sunt hæc nomina, sed rerum quoque cæterarum. Nam saxeta auctor idē uoluit esse, vbi saxorum copia naturalis est, uel perpetua. Nec sæpissime de plantis, rebusue alijs hæc dicta sunt, quæ semestre, vel annuum tempus, uel non multo plus annuo durant, uel de saxis, aut lapidibus, casu vnum in locum coaceruatis. Nam præter arbores, thymus, genista, asphodelus, scylla, rhamnus, asparagus hærent perpetuis radicibus fixa, vnde, si necesse sit, thymetum, aut genistetum, aut rhamnetum dicere, nemo quasi loquutos barbarè nos accusabit. Holera autem, uel fruges, uel quibus herbis pecora nutricantur, certum & breue tempus durant, nec nomen ex his fiet, quale ficetum est, & oliuetum. Non prorsus dissimilia his loca dicimus, aspreta, & quæ frugibus, herbisque cæteris carent per naturam, glabreta, & vnde domus, veteraque ædificia deleta sunt, rudeta ipse etiam Cato nominauit,

Scylla piscis fluuij liris.

nauit, & porculeta inter porcas esse spatia dixerunt, & sepulcretum sepulcris frequentem locum, nucetum, masculetum, rumpotinetum, & à generis nomine fecere etiam arboretum. Hic non persequor omnia, sed ostendo ex paucis, sæpe etiam ex multis ea, quæ intelligi cupio infinita. Sed quia magis propria hæc sunt arborum, cognosci oportet à quibus hæc nomina ducantur: male fortasse à loto, acere, terebyntho, piro, tilia, fago, abiete, zyzypho, picea, tæda: alia ex his propter originem græcam, aut peregrinam, alia propter incommoda literarum: tolerabilius à lentisco, subere, castanea, sorbo, siliqua, ceraso, larice, taxo, ilice, buxo, esse in his potest populus, iuniperus, cupressus, morus, platanus, & optimè omnium arundo. Denique à salice salicetum, uel salictum dicimus. Sit igitur aperta omnibus hæc uia, & quemadmodum Romanis olim, nostrisque maioribus, ita nobis, & cunctæ posteritati, donec erunt homines, licere velimus nomina similia his formare, & nunc asparageta, feruleta, & salebreta, vt lilieta illis ætatibus, roseta & saxeta (si doctè, modestè, ac necessariò fiat) permittamus. Paucissima sunt similia illis castrensis, & pratensis. Propriè enim sola his adiuncta sunt ortensis, & forensis, & (quod non satis constare aiunt) Circensis. Nam leuidense, vtrum sic potius, quam leuidensa, dicatur, dubitatum est à doctis, nec satis Liuianum illud bimense ad hũc pertinet locum,

Licet formare simi lia nomina.

XXI, vt forensis.

vt

vt ne ludi quidem Megalenses, qui à Græcis μεγαλήσια dicuntur vna detracta ex consonantibus, quòd lingua illorum Ωρτήσιος dicitur, quē nos Hortensium nominamus, & Laterensis nomen est Romani ciuis, quem ratione eadem λατερήσιον esse uoluerunt. Ac ne frustra sermo de his introductus esse uideatur, à ualle etiā quis fortasse vallensem faciat, à campo, & à colle campensem, & collensem, ut à luto lutensem, & ab alga algensem purpuram. Sed mihi satis est locos mōstrare, in quibus ea lateant, quæ studiosis prosint. Sumat igitur quisque ex his locis quę sibi commoda esse videbuntur. Nec admonendum est plurima hinc esse nomina, quæ dicebam patria à literatis hominibus nominari; vt Mediolanensis, Tarraconensis, Brixiensis. Vt enim de omnibus dicam, quatuor hæc ferè terminantur modis, ut Fauentinus, Sentinas, Lupiensis, Romanus, de quibus uidetur mihi esse dictum satis, nisi etiam Samnis videatur quoddam esse quintum genus. Hìc de postremo dicendum erat, Romanus, Beneuentanus, de quibus tamen longiorem hìc præceptionem superuacaneam putaui. Verùm sunt hæc præterea à nominibus locorum vel generum: genera autem intelligo, ut montem, oppidum, vicum, unde fiunt montani, oppidani, vicani, quæ ipsa nihilo minus generalia sunt: ut contrà à formis formarum cuius modi, à Tusculo, Cumis, Formijs, Caieta, Pompeijs, villarum sunt nomina Tusculanum, Cumanum,

Patria nomina.

XXII, ut Formianus.

Formia-

Formianum, Caietanum, Pompeianum. Debebunt hæc docti homines imitari, operamq; dare, ne suas possessiones, rei familiaris, vel studiorum gratia comparatas certis nominibus nõ distinguant, nec metuendum ijs est (quod ipsi Ciceroni maximè ridiculum videretur) ne parũ Ciceronianè loquantur. Hinc montana ciuitas dicitur, hinc Vaticani montes, hinc Transpadana regio, hinc Vritanæ calamitates, hinc Tusculanæ disputationes, pomeridianæ scholæ, antemeridiana ambulatio, antesignani duces. A nominibus familiarum, aut hominum proprijs non debemus finem statuere vllum, ut orti Sallustiani, dictio Tulliana, fabellæ Terentianæ, seueritas Mariana, perfidia Caniniana; etiam à cognominibus quibusdam & prænominibus, vt Cæsarianos milites, Catonianam prudentiam, Syllanam proscriptionem, & Publianos mimos dicimus. Aestate circa meridiem flatus quidam surgunt è terra ad mare: hos, propterea fortasse, quod surgant altiusculè, idest ex causa non grauissima, altanos uocant. ed eiusmodi leuibus de causis nominum, magis idoneo loco disputandum erit. Cognosci enim cupio, multa, non ex ijs mysterijs esse nata, quæ nos mediocri ingenio, ac doctrina extimescere debeamus, immò etiam posse, ac debere potius nouis rebus nomina sine magno quodam scientiæ adiumento, nonnulla tamen ex causa accõmodare. Nunc decumanos agros, prædia, pos-

Voces à proprijs nominibus familiarũ, aut hominum

Nouis rebus noua nomina debent accommodari.

sessio-

sessionesq́;, non est cuia exponi ualde intersit. Decumanum etiam legimus pro maximo, ut in tempestate decumanos fluctus, & in castris decumanam portam. Vt autem nos, vel Romani sumus, vel Vritani, vel Caietani, vel denique suæ quisque Ciuitatis, ita Socratem ferunt, se esse mundanum respondisse. Diuersam ad rationem refertur Summanus. Sed Atellanæ fabulæ, & veterani milites huius ipsius sunt loci. Primani, Secundani, tertianiq́; milites, primæ sunt, secundæ, uel tertiæ legionis. Hinc tertiana febris, uel quartana, & in castris quintana porta, eadem ratione, qua decumana dicitur. Sextanum aliquid esse dictum, vel dici à nobis debere, non dubitaret quis, nisi fortasse propter interitum veterum librorum. Quæ enim esse causa tam vehemens posset, quæ analogiam impediret, quin sextana quædam dicerentur? Doctissimos etiam cognoui, & amicos meos, qui septimanam quoque pro hebdomada scribere sunt ausi. Laudo industriam quamplurima nouandi, tanta præsertim (vt à principio dixi) nouatione rerum omnium, tot etiam, ac tantis vndique apertis vijs, quibus id commodè, & vtiliter possimus, & sæpe necessariò facere debeamus. Sed accedo iam ad reliqua. Vnum illud videtur mihi esse genus, quòd unius tantũ uariatione literæ, genera duo uideri possent: Cęlestis, & terrestris. Nota hæc sunt ijs etiã, qui latinè ignorant. Paucißima sic figurantur. Præ-

Primani, Secundani, & Tertiani milites.

ter enim hæc duo, tantùm illa mihi nunc ueniunt in mentem, syluestris, agrestis, campestris, equestris, pedestris, quæ mihi non esset laborandum, si colligi possent adhuc plurima. Nō enim illud quærendum est, utrum alia in quoque genere dici queant, sed potius, quā multa ex paucis fiant: & hęc optima uia est sermonis latini locupletandi, illa uerò, stultißima cura, quę sciūt omnes, recēsendi. Hic ergo doctißimus uir Theodorus Gaza, quùm ea, quę sunt ex lacubus, idest λιμναῖα, *dicenda essent, nec ea videret vsitata apud nostros, ad analogiam confugit, ut quemadmòdum uetus, & receptum est à palude palustrem dicere, sic & à lacu is faceret lacustrem. Docuit igitur homo græcus tam latini, quàm græci sermonis peritißimus, vt nos hanc viam sequuti, æqualem gręcis parare copiam poßimus. Defendit enim, linguæ, & patriæ suæ studiosus, in hac parte nos multo inferiores esse græcis: sed quatenus hoc defendit, illi, quum eò peruentum erit, quò oportet, respondebo. Similem his habent vocem bimestris, trimestris, quadrimestris. Sequendam hìc suadeò analogiam, quæ dicta est, vt nō modo quimestrem, & semestrem, sed minus usu trita, septimestrem dicamus, & octimestrem. Sutilia, sculptilia, tortilia dicimus, quæ suta, quę sculpta, quæ torta sunt. Sic enim his utimur illo à genere uerborum, quæ agendi vim habent in res, uel personas, ut pensile dicatur, vel tonsile, quod suspensum est, vel tonsum*

Theodorus Gaza doctißimus.

XXIIII. ut subtilis

tonsum, non quod suspendi potest, uel tonderi, quod alterius est figuræ, illius videlicet quæ est ut amabilis, & expetibilis. Rasile est igitur, et coctile, & structile, & fictile, & textile, & tornatile, & flexile (quemadmodum superiora) quod radendo, coquendo, struendo, fingendo, texendo, tornando, flectendo, factum est, nihil penè a suis illis participijs rasum, coctum, structũ, fictum, tectum, tornatum, flexum dissidentia. Fuerunt hæc (vt alia non dicam) eò necessaria, quod interrogandum sæpe, dubitandumque est, utrum aliquid fusile, an fictile sit, vestis autem sutilis, an tectilis, quæ longè inter se diuersa sunt, & multa vtrum dolando, an tornando quis fecerit, quę toreumata dicuntur, ubi nec tornatile, nec dolatile, nec mille huiusmodi maiores cauissent, nec nos cauere debebimus. Atque horum vis, & notio verborum est ea, quam dixi, vt præteritum tempus respiciant. Sunt etiã præsentis, vel potius perpetui temporis, vt sint altilia, quæ domi alantur, sic versatilia, ductilia, plicatilia, quæ versari, duci, & plicari possint. Litera porrò alia, scribuntur fusilis, & rasilis, quàm structilis, & coctilis, quia ab illis fusum est, & rasum, ab his structum, & coctum, quod seruant omnia, præter vtile, sic, ut una tamen figura nominum relinquatur. Quę autem nomina ab ijs ducuntur, quæ vi agendi in personam, aut in rem aliam, carent, ea significationem habent, quam sua præsentis temporis participia.

De

De superioribus enim fusile dicitur quod fusum est, ex his autem sessile, quod sedet, & volatile, quod uolat, vt in illo est Oratoris exemplo: vescimur, (inquit) bestijs & terrenis, & aquatilibus, & uolatilibus, partim capiendo, partim alẽdo. Ex eo autem, quòd aquatilia nominauit, cognoscimus, non solùm a uerbis, uerum etiam à nominibus quædam ex his esse nata, ut fluuiatile, saxatile, fortasse etiam pluuiatile, & umbratile. Hic denique nostra cogitatio illa sit, non frustra hæc olim eße excogitata, neque paucorum gratia, quæ dicta sunt, minimèque otiosa apud nos esse oportere. Ad nomina transeo illius formæ, in qua sunt laudabilis, penetrabilis, inexorabilis. Parit hæc nobis omnium plurima. Ferè enim uerba, quæ in alterum agendi uim habent, quæ κατηγορήματα *uocantur omnia, sed primæ coniugationis potissimum, faciunt ab exorando, exorabile, à laudando laudabile, permeando permeabile, animando animabile, uiolando uiolabile, tractando tractabile, expiando expiabile. A quibusdam sunt magis in vsu, quæ ex ui præpositionis in contrarium mutantur sensum, vnde est inexorabilis, impenetrabilis, inuiolabilis, intractabilis, inexpiabilis. Non fiunt hæc à uerbis quæ casum respuunt accusandi, ut a sedendo, currendo, affluendo, seruiendo, nec ab eo quod est uenire, redire, nubere, gaudere, proficisci, & quibus non conuenit patiendi natura. Nam laudabile est quod laudari debet, penetrabile*

XXV. ut laudabilis

bile quod penetrari potest, quod fieri non posset, nisi esset laudare & laudari, penetrare & penetrari. Veniunt à cæteris etiam coniugationibus, vnde est expetibilis, flebilis, inexplebilis. A uidendo legitur visibilis, & sententia doctorum est, contrarium quoquo illius permitti debere. Faciunt iniuriam qui repugnant. Nam quotidiana in sacris mentio est, factum a Deo esse mundum, & omnia quorum est sensus, vel quorum sola est intelligentia; idest totam hanc rerum uniuersitatem, & quę sub aspectum cadunt, & quæ sunt à sensibus remota. In sacrorum libris hęc duobus tantum aptissimis verbis explicantur, quæ verba, si qui sunt, qui respuant, næ illi homines indocti, splendida naturali, & necessaria copia latinitatem spoliare, & magna sacris ipsis incommoda, atque infantiam inurere conantur, qui nec inuisibile, nec alia multa, nec Dei naturam ineffabilem dicere nos volunt. At enim inquiunt, ipse qui mihi & auctor, latinę copiæ augendę, uel potius (ut uideri uis) tuendę, vitare soles hęc uerba, nec ferè tuis in scriptis usurpare. Ego uerò, me non esse usum his fateor, uti autem noluisse, nego. Nam, si ijs de rebus mihi scribendum esset, aut loquendum, ubi necessarius eorum esset vsus, sic existimare omnes volo, si ea fugerem, quę hactenus dixi omnia, quæque sum dicturus, malè me de sacris putarem, pessimè de latinis literis mereri & incommodissimè loqui crederem.


An Q. Marius sit vsus nouis uocibus.

Q. MARII CORRADI VRITANI,

De copia Latini sermonis,

AD CAMILLVM PALAEOTVM,

Liber Secundus.



D hunc ipsum locum, ipsumque postremum libri superioris verbum, disputando veneram semper lætus, illo præsertim nomine, quod libenter in vrbibus Italiæ, Bononiæ, ac domi tuæ, scripta nostra legerentur. Acerba enim, quæ antea expertus eram, procellas temporum, afflictasque opes, vna saltem studij laude, & opinione de me doctorum hominum consolabar. Satiatam aliquando meis ærumnis arbitrabar eße fortunam, & me, siquid esset reliquum ætatis, id iucundißimè in literis, & vestrorum æqualium familiaritate esse victurum. Ecce autem ipso à Marcello fratre meo epistola, quæ mihi dolorem attulit eum, qui summus esse potuit. Is in ea, & Francisci Corradi

Libenter scripta Q. M. Corradi legütur paßsim.

radi fratris nostri obitum, qui pridie acciderat, & se quoque postridie moriturum esse nunciabat. Certiore nuncio minimè opus erat, sed eodem tempore, eademque ipsa de re, mihi amicorum, & familiarium literæ reddebantur, a quibus remoui oculos, meque totum auerti, & in luctu, ac mœrore statim ad mortui fratris vocem esse cœpi. Numquando enim scimus præterea amantissimum fratrem grauiore nuncio percussum à fratre? Me miserum, vt falsò sum gauisum, dum literæ fratris esse dicebantur, vt lętãs manum illius exosculatus sum, vt properans epistolam aperui. Nam aut iucundissima nunciari à fratre, aut mihi solitam fortunæ meę consolationem afferri, non uulnus illud, putauissem. Nec me existimaueris Camille ita esse fortem, ut hoc loco mors optimi etiam ciuis lugenda mihi esse uideatur. Ille quidem & semper dum vixit, uel domi apud suos, uel Romæ turbulentissimis patriæ temporibus, eum sese præstitit, eo animo pugnauit, ut sibi carendum patria, carendum uita statueret, si accidisset, publicam dignitatem vt seruare non posset. Nec dubium nobis est, minus optatam illi hanc mortem fuisse, quod intelligeret sibi in posterum tolli facultatem pro communi ciuium existimatione moriendi. Ego tamen, quia plurimi hæc lugebunt, nec ad me solùm pertinent, meum vnius, & priuatum uidero dolorem. Nam fratrem meum, adhuc puerum

Corradus magno affectus est dolore, ex morte fratrum.

LausMarcelli, fratris Corradi,

rum, ab hinc annos triginta mihi traditum à parentibus ego natu maior accepi, loco filij mecum semper habui, ad perfectissimum genus literarum, ad mores, ad uitam, ad præclara omnia institui, ita prorsus, quasi nunc id ætatis ego vicissim illius in uirtute uellem acquiescere. Nec me opinio fefellit scientiæ, quam de illo conceperam, aut industriæ, aut naturæ, aut uoluntatis, quam semper mihi is præstitit fraternam; sed mors præripuit sola, ne mutua, & cumulatione in studijs, rebusque omnibus, opera illius uti possem. Ego denique hoc potissimum loco, id est media in tractatione de analogia, ubi nuncium a fratre, ipsius de fratris morte, & summo dolore meo, non paucis ante diebus acceperam; esse volui finem libri superioris, & initium sequentis. Non erat in his locis aliud, quo mœrorem, quo lacrymas testarer meas, nisi contra rationem, secundi libri materiam à primo separaßem, ut si quis hoc miretur, sciat fato accidisse; ut hic eße debuerit hæc oratio, & monumentum summi doloris mei. Nam si moriendum sit mihi, antequam Vriæ aliquando consistam; nec mortuo fratri meo, quos decet honores habere posim, uel tumultuaria hæc inanibus tantum frequentata lacrymis me aliqua ex parte sepultura consolabitur, fidemque faciet non leuissimis impeditum fuiße rebus, cur Bononiæ apud vos, isto que in lumine orbis terrarum ad eloquentiam

Reddit causam cur nō iuit Bononiā ad docendum.

tiam docendam esse non potuerim. Nunc venio tamen, vt quæ huius erant loci, quæque ad analogiam pertinent, de ijs minus dolenter, quoad possim, loquar tecum. Vnum coeunt in significandi genus illa, triumphalis, consularis, puerilis. Hæc tria enim diuersè cadunt in syllabas postremas, quæ non multùm latinitas discreuit. Vt enim puerile dicimus, quòd pueri est, sic triumphale, quod triumphi, consulare, quòd consulis. Itaque nihil de horum nominum significatione ducimus, ne ipsis quidem pueris, esse laborandum. Minimè enim obscura res est, nec propositum est nobis quærere, quid hæc sint, sed quæ, & quàm multa hinc nascantur. Vt enim qui mercaturas facit, vndique domum comportat ea, quorum nemo vsum ignorat, & statim familia cognoscit, & ex his statim vxor, pueri, & virgines filiolæ petunt aurum, munuscula, vestes, ornatum capitis, & colli, ita prorsus ego hunc laborem conquirendi, & latinitatis copiam amplificandi volo esse meum. quid autem conquisita hæc sint, quando non remotissimis ex regionibus allata sunt, non sæpe mihi putaui exponendum esse. Neque enim adipalia, Cerealia, exitialia, fatalia, matronalia quid sint, ignorare potest quisquam. Tantum illud uidendum est, ne quum similia his facere necesse est, nesciamus. Colligo, ostendoque vetera, vt ex illorum exemplo, neve timidi, neve impru-

XXVI. ut triumphalis, cōsularis puerilis.

dentes, vel parum apti simus ad noua. Vide enim ut à pedibus pedalem, à Regibus regalem, à furijs furialem, à morte mortalem, à litore litoralem nostri quondam fecerunt. Quamobrem non sunt ueriti à ramis etiam, à corpore, à dēte, à nemore, a fluuio, à genere, à fato, a specie, a rure, & infinitis huiusmodi nomina formare, uel oratores, uel poetæ, qui post seculum Varronis fuerunt. Nam prodigiale monstrum, regalis affluentia, nuptiales faces, murales coronæ, tibiales arundines, rituales libri, Pontificales cœnæ, ruminales hostiæ, æquinoctiale tempus, lupercales ludi, pastorale otium, liberales causę, quum dicerentur palam a doctis omnibus, extitere etiam sapientissimi uiri, quibus prudentissimum uisum est, quod nobis & bene literatis hominibus uidetur, non esse metuendum, puteales aquas, digitalem longitudinem, nouercale odium, perpetuales causas, manuales fasciculos, stipendiale fœdus dicere. Isti uerò homines parum (nequid grauius dicam) intelligentes quibus in rebus posita est perfectissima latinè loquendi ratio, clamitant, his uocibus contaminari antiquum illum nitorem latinitatis. Ego verò, qui præfractè nimium, aut multis uerbis de falsa illorum sententia nolo disputare; breui sic statuo, si apud Varrones, Tullios, Cæsares, Nigidios, & eos, qui sermonis latini patres fuerunt, istorum de opinione ageretur,

summos uiros nihil aliud, quàm dolentissimè risuros. Dicerent enim se rectissimè latinam linguam nobis reliquisse institutam, uerbis tamen quoties necesse esset, nouis, neque se ipsos, neque cæteros, usque ad nostram, & futuras omnes ætates abstinere uoluisse. Non enim illi hanc linguam nobis fecerunt, qua vti non possimus, aut quoties uerbo nouo sit opus, ipsas ad illorum domos, & consilia redire, & cum ijs colloqui, ac singulis huiusmodi nouis de uerbis deliberare, atque ab eis nouam quotidie auctoritatem accipere debeamus. Sed eam ueluti amplissimi patrimonij hereditatem nobis reliquerunt, qua pro arbitratu, pro tempore, pro necessitate, addo etiam pro commodis, cultu, specie, ac dignitate utamur, & hanc nostris liberis, ac posteritati auctam relinquamus. At scriptum inuenio à doctissimis, instar scopuli, insolentiam uerbi esse fugiendam. Assentior equidē, sed uide quid inter insolentiam, & nouitatem intersit. Hanc enim si fatētur omnes esse necessariam, & quod necessitati succurrit laudabile, & honestum est, profecto insaniat, qui disputare adhuc uelit utrū fieri debeat, quod fieri necesse est; illa verò non necessitatis est, sed audaciæ, qua nihil est in sermone turpius. Nam quid necessitatis impellabat Sisennam, inusitata, & inani voce, crimina sui clientis sputatilicia nominare? Hoc ex genere illa est, quæ insolentia dicitur, quam ferre, ne stulti

Quo pacto possumus uti lingua latina à Romanis nobis relicta

Differētia inter insolentiā, & nouitatē.

stulti quidem possunt, copia verò illud præstat, vt uerba necessaria (modo considerata id ratione à doctis fiat) non desideret latinitas. Sed redeo iam vnde sum digressus. Non fiunt hæc à græcis nominibus, quæ scio esse uitata ab omnibus, nec factum simile aliquid à philosophiæ nomine, & à Theologiæ, sed falsò creditum est licere à dialecticæ, rhetoricæ, & grammaticæ potissimum fieri. A nostris autem vetera sunt, nec ignota cuiquam, Vestalis, Martialis, furialis, pacalis, feralis, naualis, uniuersalis, generalis, specialis, sacerdotalis, & quorum non est finem inuenire. Erat olim æquidiale tempus, ut nunc æquinoctiale. A duumuiris, triumuiris, septemuiris, & à numeris omnibus usque ad centum viros, fiunt apud omnes duumuiralis, triumuiralis, quatuoruiralis, quinqueuiralis, decemuiralis, iudicium centumuirale, & causæ etiam centumuirales. Quorumuis collegarum numerus, nouum collegis nomen ex hac forma creare potest: & à numeris annorum decennale bellum, & à dierum vt septemdiale sacrum, nouendiales, uel decendiales feriæ, à quibus octodialia sacra dici à nobis possunt, qui octo dies sunt attributi Diuis quibusdam augustioris religionis causa. Esuriales autem ferias quis dici eos dies nolit, quibus ex religione ieiunatur? Quadragintadiale tempus, uel quinquagintadiale cur non dicatur illud, quod primi nostræ religionis au-

ctores τεσσαρακοστὴν καὶ πεντηκοστὴν, καὶ ἑξηκοστὴν, dixerunt? Ex hac forma sunt mortualis dies contrarius natali, lustralis aqua, eadem prorsus quæ hodie seruatur in templis, nec apud nos ambarualium sacrorum nulla omnino religio est: immo etiam cinerales dies, & hinc cineralia docti homines voluerunt esse tempus quadragintadiale, quod modo nominaui, et licentiosos dies qui illa antecedunt (solam propter similitudinē obscænitatis) Lupercalia. Sospitalis est, qui saluti cuiquam fuit, non minus quàm sospes, aut sospita, quæ uox est priuatæ, aut publicæ etiam religioni commoda, quùm sospitali Christo gratias agimus, Diuisque sospitalibus, uel Matri Virgini sospitæ sacellum, aut aram dicamus. Eadem quæ superiorum sed paululum diuersa uox est, eorum, quæ à principio ostendi, consularis, militaris, puellaris, pauciora, quàm ea, quibus similia sunt. Hinc fuere Apollinares ludi, auxiliares copiæ, solare lumen palmares statuæ, speculares lapides, aquilonares venti, talares tunicæ, manipulares milites, piaculare auspicium, pupillaris inopia. Dij tutelares dicebantur, quos urbium esse præsides credebant, ut Venerem Cypri, Iunonem Carthaginis, Mineruam, & Apollinem Troiæ, quemadmodum apud nos urbes fere omnes ex Diuis aliquem singulari religione colunt. Immò etiam à principio generis humani (ex eorum sentētia qui hanc religionem ignorabant)

XXVII. ut cōsularis.

mortales

mortales omnes, ut nati sunt, suos habēt quisque
genios, à prouidentia ad vitam cuiusquē tuendā
constitutos. Nos uerò diuinis edocti oraculis sci
mus unicuique hominum singulas ex illis, qui-
bus ante dictum est, sempiternis mentibus esse
attributas, quibus tutelaribus Diuis nostram
uitam Deus commendatam semper esse voluit.
Tertium fuit genus, eorum quæ ita cadunt, vt X x VIII.
Senilis, anilis, puerilis. Pauca hæc sunt, nec mul- vt senilis.
ta esse potuerunt. Quando enim ternæ uoces ad
unam significationem declarandam natę sunt,
satis est superiores duas esse infinitas. Quæ igi- Nulla hominū loquela cōparāda linguæ latinæ.
tur copia linguæ vllius tanta esse potest, quàm
huic facias parem? Pronunciandi etiam suaui-
tas ubi seruari castius potest, quàm in eo sermo
ne, in quo res unæ tribus nominum generibus
explicantur? A lupercis enim lupercales dicun
tur ludi, ab Apolline Apollinares. Manifestum
inter hæc discrimen est. Si commutes hæc, ut à
lupercis tale nomen facias, quale est Apolli-
naris, lupercalis: ab Apolline uerò, quale est
lupercalis, uel à puero non puerile, sed luperca
lib. aut Apollinaribus simile ducas nomen, suaui
tatē neglexeris pronunciandi, quā tāta copia,
& uarietate hac trium generū nostri maiores
quæsiuerunt. Atque (ut finiam) non desuerunt,
qui hoc loco pręter uetera senilis, ciuilis, iuueni-
lis, infantilem quoque fecerint. Quorundam
animalium stabula nomen ex his inuenerunt, ut
non

non modo ouile, caprile, equile, sed etiam suile, dictum fuerit. Atque hæc quidem tria unum cadunt sub significandi genus, quemadmodum illa etiam bina præstantia, & affluentia. Hæc primum tria extiterunt propter commodum uocis, ut nisi, quale est Apollinaris, nomen placeat, faciamus quale est consularis, hoc si absonum uideatur, postremum sit quale est senilis.

XXIX. forma, vt præstantia.

Nunc accedo, ut quæ præstantiæ, & affluentiæ similia sunt, exponam, quæ duo differunt non genere significandi, sed natura coniugationum. Coniugationes autem à grammaticis dictæ sunt illæ quatuor declinandi formæ, quibus uerba alia declinantur, ut laudare, alia, ut placere, alia, ut scribere, alia, ut aperire. Quæ primæ sunt coniugationis, huiusmodi nomina faciunt quemadmodum abundantia, & obseruantia, quæ trium cæterarum, quemadmodum indigentia, reticentia, negligentia, audientia. Non ita multa sunt à prima coniugatione, uel secunda, uel quarta, plurima autem à tertia ducuntur. Primæ sunt à uerbis vigilare, temperare, abundare, ignorare, præstare, substare, à quo postremò placet mihi uehementer, quod philosophi substantiam fecerunt ea ratione, qua à præstando præstantiam. Aliæ sunt à nominum casibus gignendi coniugationum omnium vt incogitantis, & inconsiderantis, à quibus est incogitantia, & inconsiderantia, itemque ab inconstantis, indolen-

tis, indolentis, infrequentis, inscientis, innocentis. His addas licet quæ sunt a nominibus imprudens, insolens, insipiens, impotẽs: atq; impudens fecit impudentiã. ab eo autem, quod est pudens satis fuit pudorem esse natum. A magnificus autem, beneficus, honorificus, & huiusmodi quibusdam, nomina sunt quasi essent à magnificens, beneficens, honorificens. Verum à prima forma declinandi est apud M. Tullium curantia, quod hodie superstitiosiores multi, ne illo quidem auctore tanto, dicere auderent, qui minus profecto auderent, quod is de non curantia se scripsit esse admonitum à fratre. Nolo equidem hoc uersari in publica, & quotidiana consuetudine sermonis, ut (quemadmodum grammatici loquuntur) præpositio uerbis casum non habentibus præponatur, sed cogitari ex his uolo, quid Cicero, tametsi castissimus in loquendo, non auderet, quãdo & curantiam dicere, & ita, ut dixi, illa duo uerba coniungere, tractareque est ausus. Secundæ formæ sunt, quæ iam dixi à uerbis indigendi, continendi, prouidẽdi, inuidendi, abstinendi, pœnitendi, pollendi. Ab hoc postremo Plautus & ueteres pollẽtiam dicebant. Quod autem à pœnitendo est, uel post seculum Varronis factum est à doctis, & receptum, uel, quod magis concesserim, erat ante in auctoribus, & libris, qui interciderunt. Verumtamen, utrum acciderit, eo carere nunc religio non potest. Ipsa enim res,

ac

ac nomini subiecta uis, neque grauior, neque in sacris, & omni in sermone Christiani hominis crebrior esse potest. Tanti ergo erit apud nos barbarismi falsa opinio, & grammatici cuiuspiā stulta reprehensio, vt rem tantam, & quotidianō, aßiduóque in vsu versatam, nomine carere patiamur? Sed uenio ad formam declinandi tertiam. Perspicientiam, & despicientiam dici, nemo reprehendit, mirantur tamen, & notatum habent locum Ciceronis, quasi eum locum non temere omnes debeant imitari: prodigentiā uerò Cornelij barbaram esse dicunt. Rursus profluentiam orationis, & ingentem confidentiam, hanc à Terētio, illam à Cicerone dictam sciunt: diffidentia, vtrum dicenda sit, non ipsa ex religione, aut uerbi neceßitate spectant, sed grammaticorum commentarios consulunt, vnde M. Tullij solam auctoritatem cognoscant: Sunt ex his quæ veniunt à diligendo, experiendo, eloquendo, intelligendo, sapiendo, quæ tametsi vsu tritiora sunt, quàm ut exponi debeant, fuere tamen olim durißima non minus, quàm ab ignoscendo, & excandescendo. Nam à patiendo nomen & obediendo, sæpe Ciceronem habet auctorem. Quid? à reuerendo & appetendo, eòne latina sunt, quia idem hæc vsu triuit, an ideo is triuit, quia latinitati commoda esse uidebantur? Ab eo, quod est absens, esse debuit absentia, quemadmodum à presens præsentia. Nec ratio uel

Nomina Perspicientia, & Despicientia.

causa

causa est vlla cur euidentiæ nomine, idest σαφηνείας carere debeamus. Ad rationem temporis XXX. ut annuus. *illa paucissima referuntur, cadentia ut annuus, & menstruus, de quibus nihil dicerem, nisi plurima ex his generibus cognosci oporteret, nec de ijs tacendum esset, vnde non plurima nascuntur. Annua igitur, & menstrua sunt unius vel anni, uel mensis, & rerum sunt, non personarum, vt annuum munus, menstruum tempus. Rerum simul, & personarum sunt aßidua, perpetua, continua, superioribus germana, temporis non interrupti. Qualitatum hæc, illa uerò sunt substantiarum, biduum, triduum, quatriduum. Plura his tribus non est passa literarum apta coniunctio, nec potuere similia fieri à cæteris numerorum vocibus. Verum esto hic finis. Illa enim arduus, cernuus, fatuus, voces tantum similes habent, nullam verò communionem generis. Nec paucißima sunt huiusmodi, quæ nihil afferunt ad copiam, ut æditus, patruus, diuiduus, & quæ sunt in poetis frequentiora, viduus, innocuus, occiduus. Transeo igitur ad ea, quæ sunt his multo pleniora, & unde plurimum copia adiuuatur; quo loco ijs de nominibus dicatur, quæ illius formæ sunt, ut uersura, pictura, usura.* XXXI. vt versura. *Sed quando hic postremis de duobus dubitare nemo debet, & à uertendo versura dicta est, seu quum salix, olea, aut populus alba folia*

circa

circa solstitium uertit, seu quum à fine sulcorum boues retro uertuntur, seu quum creditor mutuatur, ad hæc omnia uersuræ nomine utimur. Quid hic ancipites esse debebimus, & uerbum nouare aliquod necessarium uerebimur, quod facere ex auctoribus nemo est ueritus? Hanc enim sequutus est uiam, Terentius, ut curuaturam primus nouaret, hanc Ouidius, ut sine ueterum exemplo rotæ curuaturam diceret, hanc M. Varro, ut pro cursu in sermonem induceret cursuram, hanc ueteres, ut uecturam, atque admissuram posteritati traderent. Norunt omnes illum Varronis locum, Equi, alij sunt idonei ad rem militarem, alij ad uecturam, alij ad admissuram, alij ad cursuram. Dicat hic aliquis me superuacuum huius loci suscipere laborem, propterea quòd nullum amplius iam tale nomen desiderat latinitas. Habet nunc enim ea, quæ fortaße olim desiderare potuisset. Sic disputant qui certis, & angustißimis finibus cupiunt hanc linguam esse conclusam, & qui hanc sterilem uolunt, senio confectam, atque adeo extinctam uideri. Sed non oportet stultis hominibus respondere, & fateor à me factum non prudentißimè, ut his aliquando in libris de lingua latina responderim. Nec uno modo tamen hic errari solet. Præter enim eos, qui ita insaniunt, alij cultum esse latinitatis aliquem non ferunt, alij uerbo tantum uno, aliunde, quàm a M. Tullij scriptis allato contaminari

Nō oportet stultis hominib. responde-re.

ri omnem latinitatis candorem putant. Hanc ego opinionem apud sanæ mentis omnes homines ridiculam, statuo non amplius esse refellendam. Hoc tantùm non uerear dicere, si latinitas iam hoc loco plena est, nihil magis gaudendum puto, quàm esse undique plenissimam, & græcis non cedere, sin quædam non latinitati, sed nobis desunt, ego profiteor me uias omnes ostendere, quibus inuenire noua possimus. Non est, qui miretur dici picturam, naturam, architecturam: atqui postremum dubitari potuit. Non enim sic in promptu rationem habet, ut priora duo, quæ sunt à natu, & pictu, quemadmodum iactura, & quęstura, a iactu, & quæstu, ut coctum a coctu, uolatura a uolatu, pensura a pensu. Dubitari minus de prætura potest, quæ a pręitu nomen inuenit. Scimus, inquiunt, hæc, & strictu-ram quoque a Virgilio, ac trituram ab alijs etiã esse dictam non miramur, ut nec illam quæ semper omnibus est in ore, literaturam, unde aut nihil, aut certè minimum ad copiam accedit, at fortasse illud mirabere, quod medici humanum semen, & mathematici conceptionis punctum, genituram esse uoluerunt. Imprudenter stomachabere etiam, nec ferendum putabis, quod scobes à lima cadentes nominent limaturas, & detrimenta uestium, auri, argenti, pecuniæ, & rerum cæterarum intertrituras dicant, & à nomine apparitorum uelint esse apparituram, à præ-

premendo preßuram, & à capiendo capturam. Apparere iam incipiunt noua, id est, quę nec ipse auderes, nec mihi permitteres. Ego uerò permitti uolo doctißimis, qui hæc olim inuenerunt, nec esse interdictum sentio vel mihi, uel cuiquam usu nouorum, quę in sermone antea minimè sunt uersata. interim uideamus, quæ doctissimi probauerunt, quorum exemplo nobis patefacta est uia ad quęcunque oporteat, aut uelimus, nondũ nata. Itaque ut cursuram Varro pro cursu, ita parituram quoque dixit idem pro partu, quod superstitiosi nolent. Ego verò auctoritate illius & exemplo fructus, licitum fuisse alijs doctis hominibus uolo, vt, diuisuram, condituram, foscuram, redempturam, repturam, & rasuram dixerint, alijs uero & secturam, & possituram, &, quod scio stultissimè repudiatum iri, quadraturam. Quod si uerba hæc doctissimorum hominum iudicio probata sunt, indocti alicuius grammatici voculas audiemus, vt ex albo latinitatis ea auferam? Immò uero & illos quibus salituram, ac salsuram dicere placuit, uehementer probo, & rusticarum rerum scriptores, apud quos est sarritura, vulsura, & velatura, nec eos mihi reprehendat quisquam ex refractarijs, qui à corporatu, temperatu, tonsu, incisu, volatuque, ad eorum quæ dicta sunt analogiam, nomina formarunt, veteres omnes, & M. Tullium sequuti auctorem, qui etiam à verbo ungẽdi fecit vncturã,

ut iurisconsulti ab eo, quod est imponere, hoc est, επιπλάζειν, imposturam. Locupletissima est omnino lingua nostra diuersis his nominum generibus, ita prorsus ut æquè existimari locuples alia non debeat. Pergo nunc dicere quæ supersunt, & ea potissimum, quæ plurima ex se gignũt nomina, & vnde noua, quum erit opus, creari posśint. Quæ enim sola sunt, uel cum paucissimis, ut fuluus, ut felix, ut spadix, vt toruus, ut illud viridans poetarum, Locupletissima est lingua Latina.

Cingit viridanti tempora lauro,

ut multa quæ singularia sunt, uel ex parte, vel omnino (vt feci hactenus) prætermittam. XXXII.

Nunc illa paucis absoluã, quę in voces easdem, atque turbidus, & placidus terminantur. Fiunt hæc uel à nomine, uel à frigescẽdi uerbo frigidus, à stupescendi stupidus, à calescendi calidus, certè à trepidandi trepidus, & à tepescendi tepidus, & eadem ancipiti uia à marcore, uel marcescendo, torpore, uel torpescendo, tumore, uel tumescendo, horrore, uel horrescendo, itemque similia nomina sunt, & similiter nata pallidus, albidus, splendidus, floridus, mucidus, rigidus. Hìc uidere operę pretium est, ut in cæteris, num quæ noua, ac similia nomina facere oporteat. Si enim oporteat, uiam ostendo ad noua, quæ oportet, sin uetera sunt satis, iam illos vici, qui inopiam latinitati exprobrant, & gaudeo, et latinitati gratulor, & libentißimè hunc meum ali- vt placidus. Nota.

quando inanem esse patior laborem. Siue enim opes antiquas habeam, quibus utar, siue mihi in promptu est vnde eruam nouas, magnas, legitimas, proprias ex illa ipsa hæreditatę amplißima, ne dicam etiam infinita, quæ mihi à meis maioribus relicta est, quis tam impudens, tantaque dementia est, qui inopiam audeat nominare? Sed quædam similia his quæ dicta sunt, potius ex nominum fontibus nascuntur, inter quæ sunt grauidus, roscidus, succidus, rauidus, insipidus, cãdidus. Alia, uel a nomine, uel a uerbo nata uideri poßunt, rabidus, uiuidus, liuidus, fœtidus, olidus, humidus, perfidus, floridus, feruidus. Quorundam latet ratio, quam neque uerbo, neque nomini poßis attribuere, ut stolidus & hispidus. Sed mihi ad cætera, quæ sunt adhuc multa, festinanti, non neceße est nimium in singulis immorari. Itaque videamus quę sunt ut rostratus,

XXXIII. ut paludatus. *& picturatus. Hæc duorum sunt generum. Alia enim ut paludatus, & pileatus, paludamẽto, aut pileo indutum significant; alia ut lunatus, reticulatus, instar lunæ, aut retis aliquid factum. Nunc à primis incipiendum uidetur. Laureatos fasces dicebant, & laureatas imagines, lauro, aut laurea ornatas. Ad illã hæc rationem dicuntur, qua picturatum aliquid, uel tunicatum, uel ocreatum, uel scutatum dicimus militem, aut cristatam galeam. Hinc nomen acceperunt, qui personas induunt, ut personati dicantur,*

tur, qui purpuram, ut purpurati, qui laruas etiam, qui armillas, qui pallium, qui pennas, qui cothurnos, qui balas, qui saga, qui manicas, qui armati hastis, qui tecti stola, aut penula. Verum ego hunc locum non ita sum ingressus, quasi uelim dicere omnia, immo ne multa quidem. Tantùm ex his cupio intelligi, quę necesse est esse infinita, non ea modo, quæ sunt, sed illa etiam, quę esse possunt, quęque nondum hanc lucem aspexere. Nam si nomina hinc sunt adepti, qui armati sunt hastis, tecti stola, ornati gemmis, profecto sequi nos hæc ratio debebit, ad omne uestitus, uel ornatus, uel armorum genus, uel quod olim fuit, uel paulo ante nos, uel nostro seculo natum, uel quacunque in posteritate esse in usu cœperit. Illud solum excipio, quod sæpe dictum est, ut neve necessitas non postulet, & ineptè fiat, neve sonus uocis, & coniunctio repugnet literarum. A trabea enim, & à galea, bene trabeatum dicimus, & galeatum, a casside autem non fortasse ita placeat eruditis auribus huiusmodi nomen facere. Hæc si auferantur incommoda, nimium esse morosum oportebit eum, qui etiam necessitati non seruiendum putabit. Aurata enim dicuntur quæ auro tecta sunt, argentata, quæ argento, ferrata & ærata, ferro &, ære munita, & accurata, quæ diligenter accurateque facta sunt. Simile hinc nomen habuerunt, quæ ornata sunt gemmis, strata silicibus,

Quæ fugienda in nouandis uocibus.

ornata tessellis,tecta marmoribus,operta tabulis,infecta muricibus. Nam ostreata sunt cortice durissimo prædita,uel ostreorum duritati similia,quare ad illa uenio,quæ similitudinem habent. Ac primùm adformas rerum notandas hæc ferè dicuntur, vt carinata sint,ad carinæ similitudinem facta,similiter arcuata, fornicata, serrata, dentata. Hinc nomen est rebus in pectinis,hamorum,oui,pustularum,testudinis, umbilici,cultelli, falcis,reticuli,mucronis, uermiculorum,uerriculi, cristæ modum factis. Tametsi cristata non solum in cristæ similitudinē facta,sed etiam cristas habentia dicere solemus,vt galeas, & aues cristatas. Mille hinc nomina fieri possunt noua,nec eos reprehendo, qui crispatas vestium partes quasdam à similitudine cappadocæ lactucæ,quæ crispa est,dixerunt lactucatas. Italiæ sutores plurimi rumatum calceum, uel semirumatum dixerunt, & ego quidem habeo gratiam ijs,quorum industria illud mihi præstitit,ut ne primus mām ata quædam uascula,& res alias compluuiatas, lacunatas, scutulatas, pampinatas,vndulatasque vestes dicerem. Superioris tamen generis illa sunt à fenestris, laquearibus,capitulo,niue,strijs,rubrica, marmore,nummis,capillo,solea,ocreis,à mento. Solatos etiam dicimus,ut sideratos,idest malo sidere afflatos aliquo,vnde est sideratio, quæ omni ferè generi animantium,atque plantis, calami-

tas accidit. Stellatus uerò, si propriè dicatur, ipsi tantùm cœlo conuenit, sin translatè, solius est similitudinis, ut picturę, uestes, animalia, aut res alię, stellarum uarietate quarundam distinctæ. Patet autem infinitè hæc ratio, nec finis est nominum, quæ hinc nasci poßunt, nec diem Virgilio dici volo ab indoctis, qui turritas vrbes, nec Plauto, qui res, aut homines oculatos dixit, nec rei rusticæ scriptoribus, qui à verticillo verticillatum, a furcillis furcillatum, a stria striatum, à pampinis pampinatum, & à fluuio fecere fluuiatum. Maceratur enim diebus aliquot in aqua linum, aut cannabis, qua ex re fluuiatum linum, aut cannabim dixerunt. Quibus autem rebus aliæ res teguntur, vel incrustationes fiunt, ex ijs omnibus ducantur huius formæ nomina, ut picatum dolium, cæratæ tabulæ, gypsati pedes, plumbatæ fistulæ; similiter à luto, & argilla, cæterisque huiusmodi rebus, quemadmodum ante iam de auro, argento, ære, ferro dictum est. Verùm accedo iam ad genus illud, vnde est humanitas, uetustas, varietas. XXXIII.
Similium his nominum, uel quæ sunt uetera, vel vt pietas.
quæ fieri possint noua a doctissimis, nullum erit finem inuenire. Ego illa quæram hoc loco tantùm, quæ apud minus exercitatos non ualde trita sunt, uel à nimium obstinatis non multùm permissa. Primùm verò ex analogia illorum, quæ docti omnes, & indocti probant, ut felici-

 tas,

non modo ouile, caprile, equile, sed etiam suile, dictum fuerit. Atque hæc quidem tria unum cadunt sub significandi genus, quemadmodum illa etiam bina præstantia, & affluentia. Hæc primum tria extiterunt propter commodum uocis, ut nisi, quale est Apollinaris, nomen placeat, faciamus quale est consularis, hoc si absonum uideatur, postremum sit quale est senilis.

XXIX. forma, ut præstantia. Nunc accedo, ut quæ præstantię, & affluentię similia sunt, exponam; quæ duo differunt non genere significandi, sed natura coniugationum. Coniugationes autem à grammaticis dictæ sunt illę quatuor declinandi formæ, quibus uerba alia declinantur, ut laudare, alia, ut placere, alia, ut scribere, alia, ut aperire. Quæ primæ sunt coniugationis, huiusmodi nomina faciunt quemadmodum abundantia, & obseruantia, quæ triū cæterarum, quemadmodum indigentia, reticentia, negligentia, audientia. Non ita multa sunt à prima coniugatione, uel secunda, uel quarta, plurima autem à tertia ducuntur. Primæ sunt à uerbis vigilare, temperare, abundare, ignorare, præstare, substare, à quo postremò placet mihi uehementer, quod philosophi substantiam fecerunt ea ratione, qua à præstando præstantiam. Aliæ sunt à nominum casibus gignendi coniugationum omnium vt incogitantis, & inconsiderantis, à quibus est incogitantia, & inconsiderantia, itemque ab inconstantis, indolen-

tis, indolentis, infrequentis, inscientis, innocentis. His addas licet quæ sunt a nominibus imprudens, insolens, insipiens, impotẽs: atq; impudens fecit impudentiã. ab eo autem, quod est pudens satis fuit pudorem esse natum. A magnificus autem, beneficus, honorificus, & huiusmodi quibusdam, nomina sunt quasi eßent à magnificens, beneficens, honorificens. Verum à prima forma declinandi est apud M. Tullium curantia, quod hodie superstitiosiores multi, ne illo quidem auctore tanto, dicere auderent, qui minus profecto auderent, quod is de non curantia se scripsit esse admonitum à fratre. Nolo equidem hoc uersari in publica, & quotidiana consuetudine sermonis, ut (quemadmodum grammatici loquuntur) præpositio uerbis casum non habentibus præponatur, sed cogitari ex his uolo, quid Cicero, tametsi castißimus in loquendo, non auderet, quã do & curantiam dicere, & ita, ut dixi, illa duo uerba coniungere, tractareque est ausus. Secundæ fomæ sunt, quæ iam dixi à uerbis indigendi, continendi, prouidẽdi, inuidendi, abstinendi, pœnitendi, pollendi. Ab hoc postremo Plautus & ueteres pollẽtiam dicebant. Quod autem à pœnitendo est, uel post seculum Varronis factum est à doctis, & receptum, uel, quod magis conceßerim, erat ante in auctoribus, & libris, qui interciderunt. Verumtamen, utrum acciderit, eo carere nunc religio non potest. Ipsa enim res,

ac nomini subiecta uis, neque grauior, neque in sacris, & omni in sermone Christiani hominis crebrior esse potest. Tanti ergo erit apud nos barbarismi falsa opinio, & grammatici cuiuspiā stulta reprehensio, vt rem tantam, & quotidiano, aßiduòque in vsu versatam, nomine carere patiamur? Sed uenio ad formam declinandi tertiam. Perspicientiam, & despicientiam dici, nemo reprehendit, mirantur tamen, & notatum habent locum Ciceronis, quasi eum locum non temere omnes debeant imitari: prodigentiā uerò Cornelij barbaram esse dicunt. Rursus profluentiam orationis, & ingentem confidentiam, hanc à Terētio, illam à Cicerone dictam sciunt: diffidentia, vtrum dicenda sit, non ipsa ex religione, aut uerbi necessitate spectant, sed grammaticorum commentarios consulunt, vnde M. Tullij solam auctoritatem cognoscant. Sunt ex his quæ veniunt à diligendo, experiendo, eloquendo, intelligendo, sapiendo, quæ tametsi vsu tritiora sunt, quàm ut exponi debeant, fuere tamen olim durissima non minus, quàm ab ignoscendo, & excandescendo. Nam à patiendo nomen & obediendo, sæpe Ciceronem habet auctorem. Quid? à reuerendo & appetendo, eòne latina sunt, quia idem hæc vsu triuit, an ideo is triuit, quia latinitati commoda esse uidebantur? Ab eo, quod est absens, esse debuit absentia, quemadmodum à præsens præsentia. Nec ratio uel

Nomina Perspicientia, & Despicientia.

causa

causa est ulla cur euidentiæ nomine, idest σαφηνείας carere debeamus. Ad rationem temporis illa paucissima referuntur, cadentia ut annuus, & menstruus, de quibus nihil dicerem, nisi plurima ex his generibus cognosci oporteret, nec de ijs tacendum esset, vnde non plurima nascuntur. Annua igitur, & menstrua sunt unius vel anni, uel mensis, & rerum sunt, non personarum, vt annuum munus, menstruum tempus. Rerum simul, & personarum sunt aßidua, perpetua, continua, superioribus germana, temporis non interrupti. Qualitatum hæc, illa uerò sunt substantiarum, biduum, triduum, quatriduum. Plura his tribus non est passa literarum apta coniunctio, nec potuere similia fieri à cæteris numerorum vocibus. Verum esto hic finis. Illa enim arduus, cernuus, satuus, voces tantum similes habent, nullam verò communionem generis. Nec paucißima sunt huiusmodi, quæ nihil afferunt ad copiam, ut æditūus, patruus, diuiduus, & quæ sunt in poetis frequentiora, viduus, innocuus, occiduus. Transeo igitur ad ea, quæ sunt his multo pleniora, & unde plurimum copia adiuuatur; quo loco ijs de nominibus dicatur, quæ illius formæ sunt, ut uersura, pictura, usura. Sed quando hic postremis de duobus dubitare nemo debet, & à uertendo versura dicta est, seu quum salix, olea, aut populus alba folia

XXX. ut annuus.

XXXI. vt versura.

circa

circa solstitium uertit, seu quum à fine sulcorum boues retro uertuntur, seu quum creditor mutuatur, ad hæc omnia uersuræ nomine utimur. Quid hic ancipites esse debebimus, & uerbum nouare aliquod necessarium uerebimur, quod facere ex auctoribus nemo est veritus? Hanc enim sequutus est uiam, Terentius, ut curuaturam primus nouaret, hanc Ouidius, ut sine ueterum exemplo rotæ curuaturam diceret, hanc M. Varro, ut pro cursu in sermonem induceret cursuram, hanc ueteres, ut vecturam, atque admissuram posteritati traderent. Norunt omnes illum Varronis locum, Equi, alij sunt idonei ad rem militarem, alij ad uecturam, alij ad admissuram, alij ad cursuram. Dicat hic aliquis me superuacuum huius loci suscipere laborem, propterea quòd nullum amplius iam tale nomen desiderat latinitas: Habet nunc enim ea, quæ fortaße olim desiderare potuisset. Sic disputant qui certis, & angustißimis finibus cupiunt hanc linguam esse conclusam, & qui hanc sterilem uolunt, senio confectam, atque adeò extinctam uideri. Sed non oportet stultis hominibus respondere, & fateor à me factum non prudentißimè, ut his aliquando in libris de lingua latina responderim. Nec uno modo tamen hic errari solet. Præter enim eos, qui ita insaniunt, alij cultum esse latinitatis aliquem non ferunt, alij uerbo tantùm uno, aliunde, quàm a M. Tullij scriptis allato contaminari

Nõ oportet stultis hominib. respondere.

ri omnem latinitatis candorem putant. Hanc ego opinionem apud sanæ mentis omnes homines ridiculam, statuo non amplius esse refellendam. Hoc tantùm non uerear dicere, si latinitas iam hoc loco plena est, nihil magis gaudendum puto, quàm esse undique plenissimam, & græcis non cedere, sin quædam non latinitati, sed nobis desunt, ego profiteor me uias omnes ostendere, quibus inuenire noua possimus. Non est, qui miretur dici picturam, naturam, architecturam: atqui postremum dubitari potuit. Non enim sic in promptu rationem habet, ut priora duo, quæ sunt à natu, & pictu, quemadmodum iactura, & questura, a iactu, & quæstu, ut coctum a coctu, uolatura a uolatu, pensura a pensu. Dubitari minus de prætura potest, quæ a prœitu nomen inuenit. Scimus, inquiunt, hæc, & strictu ram quoque a Virgilio, ac trituram ab alijs etiã esse dictam non miramur, ut nec illam quæ semper omnibus est in ore, literaturam, unde aut nihil, aut certè minimum ad copiam accedit, at fortasse illud mirabere, quod medici humanum semen, & mathematici conceptionis punctum, genituram esse uoluerunt. Imprudenter stomachabere etiam, nec ferendum putabis, quod scobes à lima cadentes nominent limaturas, & detrimenta uestium, auri, argenti, pecuniæ, & rerum cæterarum intertrituras dicant, & à nomine apparitorum velint esse apparituram, à

præ-

premendo preßuram, & à capiendo capturam. Apparere iam incipiunt noua, id est, quę nec ipse auderes, nec mihi permitteres. Ego uerò permitti uolo doctißimis, qui hæc olim inuenerunt, nec esse interdictum sentio vel mihi, uel cuiquam usu nouorum, quę in sermone antea minimè sunt uersata. interim uideamus, quæ doctissimi probauerunt, quorum exemplo nobis patefacta est uia ad quęcunque oporteat, aut uelimus, nondũ nata. Itaque ut cursuram Varro pro cursu, ita parituram quoque dixit idem pro partu, quod superstitiosi nolent. Ego verò auctoritate illius & exemplo fructus, licitum fuisse alijs doctis hominibus uolo, vt, diuisuram, conditurã, foscuram, redempturam, repturam, & rasuram dixerint, alijs uero & secturam, & cocturam, & quod scio stultissimè repudiatum iri, quadraturam. Quod si uerba hæc doctissimorum hominum iudicio probata sunt, indocti alicuius grammatici voculas audiemus, vt ex albo latinitatis ea auferam? Immò uero & illos quibus salituram, ac salsuram dicere placuit, uehementer probo, & rusticarum rerum scriptores, apud quos est sarritura, vulsura, & velatura, nec eos mihi reprehendat quisquam ex refractarijs, qui à corporatu, temperatu, tonsu, incisu, volatuque, ad eorum quæ dicta sunt analogiam, nomina formarunt, veteres omnes, & M. Tullium sequuti auctorem, qui etiam à verbo ungẽdi fecit vncturã,

ut iurisconsulti ab eo, quod est imponere, hoc est, φιναλίζειν, imposturam. Locupletissima est omnino lingua nostra diuersis his nominum generibus, ita prorsus ut æquè existimari locuples alia non debeat. Pergo nunc dicere quæ supersunt, & ea potissimum, quæ plurima ex se gignũt nomina, & vnde noua, quum erit opus, creari possint. Quæ enim sola sunt, uel cum paucissimis, ut fuluus, ut felix, ut spadix, vt toruus, ut illud viridans poetarum,

Locupletissima est lingua Latina.

Cingit viridanti tempora lauro,

ut multa quæ singularia sunt, uel ex parte, vel omnino (vt feci hactenus) prætermittam. Nunc illa paucis absoluã, quę in voces easdem, atque turbidus, & placidus terminantur. Fiunt hæc uel à nomine, uel à frigescẽdi uerbò frigidus, à stupescendi stupidus, à calescendi calidus, certè à trepidandi trepidus, & à tepescendi tepidus, & eadem ancipiti uia à marcore, uel marcescendo, torpore, uel torpescendo, tumore, uel tumescendo, horrore, uel horrescendo, itemque similia nomina sunt, & similiter nata pallidus, albidus, splendidus, floridus, mucidus, rigidus. Hìc uidere operę pretium est, ut in cæteris, num quæ noua, ac similia nomina facere oporteat. Si enim oporteat, uiam ostendo ad noua, quæ oportet, sin uetera sunt satis, iam illos vici, qui inopiam latinitati exprobrant, & gaudeo, et latinitati gratulor, & libentißimè hunc meum ali-

XXXII. vt placidus.

Nota.

quando inanem esse patior laborem. Siue enim opes antiquas habeam, quibus utar, siue mihi in promptu est vnde eruam nouas, magnas, legitimas, proprias ex illa ipsa hæreditate amplissima, ne dicam etiam infinita, quæ mihi à meis maioribus relicta est, quis tam impudens, tantaque dementia est, qui inopiam audeat nominare? Sed quædam similia his quæ dicta sunt, potius ex nominum fontibus nascuntur, inter quæ sunt grauidus, roscidus, succidus, rauidus, insipidus, cãdidus. Alia, uel a nomine, uel a uerbo nata uideri possunt, rabidus, uiuidus, liuidus, fœtidus, olidus, humidus, perfidus, floridus, feruidus. Quorundam latet ratio, quam neque uerbo, neque nomini possis attribuere, ut stolidus & hispidus. Sed mihi ad cætera, quæ sunt adhuc multa, festinanti, non neceße est nimium in singulis immorari. Itaque videamus quę sunt ut rostratus, & picturatus. Hæc duorum sunt generum. Alia enim ut paludatus, & pileatus, paludamẽto, aut pileo indutum significant; alia ut lunatus, reticulatus, instar lunæ, aut retis aliquid factum. Nunc à primis incipiendum uidetur. Laureatos fasces dicebant, & laureatas imagines, lauro, aut laurea ornatas. Ad illã hæc rationem dicuntur, qua picturatum aliquid, uel tunicatum, uel ocreatum, uel scutatum dicimus militem, aut cristatam galeam. Hinc nomen acceperunt, qui personas induunt, ut personati dicantur,

XXXIII. ut paludatus.

tur, qui purpuram, ut purpurati, qui laruas etiam, qui armillas, qui pallium, qui pennas, qui cothurnos, qui balas, qui saga, qui manicas, qui armati hastis, qui tecti stola, aut penula. Verum ego hunc locum non ita sum ingressus, quasi uelim dicere omnia, immo ne multa quidem. Tantùm ex his cupio intelligi, quę necesse est esse infinita, non ea modo, quæ sunt, sed illa etiam, quę esse possunt, quęque nondum hanc lucem aspexere. Nam si nomina hinc sunt adepti, qui armati sunt hastis, tecti stola, ornati gemmis, profecto sequi nos hæc ratio debebit, ad omne uestitus, uel ornatus, uel armorum genus, uel quod olim fuit, uel paulo ante nos, uel nostro seculo natum, uel quacunque in posteritate esse in usu cœperit. Illud solum excipio, quod sæpe dictum est, ut neve necessitas non postulet, & ineptè fiat, neve sonus uocis, & coniunctio repugnet literarum. A trabea enim, & à galea, bene trabeatum dicimus, & galeatum; a casside autem non fortasse ita placeat eruditis auribus huiusmodi nomen facere. Hæc si auferantur incommoda, nimium esse morosum oportebit eum, qui etiam necessitati non seruiendum putabit. Aurata enim dicuntur quæ auro tecta sunt, argentata, quæ argento, ferrata & ærata, ferro &, ære munita, & accurata, quæ diligenter accurateque facta sunt. Simile hinc nomen habuerunt, quæ ornata sunt gemmis, strata silicibus,

Quæ fugienda in nouandis uocibus.

ornata tessellis, tecta marmoribus, operta tabulis, infecta muricibus. Nam ostreata sunt cortice durissimo prædita, uel ostreorum duritati similia, quare ad illa uenio, quæ similitudinem habent. Ac primùm ad formas rerum notandas hæc ferè dicuntur, vt carinata sint, ad carinæ similitudinem facta, similiter arcuata, fornicata, serrata, dentata. Hinc nomen est rebus in pectinis, hamorum, oui, pustularum, testudinis, umbilici, cultelli, falcis, reticuli, mucronis, uermiculorum, uerriculi, cristæ modum factis. Tametsi cristata non solum in cristæ similitudinẽ facta, sed etiam cristas habentia dicere solemus, vt galeas, & aues cristatas. Mille hinc nomina fieri possunt noua, nec eos reprehendo, qui crispatas vestium partes quasdam à similitudine cappadocæ lactucæ, quæ crispa est, dixerunt lactucatas. Italiæ sutores plurimi rumatum calceum, uel semirumatum dixerunt, & ego quidem habeo gratiam ijs, quorum industria illud mihi præstitit, ut ne primus mãmata quædam uascula, & res alias compluuiatas, lacunatas, scutulatas, pampinatas, vndulatasque vestes dicerem. Superioris tamen generis illa sunt à fenestris, laquearibus, capitulo, niue, strijs, rubrica, marmore, nummis, capillo, solea, ocreis, à mento. Solatos etiam dicimus, ut sideratos, idest malo sidere afflatos aliquo, vnde est sideratio, quæ omni ferè generi animantium, atque plantis, calami-

tas accidit. Stellatus uerò, si propriè dicatur, ipsi tantùm cœlo conuenit, sin translatè, solius est similitudinis, ut picturę, uestes, animalia, aut res alię, stellarum uarietate quarundam distinctæ. Patet autem infinitè hæc ratio, nec finis est nominum, quæ hinc nasci poßunt, nec diem Virgilio dici volo ab indoctis, qui turritas vrbes, nec Plauto, qui res, aut homines oculatos dixit, nec rei rusticæ scriptoribus, qui à verticillo verticillatum, a furcillis furcillatum, a stria striatum, à pampinis pampinatum, & à fluuio fecere fluuiatum. Maceratur enim diebus aliquot in aqua linum, aut cannabis, qua ex re fluuiatum linum, aut cannabim dixerunt. Quibus autem rebus aliæ res teguntur, vel incrustationes fiunt, ex ijs omnibus ducantur huius formæ nomina, ut picatum dolium, cærata tabulæ, gypsati pedes, plumbatæ fistulæ; similiter à luto, & argilla, cæterisque huiusmodi rebus, quemadmodum ante iam de auro, argento, ære, ferro dictum est. Verùm accedo iam ad genus illud, vnde est humanitas, uetustas, varietas. XXXIIII. *Similium his nominum, uel quæ sunt uetera, vel* vt pietas. *quæ fieri possunt noua a doctissimis, nullum erit finem inuenire. Ego illa quæram hoc loco tantùm, quæ apud minus exercitatos non ualde trita sunt, uel à nimium obstinatis non multùm permissa. Primùm verò ex analogia illorum, quæ docti omnes, & indocti probant, ut felici-*

tas, timiditas, ubertas, illa etiam extitere, sancti tas, pulcritas, mulierositas. Sanctitas fuit olim sanctitudo, & nunc raritas, olim raritudo, ut cõ tra nunc est pulcritudo, quæ olim pulcritas fuit. Quemadmodum vero omnium est in ore fidelitatem, & infidelitatem dicere, sic eadem ex ratione fœlicitas etiam, & infœlicitas nominata est, sic probitas, & improbitas. At impuritatem omnes dicunt, illius contrarium, quod fuisset puritas, paucissimi nominare audent. Cur non audent? Nonne hinc impuritatem necesse est esse nominatam? Minimè inquiunt nescesse est. Potest enim impunitas à suo nomine qualitatis, quod erat impurus nomen accepisse, & alia sunt multa, quæ suis a primigenijs nominibus principium non habent nascendi. Irremediabile enim, & irrequietum dixerunt illo ex principio nominum, quod usurpauisse adhuc scimus neminem. Audio istud, & subtiliter, hoc est grammaticè mendicitatem defendis tuam. Sint hæc enim uera, quæ narras, & ego non stre nuè fortasse sim argumentatus, cur tamen illa tibi ratio placere non debeat, ut quemadmodum probitas, & improbitas dicta est, sic etiam puritas, & impuritas dicatur? Noluerunt, inquiunt, Romani auctores? Noluerunt autem? Qui potes tu illorum cognoscere voluntatem? Apparet ex eo, quòd illorum in scriptis nusquam illud nomen legitur. Et uideris nunc, oro te, ex

Puritatis nomen & impuritatis.

ra-

ratione disputare? eaque ex re consilium pernosse, & voluntates videre maiorum? Vehementissimum crederetur argumentum, & nihil amplius quæri oporteret, si testatum illi reliquissent nolle se puritatem dicere, & barbaram illam uocem putare: nunc uerò prudentiam requiro disputandi tuam, qui à tacentibus, affers testimonium eius, quæ nunquam extitit, uoluntatis. Probauisse enim illos, quę dixerunt, certum est, repudiauisse autem quæ non accidit, ut scriberent, uel ut scripta ad nos peruenirent, non audet, nisi qui insaniat, contendere. Denique puritatem hodie non esse in antiquissimorum libris fateor, non fuisse autem in uoluntate, non est quomodo probare posis: Mihi quidem rationes omnes cogitanti non uidetur fuisse, cur doctißimi ueteres cõsultò hanc uocem, atque ut à se nõ probatam repudiare uoluisent. Aliquem uerò unum ex ijs, qui post seculũ Varronis mecũ sentire, nec puritatis nomen reformidare uisi sunt, illũ unũ cũ grammaticis omnib. cõferre nõ debeo, & maximum iudico pondus cũ obtinere auctoritatis. Illi enim præterea, omnes M. Tullij, omnes M. Varronis, aliorumque illustrium auctorum, & Catonis, & Ennij, & Pacuuij, & veterum poetarum scripta omnia legerunt, in quibus non dubium est fuiße plurima, & amplissima latini sermonis adiumenta, quæ tu ignores necesse est.

Antiqui non repudiauerunt quæ scripta nõ reliquerunt.

Quid ergo sic disputas, quasi cognoueris omnia, qui nec potuisti quidem satis magnam partem videre? Ego uerò doctissimos, quos iam dixi, viros mihi volo esse auctores, uel ad antiquitatem, quæ illis nota erat, cognoscendam, uel ad pulcherrimarum rerum scientiam, & copiam latinitatis augendam. Non enim ita arrogans debet esse quisquam, vt illorum doctrinas, eloquẽtiam, & in uerbis iudicium contemnat. Age iã, nemo reprehendat, uel paucitatem, uel simultatem, vel fidelitatem dici; & inanitates etiam, & familiaritates, vicinitates, & voluptates, & auctoritates ferantur. Sunt enim hæc Ciceronis omnia: atritas uerò, quam Plautus dixit, repudietur, & uerbis carendum sit optimis, & necessarijs potius, quàm à Cicerone discedendũ. At ego nihil minus uolo, quàm in sermone, literis, & eloquentia ab illo discedi, qui parens fuit literarum omnium, sed quàm sit hoc à Cicerone discedere, illi ipsi uiderint, qui hac de re longiorem adhuc disputationem desiderant. Iam uerò, quùm proposita nobis est amabilitas, vnitas, obesitas, æuitas, ęternitas, non prius utẽdum his est, quàm ad Ciceronis indices, tamquam ad fastos, aut sibyllæ carmina recurramus. Inæqualitatis nomen scio illum non libenter fuisse dictu rum, nec repudiaturum tamen, si qua eum necessitas coegisset. Video enim, ut qualitates, & quantitates primum timuerit quidẽ, uerũ tamẽ

quum

quum præfatus esset (ut est in loquendo religiosus) veniam, sese primum illius vtriusque uerbi auctorem denique esse uoluit. Vulgare est perpetuitatis, stabilitatis, & fertilitatis nomen. Sed fraternitatis nõ latinũ uidetur, quia nõ est apud quos oportebat, & eius loco germanitatẽ dicimus. Vtrũque hoc falsum est. Nã apud ueteres õẽs uerba præsertim latina sunt omnia, & propriè si loqui uolumus, aliud fraternitas est, aliud germanitas. Hæc enim inter germanos fratres ex ijsdem est parentibus, illa verò inter patrueles etiam, & consobrinos eße potest. Si verò ex his quædam duriuscula videri possunt, quid magis durum fuit quodam tempore, quàm à ciuibus ciuitatem, à pernici pernicitatem, & præterea hospitalitatem, loquacitatẽ, uanitatẽ, & viriditatem dicere? Mirantur mihi quidam, nec ferunt, quòd mulierositas à quibusdam nominata est, imò ego puerosum quoque, & hinc puerositatem dici non molestè ferrem, & puerilitatem à doctißimis veterum aliquando nominatam renouari uelim. Nam si nimiùm uidear multa permittere, ego solis hęc doctißimis permitti cupio, atque ita cupio, ut quæ dixi, & quæ dicam noua, tantùm ad necesßitatis tempora reseruent, nec de latinæ lingue inopia conquerantur. Equidem & me, & alios minus etiam audere uolo, quàm oportet. Timiditatem tamen recreat meam, & mihi animum facit hoc loco,

Differentia inter fraternitatem, & germanitatẽ.

Nouandę sũt voces tẽpore necessitatis.

præ-

præsertim ipse M. Tullius, qui à proprijs etiã nominibus Appietatem, & Lentulitatem fecit. Quis hic igitur metuat (si modo, atque ad tempus fiat) similia dicere, & Marcellitatem, ac Fabietatem nominare? Nec veritus est Asinius Pollio, hanc ipsam rationem sequutus, nouato nomine, T. Liuio Patauinitatem exprobrare, nec cæteri postea alijs Hispanitatem. Quamobrem nos minus dura, & magis necessaria non uerebimur formare, & in loquendi consuetudinem inducere, maximeque ex illorum usu nobis placere, & latinissimè nos loqui existimare. Cur enim summæ, ac tremendæ, nomen usurpatioque trinitatis non tam latina uideri nobis debeat, quàm si eam Roma ipsa quondam in suis scriptis omnibus usitatam probauisset? Nam si nomen aliud excogitari non potest, & res, quæ nominatur, sempiterna est, immo adeo ipsa æternitas beatißima, profectò illius nomine contenta latinitas eße debet, quod est diuinitus inuentum. Quid enim græca male docti quidam homines maluerunt, ut illi τριάδος nomen darent, quasi græcè melius, quam latinè dicatur? Illud vero doctos homines cogitare uelim peßimè nos facere, ut circa rerũ, quæ semper futuræ sunt, nomina semper dubij, atq; incertissimi simus. Ita .n. his in rebus uersamur, quasi has non recordemur eße sempiternas, uel sempiternum in tempus carere debeant apud literatos homines lumine.

Trinitatis nomẽ pro latinissimo habẽdum.

mine verborum: quod si fieri non debet, cogita, oro te, mecum, nunquando futuri illi non sint, quos nostra antiquitas monachos nominauit: nunquando esse desinent, quæ Romanis incognita, noua mox religio introduxit; aut non erunt ullo in tempore, quæ ad ritus, quæ ad sacra, quæ ad usum belli, quæ ad artes, quæ ad ius Pontificium, quæ ad ciuile commodum sunt post Romanos inuenta. Quod si infinita hæc æterna esse necesse est, cur suis nominibus apud nos distincta per doctissimos homines esse non debeant? Immò, etiam si eiusmodi essent, quæ iã non extarent amplius, vel intermoritura esse aliquando viderentur, illorum tamen aliquam posteritati memoriam traderemus. Quamobrẽ nunc quidem, supremo numini vetus nomen trinitatis ratum esse apud latinos homines censeo oportere, vt Romæ, nihil in foro, nihil in senatu, nihil apud populum latinius, illustrius, uel tanta cum dignitate, aut amplitudine dici aliquando potuerit. Leuissimis olim rebus, nouum huius formæ nomen datum fuit, nunc summis, sanctissimis, & omnium quæ in cælo sunt grauissimis, dandum non putabimus? Illi enim ueteres doctissimi, vt pietatem, vt humilitatem, ut animi vacuitatem, sic à legenda olea, oleitatẽ & (quod mirere) à ficis, ficitatem dixerunt. Deitatis verò nomen vtrum aliquando antiquissimi auctores vsurparint, ideo suspicari ualde

Nota si leuibus rebus data sunt nomina, debent etiam dari summis.

de non possum, quod sibi fortaße, diuinitatis cre diderũt satis esse ad quæ uellent. Quæ dicta sunt; quæque dici possent, ferè omnia tertiam uocalem habent in syllabis, quæ antecedũt ultimas, paucis exceptis, inter quæ sunt uiduitas, uetustas, pietas, paupertas, sed quod postremum ex his est, fuit quodam tempore ipsum quoque, ut cætera, ex ratione pauperitas. Nec uitatum est à doctis æquilibritatem dicere, & laudo eos, qui uitiositatis, & otiositatis nomina primi excogitarunt, ut eos etiam, qui unitatem, suburbanitatem, proteruitatem, binitatem, aduersitatemque dixerunt, & M. Varro ueteritates, & autumnitates.

XXXV. ut latitudo. Similia etiam inter se sunt pulcritudo, & fortitudo: quo ex genere tritiora sunt nomina similitudinis, necessitudinis, nec est qui putet hæc non latinè dici. Valetudinem quoque, uicißitudinem, solitudinem, habitudinem omnes libenter accipiunt, & M. Tullius immensitatem dixit latitudinum, longitudinum, altitudinum, & auctor idem lassitudinem, lentitudinem, rerum gestarum amplitudinem, orationis lenitudinem, vitæ sanctitudinem, & multis ex rebus solitudinem, sæpißimè nobis affert ad imitandum, & plurima similiter nouè declinanda. Quamobrem si amaritudinem dicere oporteat, si salsitudinem, si tabitudinem, aut uariandi gratia vanitudinem sciamus hæc, & similia multa ipsis ex fontibus esse latinitatis.

Quid gratitudinis, Gratitudinis uerò nomen,

men;& ingratitudinis auctores nostri usu tere-repotuissent, quod sacramento contendam casu potius relictum à vetustioribus, quàm volunta-te, & consilio vitatum. Quid enim erat, cur uitari deberet, si auctores omnes insolentiora, duriora, & minus etiam necessaria triuerunt? Eius tamen in libris omnibus, aut nullus, aut ra rissimus, aut non ualde grauis est usus, non quia sit uitiosum à doctis existimatum, sed quia hìc etiam fortuna quædam dominata est. Itaque M. Tullio, & auctoribus, qui illa ætate vixe-runt, uisum est nomen hoc dissimulare, cuius for-tasse nulla extaret Plauti, Catonis, Terentij, & ueterum illorum, auctoritas. Is enim auctor ad Atticum scribens, quum ingrati animi vi-tium dicere cogitaret, græco nomine uti maluit. Sic enim scribit, sed meruisse illum de me puto ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam. Sed hoc in epistola fortaße licuit, ne illum in sermo-nem familiarem verbi nouitatem inducere vide retur. Quod si in libris de philosophia de grati animi virtute, & ingrati vitio disputandum ei fuisset, nõ dubium, quin similiter, atque is libro quarto disputationũ Tusculanarum, uoluntatis, gaudij, lætitiæ, metus, ægritudinis, obtrectatio-nis, luctus, odij, cæterarumque perturbationum, sic etiam gratitudinis, & ingratitudinis defini-tiones ex dialecticorum disciplina attulisset, ne-que nomina hæc omnino uitauisset. Nam si eo-

ingratitudinis ve de nominib. existimari debeat.

Auctores insolentiora usu triuerunt.

dem

dem, quo dictum est loco, inuidentiæ nomen primus nouare coactus est, quid facturum putamus eum fuisse, si alijs in libris ad hæc nomina incidisset, quibus nihil est, quod magis uersetur in consuetudine loquendi? Nihilo minore enim elegantia gratitudo, & ingratitudo dici potuit, quam tritissima illa apud omnes cõsuetudo, turpitudo, lippitudo, ægritudo, inualetudo. Tres hęc nomina formas habent. Vna iam dicta est, altera non quintam in penultima syllaba uocalem obtinet, sed secundam, vt intercapedo, salsedo, grauedo, torpedo, tertia tertiam, ut libdo, trepido, formido. Multo plura autem hæc omnia fuißent, nisi pro his illa forent, quæ proximè sunt à nobis exposita. Vtraque enim unam ferè, atque eandem notionem habent, id quod illa declarant, quæ nihil interfuit utracũque forma dicerentur. Nam lenitas, & lenitudo, sanctitas, & sanctitudo, beatitas, & beatitudo, quod habent inter se discrimen, quod item uetera, similitas, uicissitas, granditas à similitudine, uicissitudine, & granditate? Quam ualde inter se distant seueritas, & seueritudo, spissitas, & spißitudo? Verum ego propterea, quia eadem hæc, & illa sunt, non puto mihi de his dicendum pluribus. Immò uerò ne illa quidem ab his differunt, quæ sequuntur, similago, uorago, plumbago, & per tertiam uocalem vligo, impetigo, fuligo, scaturigo, vrigo, porrigo, adhuc per quintam, ut pellu-

Hæc nomina habent tres formas.

XXXVI. uorago.

go, & salsugo, quæ ostendere uolui tantum, ut palam fiat quantis, & quam multis ex fontibus latini sermonis copia nascatur. Extitere etiam patrum nostrum memoria docti homines qui ceraginem à cera, & melliginem à melle dixerunt. Quadrupedum verò suffragines nemo est, qui non legerit, ut apud medicos etiam inter trigines. Sed inter noua sunt parturigines, quarũ arbitror nomen Theodorus Gaza excogitauit primus, vt aptissimè græco nomini ὠδίνων latinũ redderet. Nomina pariet hic etiam locus infinita. Ipsa certè declinandi uarietas, atque huiusmodi formarum tanta est, quantam non una modo, sed ne plures quidem linguæ externæ æquare poßint. Verumtamen illud potius nostrum sit, uidere, ut, quæ sunt ex his uetera, his utamur, quæ necessitas coget formare noua, ea ne propter metum uitemus. Nam de comparatione aliarum linguarum, & nostræ, & quæ uideatur ex his omnium locupletißima, non tam ut nostra cæteris anteponenda esse uideatur, quàm ut inuidis, atque obstinatis, & latinæ gloriæ inimicis respondeam, mihi ad quæstionis huius finem uti dicerem, reseruatum esse uolo. Nunc de ijs dicendum est, quæ sic postremas terminant syllabas, ut luxuries, & pauperies, quæ nec ipsa quidem satis multa eße possunt propter similitudinem, quæ his est cum superioribus. Nec est, cur similitudo negetur. Nam si pauperies

Parturiginum, à Theodoro nouatũ nomen.

XXXVII. ut pernicies.

peries aliud est, quàm paupertas, aliud esse necesse est pauperie aliquem, aliud paupertate laborare. Non potest enim alia vis esse verbi, alia orationis, quæ efficitur ex verbo. Quamobrem nunc genus quartum hoc accedit ad superiora, quæ similia inter se fuerunt. Præterea etiam hoc loco ne luxuria quidem inter se differunt, & luxuries. Declarat hoc M. Tullius, qui & sæpe alibi, & in oratione præsertim pro Roscio Amerino hæc non discreuit. In vrbe (inquit) luxuries creatur, ex luxuria auaritia, & ex auaritia erumpit audacia. Lucretius etiam, & veteres auaritiam quoque, & auaritiem dicebant. Temperies est bona rerum inter se mixtarum temperatio, & contraria, quæ est intemperies, sed intemperiæ olim furiæ dicebantur. Esuries nota est ab esuriendi verbo. Vtramque vocis formam tenent munditia, & mundities, materia, & materies, spurcitia, & spurcities, quomodo nequitia, & nequities, segnitia, & segnities, barbaria, & barbaries. Ingluuiem Terentius pro voracitate, & illuuiem pro squalore, ac sordibus posuit: vnde proluuies fuit, alluuies, colluuies, & subluuies pro morbo ouium, & rabies canũ, luporum, & huiusmodi animalium. Pulliciem rei rusticæ scriptores pro pullatione dixerunt. Superficies est quarumcumque rerum extremitas, & pars extima, quæ oculis cernitur, uel nuda potius area, atque solum purum, in quo edificatur,

tatur, macies uerò, vnde macilentum corpus, vel macilentum animal, pernicies à necando, saties dicta à quibusdam est pro satietate, quæ & satias à Terentio, ac vetustioribus dicebatur. Cæsaries coma est, qualem poeta significare voluit;

Cæsariem nato genitrix, lumenque iuuentæ:

series continuatus ordo rerum, vel orationis, vel historiæ, vel causarum aliarum ex alijs natarum, vel mutuò se continentium, vt;

Cælataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum.

Glacies aqua gelu concreta, à gelandi verbo dicta. Planities, plana loci æqualitas, effigies imago ad alterius personæ, uel rei similitudinem facta, quam Plautus effigiam nominauit, vt quę supradicta est materies, & materia, mundities, & munditia. Potest etiam requies ad hunc locum pertinere, ita enim declinatur, quemadmodum superiora, vt;

Tempus inane peto, requiem, spatiumque furori.

declinari tamen solet, vt quies, vt;

Neque enim membris, dat cura quietem.

vt faciat in casibus obliquis, requietis, & requietem. Prudens facio, vt prætereeam hoc loco plura: sed fortaße hæc etiam superuacanea

videbuntur. Verùm ego non ignoro mollibus etiam, ac delicatis hominibus inania hæc visũ iri omnia. At profectò (inquiunt) seu recipi, seu repudiari noua debeant, nunc quidem, ex his ista, quam profiteris, copiam, nullo uerbo à te adiuta est. Ego uerò totam vndique nominis analogiam, si modò possim colligere, statui exponere ante oculos. Ex ea enim verba, quæcunque uolumus, nascuntur. Si quod necessarium verbum, vna ex forma nominum repugnante sono uocis, uel coniunctione literarum, esse non potest, ideo cognitas esse omnes volo, vt confugere ad aliam possimus. Duriuscula beatitas est visa? esto igitur beatitudo. Lenior vox est sanctitatis? illius igitur frequentior sit usus, quã sanctitudinis. Varietas quærenda est verborum? venia concessa est, ut luxuria, & luxuries dicatur. Nec mihi tamen propositum est, uerba noua formare, sed uias ostendere, fontesque demostrare saltem quàm plurimos, unde quoties necesse est, quisque iudicio, arbitratuque suo haurire, quæ uelit, sibi ipse possit. Si hoc loco, aut alia in figura nominum non est fortasse, quod nouandum sit, nihil est quòd magis gaudeam, & lætor felicitate, & copia uetere latini sermonis, & patior libentißimè inanem putari aliquando hunc laborem meum. Nunc uerò, si accidat, ut nomen facere nõ poßis, quale est pernicies, quùm cæterũ erat perquisita, uide etiam,

Ex Analogia nouæ uoces oriuntur.

an succedat quale est peculatus, ambitus, pellicatus. Sæpe enim hæc pro superioribus proximis quatuor generum nominibus esse possunt. Nam tribuni (ut exempli causa dicam) suæ illius potestatis nomen habuere, ut Pontifices, ut quinqueuiri, ut consules, à quibus est Tribunatus, pontificatus, quinqueuiratus, consulatus: ædiles uerò ędilitatem facere non potuissent omnino, si plurimùm hæ duæ uoces inter se differrent. Magistratuum penè omnium hinc nomina extitere. Primum igitur duumuiratus, triumuiratus, quinqueuiratus, vigintiuiratus, et usque ad centumuiratum, ex hac forma nomen acceperunt. Patet hæc ratio ad quorumcumque numerorum collegas, etiam si necesse esset, quingentiuiratum, aut milleuiratum dicere, nec uoces, & reprehensiones extimescendæ sunt illorum, qui ad uerba singula uti uolunt tamquam nomenclatore Cicerone. Summum hunc dicendi, eloquendi, orationis faciendę, addo etiam rectißimè sentiendi auctorem putemus, sed in uerbis præter illum, tempora etiam, commoditates, ornatum, neceßitatemque ipsam teneamus magistram. Nec ita fallamur, vt ea non latinißima putemus omnia, quæ necessitas quotidie pariat, & etymologia, rationesque illæ, quas nostri maiores sequuti sunt, & sequendas nobis reliquerunt. Hinc sunt illa, quę uoces animalium significant. Nam canibus à latrando est latratus,

XXXVIII. ut peculatus.

Tempus, cõmoditas, ornatus, & necessitas facinnt ut nouentur uoces.

bobus à mugiendo mugitus, ouibus à balando balatus, itemque cæteris, ut grunnitus, hinnitus, rugitus, ululatus, boatus. Negotium sit uerba tantùm cognoscere. Ex ijs enim cognitis nomina facere similia, non uerebimur. Nam si garriendi uerbum sit, & ganniendi, garritus etiam, gannitusque non desit, vt nec pipitus, & crocitatus à pipiendi, & crocitandi uerbis, nec multa etiam alia à multis, ut sæpe alijs ex nominum formis alia nascuntur infinita. Nunc uerò sunt ex his, quæ ad sentiendum pertinent, ut à uerbo audiendi auditus, à uidendi uisus, gustandi gustatus, odorandi odoratus, tangendi tactus. Atq; ut sunt quædam à uerbis, ita nascuntur alia à nominibus, ut peditatus, senatus, cælibatus, magistratus, centuriatus. Quæ à uerbis descendunt, ut flatus, saltatus, uenatus, haustus, uolatus, incubatus, poterant esse quædam, ut incubatio, saltatio, uenatio. Alijs enim à uerbis nomina commodius fiunt, ut uestitus, quàm ut scriptio, ab alijs ut aspectus, quàm ut lectio, ab alijs utrumque genus commodissimè, & consuetudine secunda fiunt, ut incubatus, & incubatio, saltatus, & saltatio, uenatus, & uenatio, auditus, & auditio, visus, & visio, equitatus, & equitatio. Esto enim differant quædam ex his, vt aliud quiddã sit equitatio, & equitatus, idest permanentior sit auditus, quàm auditio, vt aliud sit aliquem auditu priuatum esse, quàm auditione, visus tamen

Pertinentia ad sentiendum.

men multa illorum pro his, & horum contrà pro illis accepit. Nos tamen illud viderimus, vt inueteratam falsò in animis nostris opinionem, inanemque illũ timorem, qui nos deterret à nouatione verborum, exuamus. Non equidem arbitror nobis pro libidine tantùm, ac stultitia his nouandis ineptissimè ludendum, sed copiæ tamen prudentissimè seruiendum. Delector enim apud Actium Syncerum illo splendore, cultu, mundoque orationis, & verborum, sed iuuor maximè ditescereque mihi, ac locupletari videor Iouiani Pontani copia, & audacia fœlicissima, qui suis in scriptis nullo verbo se carere patiebatur. Fortasse etiam hic auctor pluscu- lum sibi aliquid interdum in ea re permisit, quã ego mihi, aut alijs permitti vellem, sed quis tamen illum propterea dicere audeat non latinissimè, elegantissimèque scribere, vel poetam esse eum, qui numeros non teneat omnes poetarum? Ego vero timidior in hac parte, quàm necesse est, summam habeo, non omnibus quidem, sed eloquentissimis dumtaxat, ac doctissimis viris gratiam, qui duces mihi sese præbent ad quæ ipse non auderem. Sed redeo iam ad illa, quæ mihi paulò ante casu occurrerunt, ipsa quoque à verbis nata, & si quædam alia etiam à nominibus: ea sunt ut læsio, partitio, fœneratio, fraudatio, oliuatio, & mellatio. De vtrisque admonebo, quæ mihi veniunt in mentem. Oliuationem

Actius Syncerus.

Iouianus Pontanus

XXXIX vt, oliuatio.

nem si dicere placet, ea erit eadem, quæ oleitas, nec à verbo uidetur esse nata, nisi fortasse olim in vsu id fuit, vnde participium illud extiterit, quod erat veterum in ore, quum sic loquebantur, vt antiquam oliuantibus dicerent legem fuisse, oleam ne stringito, nève verberato. Neque tamen valdè curandum est, vtrum sit magis verum, neque (si hic erretur) vel pili faciendus est error. Mellatio certè fuit à nomine, & à colligendo melle nominata est. Sine uerbi origine fuit, quę alutatio dicitur ab ijs, qui aurum quærunt. Sic etiā vexillatio dicta est ab ijs, qui sunt in literis versati post Varronem, & palificatio, oculatio à rei rusticæ scriptorib. qui ēt nec pullationes, nec festucationes, aut pedationes, allaqueationes, palationesue dicere timuerūt. Visceratio & Romanorū fuit in sacris Albani mōtis, quoties latinæ indicerētur, & apud Iudęos, veteris diuini iuris, quæ religio quibusdam in urbibus Italiæ ad nos etiam permanauit. Quæ acceptilatio iurisconsultis est in ore omnibus, uerbum non habet in promptu, vnde sit nata, sed longiusculè repetitum, vt etiam illa, quæ apud Ciceronem est effrenatio, & domuitio. A farris tantùm nomine farreationem dicebant vnum quoddam inter alia genus nuptiarum. In his est superstitio, in his fortasse etiam vernatio, in his multa. Nam sideratio, pollictio, & verminatio, & cretio, & corpora

tio

tio sunt aliquibus à uerbis nata. Sunt apud Cæsarem, apud Liuium, apud historiæ scriptores à uerbis aquandi, frumentandi, pabulandi, aquatio, frumentatio pabulatio. Abdicare est hodie in usu tantùm apud rhetores, illo sensu, quo parentibus abdicare propter culpam filios legitimum erat, unde etiam abdicatio dicebatur; ille exoleuit vsus, alter mansit, qui est abdicare se magistratu, prætura, consulatu, ædilitate, tribunatu: vt si dicas, Cœlestinum Quintum Pont. Max. studio solitudinis, & sanctissimè uiuendi, quum se pontificatu abdicauisset, ad priorem uitam, solitudinemque rediuisse. Hinc est abdicatio magistratus, præturæ, pontificatus, ædilitatis. Non quærendum est quibus ex uerbis poßint nomina hæc fieri. Facilius, ac breuius illa numerarem, unde non fiant. Nam uerba omnia, quibus non desit illa pars, quæ supina à grammaticis dicuntur, nomina faciunt, qualia iam ostendi. A fascinatu enim, oratu, incommodatu, insitu, nominatu, sectu, suffitu, roratu, sexcentisque alijs, fascinationes, orationes, incommodationes, insitiones, & mille huiusmodi nomina ducuntur, quæ superuacanea pueris etiam præceptio est. Quid ergo de nutricando, frequentando, paciscendo, spoliando, tranquillando, torquendo, stercorando, simulandoque dicere oportet? Nec vitata est hiematio, uisceratio, nummatio, nec illa enuptio, cuius à Senatu Hispalæ Enuptio.

Feceniæ ius datum legimus. Nota enim illa sunt apud Liuium, Sp. Posthumius aliquantò post Romam venit, eo referente de P. Ebutij & Hispalæ Feceniæ præmio, quòd eorum opera indicata Bacchanalia essent, S. C. factum est, ut singulis centena milia æris quæstores urbani ex ærario darent, utique consul cum Tribunis plebis ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, ut P. Ebutio emerita stipendia essent, ne inuitus militaret, neue censor ei equum publicum aßignaret, vtique Fecenię Hispalę datio, diminutio, gentis eruptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset: utique ei ingenuo nubere liceret, neu quid ei, qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiæve esset, utique consules, prætoresque, qui nunc essent, quive postea futuri essent, curarent, ne quid ei mulieri iniuriæ fieret, utique tutò esset, id senatum uelle, & æquum censere, ut ita fieret. Hęc numerare uix posset quisquam, unde sunt nomina, cuiusmodi est uiolatio, contignatio, nundinatio. Fateor in his eße alia alijs minus usitata, sed si usus hic puerilis, & stulta morositas tanti facienda est, quanti ratio ipsa & neceßitas, immò etiam libertas loquendi non debuit, non modò Seneca præcipitationem, sed ne M. quidem Tullius unctionem, uerberationemve dicere, nec iurisconsulti veteres usionem, nec Plautus tactionem. Erant enim hæc noua, aut minimùm

mum usitata, aut ab ipsis tum primùm inuenta. Acceperam aliquando à Marcello fratre meo epistolam, ita raptim, atque turbatè scriptam, vix ut manus, uel sermo agnosceretur. Hanc non festinatam sed omni ex parte præcipitatam esse cum familiaribus, qui aderant mirabar. Itaque rescribens non festinationem, vel properationem, quæ tum satis non erat, sed præcipitationem dixi orationis, uerborum, & literæ. Non multis agendum est. Indices uerborum omnes tum à curiosis perquisiti sunt, & ego ridens accusatus, quod non Tulliano uerbo sim usus, & sententiæ uim sequi maluerim, quàm stultitiæ puerilis, & ineptiarum. In his diuinatio est, eadem prorsus, quæ μαντική, de qua non est, quod plura dicam: sed iudicij genus etiã Romani esse uoluerunt, quod in accusatore constituendo uersatur, ut in C. Verrem prima oratione, utrum Q. Cæcilius, an M. Tullius accusator magis esset idoneus, disceptatum est. Similiter, atque hæc, nascuntur illa, quæ fiunt, ut sator, & orator, à satu, & oratu, quæ non rarò muliebre genus habent, vnde est nutrix, & compotrix. Hoc tamen rectè fit à potore, & id à potu, nec ulla peccatum litera est; illud verò trium esse debuerat syllabarum, sed nominis extrita media illius, quod est nutritor, quæ syllaba eadem fuisset cum postrema, & suauitatis gratia uitatum est nutritricem dicere. Illa uerò

XL. ut prodigiator.

optima cum ratione dicuntur. quæ sunt, ut saltator, & saltatrix, venator, & venatrix, quas tamen duas uoces vnius tantùm uolo esse generis, & simul utramque eodem hoc loco tractari. Sunt hæc etiam sæpe à nominibus, quemadmodum superiora, ut salinator, & ueterator pro acuto, uersutoque, & inueteratæ malitiæ homine, ubi nihil est, quod impediat, ueteratricem quoque, ut apud ueteres, cistellatricem nominare. Salinator Liuius dictus est à salinis, quod habere omnes possunt, qui circa id vectigal, aut salinas quoquo modo uersantur. Latrunculator, qui latrones vi, aut legitimo iudicio persequitur. Prædiator usu tritius nomen est eorum, qui scientiam iuris tenent ad prędia pertinentem, uel sedent iudices ad prædiorum controuersias; ut, in recuperatorio iudicio recuperatores. Nec interdictum antiquitati, & Catoni præsertim esse debuit, quin penatores eos, qui penum ferrent, aut seruarent, uel prodigiatores diceret, prodigiorum coniectores, aut Virgilio ueteratorem, aut alijs decempedatores. Nec sunt spongiatores à uerbo, quemadmodum piscatores à piscando, sed contrà uerbum spongiandi apud quosdam in usu à spongiatoribus, uel certè a spongijs natum est. Non ferunt hæc uerba delicatiores, & latinitatis ignari, & qui multis diebus unã à Ciceronis tantùm libris epistolam, collectisq; illius ex uerbis, neque ualdè

cognitis

cognitis componunt. Verùm ego sic statuo cum doctißimis, non modo ferre, sed vehementer etiam nos amplecti oportere, siquæ accidant quæ indoctis hominibus uideantur esse duriora. Nunc à nomine est arborator, idem penè, qui apud Virgilium frondator, & porculatoris nomen dederunt ei, qui porcos curat, institoris, qui vendendas accepit merces à locupletiore, ianitoris, qui ianuam custodit, unde etiam ianitrix fuit, uitilitigatoris à Catone, & antiquis homini litium auido, & calumnioso. Nomenclator natum est à uerbo quidem, sed (quod sæpe accidit) id verbum est non è proximo repetitum. Itaque nunc ponam, quæ sunt nata à verbis, & genere muliebri non carent, ut expulsor, unde fecit M. Tullius expultricem, una litera mutata asperitatis fugiendæ causa. Fecimus ergo, hanc sequuti rationem à tonsore tonstricem, unde idem auctor tonstriculam esse uoluit, & hinc alij omnes tonstrinam, vt ustrinam, & textrinam. Non erat ergo cur ab assessore, aßestrix dici non deberet, uel à possessore possestrix. Hinc à fusore (si sit opus) fustrix, à lusore lustrix, & à diuisore diuistrix nomine, uel parum honesto, eorum qui in petitionibus magistratuum singulas tribus pecunia corrumperent, uel etiam turpi, & nefando eorum, quos ad Papirium Cicero significare uoluit à uerbi notione antiqua, vnde locus est in Aulularia

Plauti,

Plauti; Me non diuidis. Minus, aut prorsus nihil dubitationis habent à victore uictrix, interpolatore interpolatrix, creatore creatrix, prædatore prędatrix. Sed quæ (malum) superstitio ignaros inuasit, qui metuant, ut amatricem, sic expiatricem, esuritricem, & huiusmodi innumerabilia (si sit necesse) dicere, quando lex nulla est, quæ id uetet, & nos auctoritate, præceptis, exemploque suo auctores omnes adseruiendum necessitati, & commodis adhortantur M. Tullius hoc interdixit, ne fieret, quem uidemus ubique plenum esse nouitatis? Horatius hoc vetuit, illo præsertim loco,

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis?

Fabius Iordanus laudatur. *Doctos ego omnes laudo, in quibus diu Neapoli Fabium cognoui Iordanum magno iudicio, ac doctrina hominem, qui suis à iurisconsultis quum tutores dici, ac tutrices videret, inter multa, quę prudentissimè nouare solet, quodam in lepidissimo carmine, tortricem podagram nominauit.*

Verba nõ sunt condita à Deo certo in numero. *Nec putemus enim uerba a principio simul cum cœlo, ac sideribus ipso à Deo condita, & certum his numerum esse constitutum, quibus nouum aliud uerbum addere, aut vetus commutare non liceat, quemadmodum nefas est cogitatu, stellas in cœlo nouas collocare, aut aliam ijs faciem induere, quam quæ illis a Deo semel attributa est sempiterna. Hoc eò pertinet, vt stultos doceam in voluntate hominum, aut po-*

Homines

tius

tius necessitate esse positum, etiam si sit opus quotidie, nouis de uerbis constituere. Non uerba omnia suos habent auctores? Non docti ad unum omnes nouarunt infinita? Non uulgus, rustici, multitudoque infima principium dedit quamplurimis? Non Virgilius illud scribit? utrequirit necessitas, possuntno ua uerba constituere.

Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolæ?

Cur ergo non recipiantur in sermonem, nec latina esse credantur, uel nostris, aut aliorum in scriptis, uidere nolimus ea, quæ latinitas per doctissimos uiros, ipsa sibi, & nostris commodis parit? Vetus est subigatrix, quod nomen libidinosæ mulieri Plautus dedit, qui etiam à uerbo edendi estricem duxit. Matrix uerò genus uirile per naturam habere non debuit. Auctor muliebre genus auctricem facit, cur non pollinctor pollinctricem, unctor unctricem, præuaricator præuaricatricem? lictorum, statorumque nomina uiris tantùm conueniunt. Sunt etiam à pabulandi, aquandi, frumentandi uerbis, itemque à pacificandi, licitandi, cauendi, prandendi, recuperandi, & infinitis nomina, quæ sunt nota omnibus. Nam quid ego de sarriendo, uehendo, secando, stimulando, ac cęteris penè de verbis omnibus dicam? Quod si à multis nomen ductum non est, sciamus tamen (si commodum sit) fieri licere, immò etiam insanire eos, qui repugnant.

pugnant. Quando enim à promissu promissor nomen esse cœpit? Certè Horatianum uideo esse verbum, & hoc tu non reprehendis. Quamombrem? Nempe quia, & si nesciatur quis excogitauerit primus, grauem tamen hactenus habet auctorem. Potest ergo alius minore doctrina, & existimatione scriptor id fecisse, & si Horatius id fecit, ego à te minus peto, quàm petere debeo, vt verba nouare saltem ijs liceat, qui ad Horatij, & antiquorum scientiam proximè accedant. Dic enim mihi, siquę Paulo Manutio, si quæ M. Antonio Mureto, siquæ Perionio, ac doctissimis Italiæ, & Europæ uiris noua facere necesse sit, ea tu scilicet non probes, nec latina esse disputes, quia in grammaticorum non sint commentarijs? Sed pergam dicere: quæ sequuntur. Quæ postremas habent syllabas ut hodiernus, & paternus, plurimùm loci sunt, uel temporis, uel necessitudinum. Non enim huc pertinet Auernus, quod originis est græcæ, nec Amiternus, quod propter appellationem Amiternæ ciuitatis cadere aliter non potuit, nec (propter eandem causam) Veliternus, nec ita, ut maternus, vel cætera natum est nomen Salerni, uel Claternæ, nec huius rationis est uel perna, uel taberna. Nam casu accidit sæpe, ut generis diuersi nomina, similibus tamen, uel ijsdem syllabis terminentur. Nec prætere a commune aliquid cum his habent quernus, & acernus, ut

P. Manutius, M. Antonius Muretus, Perionius.

XLI. vt hodiernus.

nec uarium,& rosarium,paludamentum,& monumentum. Itaque similitudo sola est literarum inter lucernam,& quæ propria sunt huius loci,nec laterna cum his numerabitur,nec fortasse etiam susterna,nisi si ita dicatur, ut superna,quod superior sit pars abietis. Vocis etiam commoditas,& apta literarum coniunctio à nostris quæsita est,ut quum bini dicantur,& quini, & seni,ternos tamen, & quaternos extra analogiam dixerint. Ad locum refertur,quod est à præpositione extra,ut,

Externusque in regnum quæritur hæres.

Ab ea,quæ est intra fit internus,nec à supra tale nomen deest,unde etiam supernè aduerbiũ fecerunt,ut;

Vnde supernè
Plurimus Eridani per syluam labitur amnis.

Denique a præpositione infra,ut;
Quando hic inferni ianua Regis.

Locum respicit præterea etiam cisterna. Hoc si concedatur,quod negaturũ puto neminem,ratio est eadem,ut cauernam quoque loci esse dicamus. Temporis autem sunt, æternus,hodiernus,sempiternus. Nec dubium est à nomine uetustatis,ueternum esse nominatum,ut à uere fit uernum tempus, uerni dies,uerna temperies. inter hæc, heri est aduerbium,unde hesternum fecimus diem, & hesternam concionem. Hie-

mis uerò nomen aliquid circa literas mutauit, ut hibernus fieri ex eo possit. Alia uocalem penultimæ syllabæ (ut M. Varronis uerbo dicam) secundam uerterunt in postremam, qualia sunt nocturnus, diuturnus, & pauca ex his, ut serotinus, & hornotinus, nec huius est loci colurnus. Postremum sit, quod veteres a vespera vespernam pro cœna dixerunt. Ex his nominibus, tertia eorum fuit ratio, quam dixi necessitudinũ: quo circa à fratre fraternum fecimus, ut à patre quoque, & matre paternum, & maternum. Hæc non multa esse potuerunt. Nam genera ipsa rerum, quæ patent per naturam angustius, quo fieri modo posset, ut multitudine indigeant uocabulorum? Esto enim supra, & infra, intra, & extra, quid his aliud addi potest? Itaque nomina tantùm esse potuerunt, quæ iam ostendi. Philosophi etiam, aut ipsa potius natura sex tantùm posuit locorum differentias, sursum, deorsum, ante, ponè, dextrorsum, sinistrorsum, ubi nihil amplius, quàm uerbis totidem opus fuit. Nec ad necessitudines addendum fuit aliud, & satis creditum est ijs uti, quæ à parentum, uel fratrum nominibus extitere, nec ad nepotes quoque, uel neptes descendendum fuit, à quibus nomen aliquod necessitudinis non fecimus, nec ad auos ascendendum, à quibus est auitus, ut à patre etiam patritus, quare M. Tullius patritam nominat, ut auitam philosophiam. A

Sex differentiæ loci.

sororibus nihil tale est, quale a fratribus, sed sororius, ut ab uxore uxorius. Quamobrem cognoscere hinc possumus, fraternum, & sororium uoces inter se diuersas, uel rem eandem significare, uel certè similem, quando altera alterius loco substitui potest. Nam fratris amorem, si dicere uelimus, hunc nominabimus fraternum, sin sororis, sororium dicemus. Comprobat hoc M. Tullius in oratione pro Sextio; Qui enim (inquit) in eiusmodi uita nerui esse potuerunt hominis, fraternis flagitijs, sororijs stupris, omni inaudita libidine infamis? Verum ego alias ex alijs persequens nominum formas, plerasque inter se etiam cognatas, & in singulis occupatus, moror nimium ad ea uenire, quæ eiusmodi forma sunt, qua piceaster, & salicastrum. Non multa hæc sunt, quia in tanta copia sponte quibusdam carere nostri homines uoluerunt, quibus abundare potuissent. Et si enim, ut mentastrum, sic cætera, sine hominum cultu passim nascentia (modo nata ex his non desint meliora) dicere licuisset, maluimus tamen betam agrestem, uel papauer erraticum nominare. Hęc, vna ex his formis est, quibus Græci carent. Nos piceę Hispanicę quodam genus piceastrũ diximus. Aliqua ex his, non res ipsas quarum est nomen, sed quod est in rebus aliquid notant, vel natum, uel simile, uel agnatum, uel cognatum. labrusca enim in salictis nata, salicastrum dicitur. XLII. ut oleaster.

Apiastro, idest mellisophyllo, non apium herba, sed apes nomen dederunt, nec siliquastrum ullo modo siliqua est, sed quia genus illud plantæ instar siliquarum folliculos habet, ex ijs folliculis illud nomen accepit, nec uera pinus est, quæ pinaster dicitur, nec pirus piraster, sed arbos angustior ad pini similitudinem, uel piri multùm accedens, quę tamen insitionibus acquirũt ut pira, uel pineas nuces ferant, quemadmodum oleaster in ueram oleam arte eadem inserendo mutatur, ut etiam agrestes pruni, quos nolim uereare prunastros dicere. Arboribus enim quæcumque hac uia mitiores fiunt, (modò sint unius inter se generis) nisi uox inepta, & nimium insolens nascatur, ijs dare huius formæ nomen poterimus, quæ forma, quia propria latini sermonis est, nomini peregrino adiungi prorsus non debet. Nouationem tamen hanc uerborum quæ rectè, utiliter, pulcrè, necessarioque fiat, solis doctissimis, multumque, ac diu nostro in sermone uersatis, & quorum falli iudicium non posśit, sentio concedi oportere. Verùm, quia sæpe quid ego in hac re sentiam, & quid oporteat, sum testatus, nunc uidero tãtùm, ut, quæ sunt proposita, absoluam. Non solùm arboribus, & plantis hæc nominum forma, uerùm etiam personis tribuitur, & personarum qualitatibus. Vt enim oleæ oleaster similis est, & mentæ mentastrum, sic etiam parasitaster

Qui homines possunt noua re uoces.

parasito, surdaster surdo, caluaster caluo, qui minus habent uitij, quàm omnino parasitus, surdus, caluus. Philosophi nomen à sermone grę co accepimus, quando tamen eo utimur, ut latino, qui philosophastrū dicere audebit (ut quùm opus est audendum censeo doctissimis) is uidebitur malè doctum philosophum uelle demonstrare. Has ego appellare uolui non qualitates. Esto sanè, quoniam melius non erat, sic appellatæ sint, si non ignoremus tamen has ἀντὶ συμβεβηκότων, à philosophis ēt dici solere. Quod autem ad personas attinet, Fuluiaster, & Antoniaster fortasse dicetur Fuluio, aut Antonio aliqua in re similis, & à Varrone etiam pullastra dicitur. Nomen hoc non dubium est quin pullaster fecerit, qui sola ætate à pullo differt. Hinc ad lurcones accedo & comedones, id est ad quæ in hanc uocem cadunt. Est autem lurco, uel comedo qui nimium auidè cibos uorat, & is, quē Terentius describit in Eunucho;

XLIII, ve lurco. Quis dicitur lurco, & comedo

Patria, qui obligurierat bona.

Combibones ijdem sunt, qui compotores, nisi quòd hæc forma nominum, qua de nunc agitur, immoderationem quoque significat edendi, potandi, & (ut ueteres dicebant) lurcandi, & morum, uel naturæ, uel actionum denique illarum, quæcunque sunt in uerbis, non enim cachinno modestiam seruat in risu, nec blatero in sermone, sed quæ indicāt uerba blaterādi, uel cachin-

nandi. Non tamen uitium hoc nomina accipiūt solùm à uerbis, sed magis etiam à forma, quam habent in fine. Nam capitones, & frontones uerba non habent, unde nata sint, insignem tamen aliquam frontis, capitisue magnitudinem ostendunt, ut manducones, & uerberones, hi nimirum digni uerberibus, illi uero plurimum edaces. His non uoce tantùm similia, uerùm etiam sensu eodem sunt edones, manducones, epulones, nec docti quidam latini fugiunt pro his curculiones, fagones, & catillones dicere. Helluones quoque declarat helluandi uerbum, & helluatio, quanta uoracitate homines intelligi oporteat. Labeones, labronesque à magnitudine membri illius dicuntur, unde nomina hæc profecta sunt, quemadmodum buccones, quos dixere antiqui buccolentos. Nihil tam facile, nihil tam in promptu est; quàm seu de nominibus, seu de uerbis nomina facere similia. Ita enim, ut frontones, & capitones, quis tam stultus, aut morosus, putet se non latinè loqui, si mentones dicat, uel dentones, uel furones, omasones, uentriones, item cluniones, calcaneones, & (detur huic uerbo uenia) uerpones, & quæ per se quisque intelligit, etiam obsceniora? A uerbis etiam, quando contumeliæ, exprobrationis, & nimietatis uim habent quamdam hæc nomina, cur si libeat, ut quæ dicta sunt uetera, sic noua ludones etiam, dormiones, & stertiones dicere

Facile est noĩa similia facere

uere-

nerebimur? A magnitudine menti quidem cognomen fortaße adeptus est olim Romæ. C. Iulius Mento, sicut Nasones quidam sunt cognominati, & si nouum esse uideatur hodie mentones dicere. Eadem ex ratione M. Fabius Dictator, cui Puteoni cognomen fuit, & balatrones à quadam inani profluentia orationis, & uerborum, & Glabriones, quod glabris, & sine pilis omnino essent corporibus, & indidem nebulones, ac tenebriones. Nec ita multum ab hac ratione absunt errones, lenones, congerrones, mangones, qui præter uocem nominis, eandem quoque nimietatem significant, quam lucrones, & aleones. Ex his nominibus vnum dumtaxat nomen habet muliebre genus, leno videlicet, vnde est lena, nec nos, qui hoc tempore latinitatis copiam tuemur, & hanc tanti facimus, quanti facienda est, habemus præterea quid aliud concedere possimus. Romani quidē ueteres, qui à Scribonijs, Terentijs, Porcijs, Asinijs, Scribonias mulieres, Terentias, Porcias, & Asinias habuere: à Curionum tamen, Varronum, Catonum, Capitonum nominib. nullum nomen aliud fecerunt. Itaque hoc loco si quid audendum est, suadeo, vt rectissimè, & considerata ratione fiat. Nec video opus esse ut moneam, hæc discerni à similibus oportere. Nimiū tardi enim esset ingenij inter hæc, & stolones, & fullones non agnoscere discrimen, & nimie-

tas, quæ hæc discernit, vbi sit, non videre. Nec obesse mihi apud quemquam ex doctissimis, aut etiam ignaris hominibus debet, quòd hic, aut vsquam, nomina quædam, à veteribus tantùm vsitata posuerim. Immo hercule ne illa quidem reprehensio, vel minimi facienda est, quam ego summam esse laudem existimo, quòd inaudita, et noua protulerim, & meam hanc de uerborum nouatione sententiam, vt olim scriptoribus Romanis omnibus, sic ætatis nostræ, & omnium seculorum hominibus, eo modo, quo iam sæpius dictum est sentio debere esse persuasam. At pulcherrimum est, inquiũt (id quod nos conati semper simus) Tulliané loqui. Immo etiam hercule præclarum esse fateor, & (si vis) concedo non inuitus, esse gloriosum. Sed videris mihi tu præclara ista, quibus in rebus posita sint, non planè intelligere. Nos enim ij sumus, quibus Cicero, Deus quidam semper est visus esse latinitatis. Tu verò is tibi uideris eße, qui exprobrare nobis audeas, quòd illius ingenium, & genus eloquendi negligamus. Vtcunque sit, nouitas certè ista uerborum non placet. At Cicero ipse nusquam uerba aliqua non profert noua. Licuit seculo Ciceronis, tuo non licet, nec ipse tibi quod summis licuit auctoribus, debes arrogare. Ecce tibi quò erumpit obstinatio Sic enim agere hoc loco uolui, ut ostenderem. indoctos homines in hoc sermone conuitijs denique

M.T. Cicero quodãm odo dici poteſt Deus Latinitatis.

nique parcere non solere. Ego autem uel doctis hominibus, uel bonæ iuuentuti sum auctor, ut quod maximè est in M. Tullio mirabile imitari uelint. Hic enim orator incomparabili quodam, & fortasse etiam occulto lepore eloquendi ueteribus noua ita accommodat, ut ex oratione illius, nisi attentio maior accedat, ne animaduerti quidem satis nouitas uerborum possit, & mira suauitas undique spirare uideatur. Nam perspicientia ueri, cultio agrorum, Lentulitas illa, & Appietas, & mille in libris omnibus apud eum nouata pulcherrimè aliorum inscriptis non eandem suauitatem haberent. Immo adeo sunt imprudentes, & stulti quidã, vt si breuis etiam, & familiaris epistola scribenda sit, uerba singula omni ex indice M. Tullij puerilem in modum conquirant, epistolam verò ex illa mendicitate faciũt, non ab illo tãtùm, sed à ratione, totaque elegantia, & vsu latinitatis alienam. Non enim assequuntur, ac ne intelligunt illi quidem non modò viam, quæ teneri debeat, sed quò sibi perueniendum putent. Concentum enim Romanæ orationis illum, seu ex uerborum apta collocatione, seu alio ex artificio doctorum, seu ex natura sermonis, & suauitatem loquendi ex latino quodam Atticismo, quo scriptores omnes antiqui, sed M. Tullius præsertim excelluit, neque è proximo, neque eminus vnquam viderunt. Quamobrem, ne si deus

quidem aliquis verba eiusmodi suppeditare illis cupiat, assequētur, vt non barbarè scribant, & uerba non solùm noua, sed uetera, & suppeditata diuinitus, non fœdißima esse videantur: qui autem in sermone latino rectißimè, quę oportet quæque dicta sunt, introspexerint, ijs nulla uerborum nouitas obesse poterit, quin tamquam latinè prorsusque Romanè, & castissimè loquentes, ipso etiam a Cicerone collaudentur.

XLIV. ut stultitia. *Sed venio iam ad reliqua, primumque illa videamus paucißima, quæ ternas claudunt syllabas postremas, vt stultitia, & nequitia. Hic solùm ostendo formari, vnde ad copiam aliquid nascatur. Antiqua sunt, lætitia, malitia, nequitia. Notanda mihi hæc fuerunt, quia his plurimis, vberrimisque ex fontibus, uerborum copia omnis ad latinam linguam permanauit, atque ex ijsdem, quoties necessum est, permanabit infinita. A nominibus enim quibusdam, ut est piger, ac lentus grauatè pigritiam fecerunt, & lentitiam, quod nos rectè, & secunda analogia facere poterimus, quemadmodum argutia, militia, auaritia, iustitia, versutia ad nos quondam venerunt. Si nobis antiquæ diuitiæ sunt satis, & nihil ad relictum à maioribus patrimonium addi potest, habendam illis, & benignitati diuinæ puto gratiam, nec iniquis hominibus de inopia latinitatis criminosè conquerendum: sin ad res nouas, aut neceßitates quotidie nascen-*

scentes accidit sæpe, verbis ut nouis utendum sit, studiosos latinitatis moneo, quid in hoc genere toto sequi debeant. Nunc verò, sicut nomen tristitiæ sequuti sumus, vt pro mæstitudine, quam veteres dicebant, mæstitiam dicamus, ita, quæ necesse erit, alia ad hanc formam noua inclinemus. Nec illas persequor voces, quæ raræ sunt, neque sub vnum, atque certum genus cadunt, vt molestus, & honestus, audacia, & pertinacia, seruitium, & satellitium, dignus, & malignus, gratuitus, & fortuitus, uarix, & radix, tonstrina & vstrina, septennis, et decennis. Prætermitto enim hic multa, quòd mihi, quæ plurima iisdem uocibus postremis, & significandi genere conueniunt, quærenda sunt. Aliquid ex his tamen erui potest ad copiam sermonis. Quare videndum est non tantùm ex his, uerùm etiam ex aliis omnibus, quæ dicere longum est, & quicquid fieri potest, aut necesse est, ne ea commoditas amittatur. Nunc illa non prætermittam, quæ similia sunt his, interlunium, & intermundium, pro spacio temporis inter ueterem lunam, & nouam, sicut plenilunium non ad hunc locum pertinēs, quùm tota à sole cernitur. Intermundia ex Epicureorum sententia à cæteris philosophis omnib. irrisa, putabant esse spatia inter plures mundos, quos illi esse infinitos credebant. Sed non dicam hæc pluribus: illud monebo solùm, quòd iam non XLX. ut intermundium.

eget

eget præceptionis meæ, spacium hæc omnia inter duas res notare, ut internodium, & interscalmium. Quare interordinium, & interscapilium noue dictum esse à quibusdam minimè mirabimur. Illud equidem non inuitus crediderim, ex horum, quę dicta sunt ratione, & analogia fortasse interregnium, & interuallium à principio dictum fuisse, quæ mox insequuta posteritas sine tertia uocali pronunciare cœperit. Verùm esto, ut uolet quisque, in templis quidem theatris, ac peristylijs intercolumnia dicuntur, quæ spacia inter columnas interiecta sunt. Latius patet hæc ratio, ut cæteræ omnes, quæ sunt hactenus expositæ, transferrique ad res multas potest, modò earum rerum necessariò, aut à natura certus ordo quidam esse debeat. Ergo nihil tale inter duas urbes, duo flumina, duos montes, bina castra dicere oportebit, quorum situs atque ordo alius esse potuisset. Quæ autem, ut superiora sunt, omnia (nisi malè cohærentes literæ, aut uoces impediant) si cum ratione aliqua uelimus nomina huiusmodi gignere, semper possunt, ita ut à benè doctis hominibus interuenia dicta sint spacia inter se uenarum.

XLVI. ut lanificiũ.

Pauciora sunt, & pariunt infinita, quæ sunt, ut lanificium, & mellificium. Possunt enim similia fieri à lacte, à pane, à caseo, à lino, à cæteris, nisi fortaßе lanificia ea etiam, quæ ex lino, alijsque ex rebus fiunt, cõplectatur. Nam Terentius quum ita scribit;

Lana,

Lana, & tela uictum quæritans?

Putauerim ego omnia, quæ uel nendo, uel texendo exercentur, eum ad hæc duo retulisse, ut superuacaneum in sermone esset, linificij quoque habere nomẽ. Cęterum, nisi ueneficium similitudine sua impedimento esset, non dubium, quin à faciendo uino tale nomẽ fecissemus, ut à faciendo melle. Ac denique illud nobis persuasum esse oportet, multo plura hinc duci posse nomina, quàm poterunt, uel commoda postulare, uel necessitas ulla cogere. Pauciora sunt illa, ut obstaculum, & spectaculum, de quibus dicere aliquid uolui, quia ex ijs formis, quæ fœcunda sunt, multaque de se nomina pariunt, nullam debeo prætermittere, quæ verò patent angustius, ut sua dela, tutela, corruptela, has proderit etiam significatione saltem aliqua ostendere. Itaque hæc, miraculum, spectaculum, receptaculum, non plurima quidem habent, unde instituta nobis copia augeri possit. Propono autem studiosis, quæ uideant, siquid ex his aliquando nascatur. Sunt in usu piaculum, retinaculum, spiraculum. Nec defuere etiam qui pinnaculi nomen triuerint, ut receptaculi, cœnaculi, ac tabernaculi. Nec illis ego proprium aßignare locum uolo, si quæ numerari poßint, ut lauacrum, ambulacrum, simulacrum. Itaque ab ijs, quæ sunt, ut spiracula, & hibernacula, venio ad illius formæ nomina, quæ cadunt, ut miserandus, & nefandus, de quibus

Vnde plura nomina duci possunt.

XLVII. ut spectaculum.

XLVIII. ut miserãdus.

bus non eſt, quòd multa diſputare oporteat, niſi uelim inter hæc, & illa quæ gerundia dicuntur, afferre diſcrimen. Primò enim ſenſu diſcreta ſunt, quod hìc miſerandus, ac deteſtandus eſt miſeratione, vel deteſtatione dignus, illic uerò exorandus pater, ducenda uxor eſt, quem orare neceſſario debeas, uel quam fieri non poteſt quin uxorem ducas: deinde ſunt partes diuerſæ inter ſe orationis. Hæc enim de quibus nunc agitur, nomina ſunt, illa uerò (tantùm apud grammaticos) participia, quæ nos libro ſexto de lingua latina, ex uſu latinitatis, auctorumque omnium, & M. Varronis ſententia probauimus, gerundia potius cenſeri, dicique oportere. Itaque ſciamus non ſolùm, quid mirandus, uenerandus, tremendusque ſit, quæſtionem eſſe nullam debere, verum etiam ſi noua id genus facere nomina uelimus, omnem tollendam eſſe cunctationem.

XLIX. ut conciliabulum.

Quædam ſunt alia, ut ſtabulum & conciliabulum. Vtrumque hoc uetus eſt, ut alia non multa, quibus ſuperſedeo colligendis. Nec timuit poſteritas de paucorum exemplo veterum, alia creare noua, & nos monere, quàm hoc timendum non ſit. Natabula enim dixit, commoda ad natandum loca, nec incitabulum dicere auſa non eſt, quamuis non deeſſent incitamenta, & natationes: & infundibula etiam, infumibulaque vti diceret, excogitauit. Sed quid miramur non timuiſſe illam, noſque mea ſententia, ad eam rem

alacres eße debere, quum sciant omnes auctore Plauto nucifrangibulum quoque dictum esse? Postremus erit locus eorum, quæ similia sunt flabri, & volutabri nominibus. In his est uentilabrum, & candelabrum. Priora illa duo à flando, & volutando, hæc autem à ventilando, & lauando. Hoc postremum dicere ausim corruptè pronunciatum esse etiam à nonnullis doctorum. Sine dubio enim ex analogia eorum, quæ dicta sunt, id longa syllaba est, ea, quæ antecedit ultimam. Nec mouere nos debet, quod aiunt illa esse nata à verbis, & eo ex loco verborum, vnde per naturam syllaba aliter, quàm longa, eße non debeat, candelabrum uerò à nomine ductum eße, vt sit prorsus analogiæ ratio diuersa. Argumentum hoc inquam nullum omnino pondus habet. Fatendum est enim esse à nomine, sed eo à nomine, eaque syllaba, quę similiter, ut verborum, quæ iam dixi, per naturam corripi nullo modo potest. Vnde enim candelabri nomen ductum putamus? Nempè à labro, quod integrum erat lauabrum, id autem (vt à principio dixi) à lauando. Quid est igitur, quòd syllabæ huius de natura dubitare quisquam poßit? Labra porrò quædam sunt in candelabris, idest olei, aut liquefactæ ceræ fortè cadentis receptacula. Hæc enim quamuis minima, quibuslibet alijs in rebus labra nominantur. Quamobrem nostri δίψακον herbam, quæ binis coeun-

L. ut flabrum.

Nomen candelabri.

coeuntibus ad caulem geniculatum folijs, labra quædam facit, quibus imbrem, aut rorem diu seruat, labrum Veneris dixerunt. Sed nimis iam una de syllaba disputatum. Atque ego hic finem esse volo huiusmodi formarum, quas initio fermè superioris libri me sum pollicitus esse expositurum quinquaginta, quarum omnium esto quinquagesima, quam hoc postremo loco posui. Prætereo quæ sunt, ut euerriculum, ut Mineruale, torcular, vectigal, flagra, inuolucra, pollubra. Hæc enim omnia, & quæcumque præterea non certum, neque multiplex uerborum genus continent, minimum ad hanc de copia disputationem mihi sunt accommodata. Hactenus igitur amplißima quæque sum persequutus genera, idest quę patent latius, & unde plurima nascuntur. Hæc enim ratio, ac via, mihi quidem uisa est optima ad copiam latini sermonis eruendam, nec inuenire aliam possumus, quam nobis hoc tempore sequendam putemus, nec diuinare, quæ M. Varroni quondam ratio potuerit commodior uideri. Itaque tractatio hæc de nominibus quum erit absoluta, eandem hãc viam sequemur, quum de verbis differendum erit. Esto nunc igitur sic de nominibus constitutum, & quinquaginta ex his formis ad veterem copiam, & nouationem eorum, quæ nondum nata sunt, iuuentus excitata, eique & falsa opinio paupertatis reprehensa, & uera, ac propria affluentia rerum om-

nium

nium ante oculos posita. Varietas quidem certè illarum, quas nominum formas appellare uolui, nulla in Græco, aut aliarum gentium sermone potest esse tanta, vt æquare sermonis latini uarietatem possit. Non temerè hæc à me dicuntur, qui singulas hinc nostras; inde Græcorum formas numero separatim comprehensas, lentè, ac fastidiosè recognoscens, perspexerim multis partibus illorum, quàm nostras, esse pauciores. Neque verò ad copiam hoc pertinet Latini sermonis, & Græci, quæ, tametsi hæc uera sint, quæ dicuntur, vtra tamen sit maior ex his cognosci non potest. Possunt enim Græci formis aliquibus nominum carere, & nominibus quamplurimis abundare. Abundant illi profectò omni genere uerborũ, id quod ego scio, & fateor non inuitus, & cupio omnes homines confiteri. Debet enim Roma, debet Europa, debent omnium terrarum homines, & vniuersum genus humanum debebit in omne tempus Græcæ linguæ, & hominibus gratiam, vnde immortale ad scientias, ad bonas artes, ad res omnes, ad uitam ipsam degendam lumen acceperunt. Ipsi mehercule maiores nostri, quorum tanta, & secundum Deos immortales gloria est, hinc intelligendi, & loquendi initium fecere, hinc linguam, hinc scientiam, hinc artes omnes, & eloquentiam cognouerant. Ac fortasse non defuisset nostris, unde sine Grecorum ope omnia hec summa facerent,

Ampla uarietas latini sermonis.

Græci abũdãt omni genere uerborum.

Laus, & commendatio græcæ linguę.

ut

ut per se ipsos Græci fecerunt, sed illis tamen gratia habenda est summa, vt etiam nō ingratus debet esse quisquam ei, à quocunque beneficium accepit, quamquam ab alijs accipere, uel ipse ad id consequendum laborare potuisset. Atque hæc quidem ita se habent, ita a doctis, bonisque uiris iudicantur. Sed respondendum est ignaris, uel peruersis hominibus, qui vtinam amore Græcæ linguæ potius, quàm Latinæ odio permoti, quærunt apud Græcos, rimantur singula, vnde sibi inopiæ labeculam nostræ linguæ inurere, & Græcæ copiam attollere uideantur. In eiusmodi sermone solet mihi de veteribus non multùm, docti, & ingeniosi hominis Fabij Quintiliani iudicium placere (nisi potius voluntas accusanda est) qui sæpius ita scribit, ut nobis adimat, quæ Græcis malit attribuere. M. uerò Tullius, qui ad amorem patriæ, ad recta, veraque omnia diuino instinctu aliquo duci videbatur, nostram linguam & augere studuit semper, & locupletiorem esse Græca iudicauit. Aliquid profectò summus auctor illa scientia, diuinitateque mentis vidit altius, quod omnes homines videre non possint. Præter autem quæ inerant ei à natura, accessit summa doctrina, confectio librorum, rerum scriptio plurimarum, & exercitatio, quanta nullius præterea maior esse potuit. Nec minus ei tamen ad rectè iudicandum profuit admiranda doctrina, sapientumque hominum consuetudo,

Resposio ignaris & peruersis hominib. non rectè amantib. linguam græcam.

tudo, & M. Varronis præsertim familiaritas, qui hac ipsa de re conscripsit libros, & magnū vsum habuit cū illo doctrinarū. Quamobrē si is talis est, quē plurimi semper in rebus omnibus (vt par est) fecerint sapientes oēs, non est ꝙ nunc sermonis de latini copia iudicantem nos audire nolimus. Non.n. is patriæ dedit, vt illā sn̄iam ferret, sed rē ipsam, & quod rectissimū est, atq; uerū, penitus cognouit. Neq; verò homini ad res ꝑclaras omnes, ad laudem ingenij, ad eloquētiam nato, illa sese infinita copia offerre ante oculos non poterat, quæ plurimos, doctosque homines latere posset. Itaque ego nostræ ætatis homines, qui me ad hunc sermonem impulerunt, nolo ut possum, reprehendere, & eos reijcio tantùm ad ea, quæ sunt adhuc his duobus libris disputata. Nam si aduersarijs omnia, quæ dicta sunt, largiar, ut copia à Græcis uincamur, nos vicissim eos, quanta iam dictum est, varietate superamus. Hactenus enim quinquaginta nominū formas demonstraui: quid si minutiora persequi uelim genera, plus centum numerari poterunt, quæ variatione, aut similium repetitione mirabilem, suauemque sermonis concentum faciunt. Quod si more illo cōpositionis vti liceret, quot in priore ætate Isocrates est usus, nusquam tot genera similiter cadentium inuenire quisquam posset. De varietate, & concentu verborum, sonoq; orationis hęc dicta sunt; quod autem atti

Græci copia Latini uerò uarietate uincunt.

net ad copiam, carent Græci huiuſmodi, quibus iam dixi, nominum formis, non omnibus quidẽ, ſed plurimis; quì fieri poteſt igitur, ut illarũ non careant nominibus? In quibuſdam illi pulcerrimè conueniunt nobiſcum, vt pro illo genere nominum, vnde infinita ſunt apud nos, quale eſt monumentum, ornamentum στερεώματα, ἐνδύματα, ἐμποδίσματα, καὶ πληρώματα *dicant loco eorũ quæ nos firmamenta, indumenta, impedimenta, dicimus, & ſupplementa. Non deeſſent Græcis noſtra, ſi cæteris etiam ſimilibus formis non carerent. Nunc, vt ijs dè nominibus dicam plurimis, quæ poſtremas claudunt ſyllabas, ut ſtomachoſus, & verboſus, nego eoſdẽ eſſe omnino* θεραπευτικοὺς, *& officioſos homines,* εὐφυεῖς, *& ingenioſos, & mille ſimilia hoc modo ſimul collata. Age tamen, concedamus tractatione uerborum, ac doctrina ſcribendi fieri poſſe, vt hæc pro illis dicantur: ego tamen illa, quæ vero ſimilia, quæ inter noſtra, & illorum ſic eadem ſunt, ut oliuetum, &* ἐλαιῶν, *vinetum, &* ἀμπελῶν, *ficetum, &* συκῶν, *lilietum, &* κρινῶν, *ut etiam* ἀκανθῶνας, δαφνῶνας, μυρσινῶνας, φοινικῶνας, *& mille ſimilia his dicunt, aptiſſimè noſtris reſpondentia, quæ ſunt ſpineta, laureta, myrteta, palmeta. In his enim totidem, & notionis eiuſdem habent cum Latinis. Sed illa, quæ dicta ſunt, quæ præterita, quæ ſignificata non minus centum, quære apud Græcos, proba eſſe om*

nino

nino eadem, proba non minus ualere, quàm nostra, periclitare de singulis, cognosce quota quæque illorum verba nostris respondeant. Nihil hoc (inquiunt) obest Græcæ linguæ. Non enim Græcis deest, quomodo latina hæc omnia explicare possint. Ego igitur nondum puto me oratione assequutum esse, quod volo, & infantiam accuso meam, & nunc addam non plura modo, sed etiam illustriora. Nam loquax, mendax, fallax, & formæ huiusmodi plurima, dic mihi, ui distine umquam apud Græcos? Quod nunc à te peto, eam habet uim, doceri ut velim, quæ nominum apud illos forma sit, vnde nomen eruere, declinareq́; possimus, quod nihil prorsus differat ab eo, quod est, fugax, vorax, capax, furax, emax, vendax. Siquis hìc respondeat impudenter magis, quàm verè, equidem illa opponã, quæ sunt, vt piraster, mentastrum, pinaster, piceaster, prunaster. Quòd, siquid in his est, in quo adhuc fallare, nec planè intelligere possis, quæ dicuntur, considera mihi illud nominum genus, vnde est iactabundus, ludibundus, moribundus. Hæc nomina, uel potius hanc vim nominũ, quæ in singulis est, nemo unis tantùm Græcis nominibus potest explicare. Qui enim ita fallitur, ut credat παίζοντα, tantum valere, quantum est in ludibundo, διψῶντα quantum in sitibundo, ἀποθνήσκοντα quantum in moribundo, ac denique γελῶντα, λεηλατοῦντα, διαγινώσκοντα, συμβα-

λάζοντα, δημηγοροῦντα, πλανώμενον, σφαλλόμενον, *qui inquam, ita existimat, & hæc eadem esse credit*

Laus græcæ linguæ

quę ridibundus, prædabundus, deliberandus, cũcionabundus, errabundus, is profectò non Græca modo, sed ne latina quidem nouit. Nec me quisquam existimet Græcam linguam oppugnare, quam & esse amplissimam scio, & instar luminis cuiusdam splendidissimi rerũ omnium ab omnibus dicendam, & simul cum latina esse cupio, immò etiam gaudeo fore sempiternam. Cogitari etiam uolo neminem ex Romanis, aut ex doctißimis, uel nostris, uel omnium seculorum hominibus eius linguæ scientiam ignorare voluisse.

Ingenuæ artes non sunt sine Græcis literis.

Nemo sibi ingenuas artes, nemo literarum genus aliquod sine Græcorum literis uendicandum, aut attingendum putauit: quem discendi morem in Italia iampridem, Hispania, Gallia, Germania, Sarmatia, & Britannia amissum, ipsa Dei benignitas iam ante quinquaginta annos restituit. Equidem felicißimos fuisse arbitror uel doctrinis, uel ingeniorum præstantia, illarũ ætatum homines, quùm Romæ, Pergami, Alexandriæ, Hierosolymis, Carthagine, totóque orbe terrarum Græcæ literæ tenerentur. Sed ne sim longior, tantùm abest, ut eius linguę sim aduersarius, ut eam nobis, quanti nostram faciendã putem. Sed stultis, atque ignaris hominibus respondendum fuit, qui ex linguis hoc solũ tenent, vt ex alterutra argumentum sibi inuenisse vi-

dean-

deantur in alteram disputandi. Ego uerò cum doctißimis omnibus, qui in literis usquam uersati sunt, cupio vtramque à ciuitatibus, & populis orbis terrarum sanctissimè teneri, cognosci, & æternam eße. Istos autem reprehensores scire uolui nihil eße, quòd uerba quædam afferunt, quibus nostri carent, quùm ego & nostrorum doctißimi Græcæ linguæ nihil detrahi putemus, quòd non singulis uerbis, sed totis uerborum generibus illam vincamus. Quid putamus esse totis generibus vincere? Profectò idem, quod superare multis milibus uerborum. Sint illa igitur pro ijs, quæ latinitati desunt, sunt illis plura, quàm nobis, participia. At eorum loco participiorum, siqua desideret latinitas, voce utimur pulcherrima, uaria, & in partes loquēdi omnes diffusa, gerundiorum, quibus nihil ad commodum præstantius, uel ad suauitatem iucundius nostra, aut illorum lingua accipere potuisset. Sed non dicam alia, non ueniam ad singula, nec persequar infinita, quùm illud satis esse debeat, nos illis, quibus iam dictum est, & alijs adhuc generibus, idest multis uerborum millibus eße superiores. Nos hæc non dubiè, aut per inuolucra, sed ipsis oculis, ac re ipsa cernimus, & stultos confiteri cogimus. Quid putandum est M. Tullium, & M. Varronem vidisse? Vtinam, aut quę hic de copia uerborum cogitauerat, perscripta ad nos peruenissent, aut

Q. MARII CORRADI VRITANI,

De copia Latini sermonis,

AD CAMILLVM PALAEOTVM,

Liber Tertius.



OPIAM *latinitatis vnaquaque ex nominum forma, vt eruere possimus infinitam, satis videor mihi adhuc esse persequutus: non quidem vt omnia, sed ex paucissimis, vt viam ad immensa, atque interminata ostenderem. Nec mihi dubium videtur, quin M. Varro hanc ipsam, aut similem huic nostræ rationi viam cogitauerit; vnde multò affluentiores opes ad Romanam linguam, & illustriores afferret. Vtinam is pulcherrimè cogitata scripserit, vel scripta ad nostram hanc memoriam peruenissent, vt nunc auctor ille grauissimus, latini sermonis parens, non indoctorum fatuitas de nouatione uerborum nobis audienda esset. Nunc verò mihi* ad

Hanc ipsam Varro sequutus est uiã fortasse, quæ superioribus libris demonstrata est.

M. Varro latini sermonis parens.

Plures, di uersæque res, ac personæ, unde nomina trãsferuntur.

ad illa ueniendum est, quæ significatus habent plures. Hæc multorum sunt generum. Alia enim paululum inclinata notiones acquirunt nouas, quemadmodum adulterina quædam vocantur, igniculi, & capillamenta, quæ aliud omnino sunt, quàm adulter, ignis, & capillus. Alia à rebus alijs, nomina eadem accipiunt, vt lupus marinus à lupo terrestri. Alia sunt, ut sidera, & stellæ, quibus Deorum, vel heroum, uel mulierum, vel animantium quarumdam vel rerum animi expertium nomina mansere, vt Iuppiter, Perseus Andromeda, Lepus, nauis. Alia propter similitudinem à rebus alijs sortita sunt, vt hoc, aut illo more dicantur, vt cuneus instructa acies à cuneo fabrorum. Alia ex more quodam uetustatis, vt corona, & hasta in distrahendis etiam rebus nominatur. Alia ex auctoritate, & vsu latini sermonis ad res propè innumerabiles accommodantur, ut res, causa, consilium, ratio. Alia sunt, quæ ex arte, voluntateque doctissimorum transferuntur, quæque uerè, & propriè translata nominamus, ut clarus, obscurus, & splendidus, illustris, & multa fortasse milia, quæ ad res alias traducta nihil claritatis habent, nihil obscuritatis, uel splendoris, nihil quod propriè dicamus illustre. Hæc etiam à Varrone scripta esse, vel cogitata, propositaque illi ad scribendum, si quanta cæteris ex partibus copia, hinc etiam esse potest, non uidetur mihi

quidem

quidem esse cur dubitare debeamus. Ego igitur primùm non prætermittam genus illud, quo uel plura nomina ad rem vnā, vel vnum nomen ad duas, pluresue ad res accommodatur. Hæc ὁμώνυμα, illa uerò συνώνυμα Aristoteles & Græci uocant. Sunt quæ συνώνυμα dicimus, ut (Quintiliani exemplo utar) ensis, & gladius. Prius illud genus quùm erit expositum, uidero si quid utiliter dici hoc de secundo poterit, ad eaque ordine accedam, quæ coniuncta sunt ex pluribus. His enim præterea sermonis copia adiuuatur. Nunc esto etiam hæc distinctio eorum, quæ singula nominare uolui, vt συνώνυμα semper diuersis, ὁμώνυμα uerò non quidem omnia, sed tamen aliqua paululùm commutatis uocibus dicantur. Illa sunt, ut beneuolentia, & amor, hæc autem, ut capillus, & capillamenta. Illa quamuis multa nomina unum efficiant sensum, hæc vnum commutant nomen ad res duas. Nam capilli significatio nota est, capillamenta uero sunt, quæ à Græcis etiam immutatione simili τριχώματα dicuntur, propter humani similitudinem capilli, & eorum quæ in scyllæ, bulborumque similium capitibus, aut loco foliorum, ut in croco, aut ea, quæ τραγοπώλυν est, & similibus nascuntur. Adulterinum quoque nonnulla similitudo fecit, ut in aliam, atque nouam significationem immutaretur. Alia ex his nominum ὑποκοριστικῶν voce pronunciamus. Quare igniculi à

noſtris

nostris dicuntur animi, ac naturæ incitamenta, quibus ducimur ad honestatem. Auunculos, radiculum, & ranunculos, non rei deminuendæ, sed mutandæ significationis gratia, nomina hæc habere uolumus, vt auriculam, sportulam, spongiolam, quæ nihil commune habent cum ijs, unde orta sunt. Est enim sportula, id pecuniolę, uel cibariorum, quod uiritim in magnis Principum domibus quotidie salutatoribus, deductoribusue donatur, uel domesticis, ac famulis distribuitur. Quibus autem in domibus aliter fiat, & cænetur lautius in commune, ea non sportula, sed cæna rectè nominatur. Ad hunc locum pertinet, quod inde sportella etiam dicta est. Hoc cibi quoddam genus erat ad secundas mensas consuetum. Nec spongiola quidem semper ad primigenium refertur nomen. Duplex enim est, (quantum recordor) una durior quædam lanugo in syluestri rosa luxurians; altera, quæ inter fungorum genera ponitur. Quorumdam uerò ex his genere mutato rem aliā notamus, in quibus est iaculus, & cingula. Aliorum numerus quoque mutatur, ut à lactis nomine lactes fuere. Verùm tamen plurima sunt ea, quæ dictum est ad alia transferri integra, ut nata sunt, nulla prorsus mutatione literarum. In mari enim, & in aquis est anguilla ex ijs, quæ iam dicta sunt, nō minus, quàm adulterinus, fęniculum, & quæ diximus capillamenta. Sed ijsdem in aquis uiuunt

Duplex spōgiola.

Quę à terra transtulimus ad mare.

sunt etiam turtures, aselli, canes, turdi, passeres, columbi, hirundines, terrestrium, ac uolucrum nominibus animalium, ad marina translatis. Hic non doctrinam quæro, sed diligẽtiam cuiusque uolo esse excitatam, ut quæ nostri quondam homines inuenere, ea saltem ne ignoremus. Nec uideor mihi habere, quod hic nouari oporteat. Nam genera animantium in terra, in aquis, in aere, sunt eadem semper, & nouum genus aliquod uix patitur natura, ut mulos ex equis, & asinis, crocutas, ac leocrocutas ex diuersarum coitu bestiarum generatas tulit. Siqua sunt alia, quæ nihil intersit scire, ea olim à principio rerũ omnium, atque mundi esse cœperunt. Quare non præcipio equidem, sed patior tamen, si industria hic non ualde magna sit noua faciendi, modò uetera, & quondam à doctis inuenta cognoscamus. Itaque sunt in aquis locustæ, sunt cicadæ, sunt arietes, muli, scorpiones, lacertæ, testudines, siluri, mures, cochleæ, uulpes, elephanti, uituli, dracones. Nomina etiam à plantis ad marina transtulimus, ut à pastinacis, urticis, scolopendris. Fuere & à membris hominum dactyli, fuit ab inferis orcus, fuere à cælo stellæ in mari natæ, fuere à cæteris rebus, ut carbones, rotæ acus, lucernæ, pectines. Apparet igitur, ut ex duobus elementis, aere, atque terra, & ex ijs, quæ sunt infra terram, & ipso etiam à cœlo, ad unius elementi, idest aquæ animalia propter Quæ à plantis ad marina.

aliquam

aliquam similitudinem, quæ in rebus est, nomina mutuati sumus. Hæc & alia piscium genera sunt olim à nostris, & cognita, & mandata literis, quæ, si (ut in ore est philosophorum omnium) τὰ εἴδη ἀΐδια ἐστιν, totidem esse, atque eadem semper non in mari solùm, sed in cæteris mundi partibus, necesse est. Si qua tamen appareant, aut nostri maris, aut Oceani, aut nouarum gentium monstra, quæ nondum visa sint, qualia docti hominis Gulielmi Rondeletij fuerunt, qui inter multa, piscem humana facie, & fermè Pontificali ornatu visum esse scribit, his mõstris nomina ex animali, aut re quapiam simili accommodabimus. Cur enim locustæ non dicerentur, uel cicadæ, quum videatur etiam in mari cicadas esse, & locustas ipsa uoluisse natura? Tanta enim similitudo in ijs est, ut alia nomina esse non debuerint. Cur non dactyli, cur non pectines, cur non rota, uel vrtica, vel stellæ dictæ sint, quæ secum attulisse hæc nomina videntur? Omnino autem ut in cælo, si qua Deorum immortalium figura est (vt ueteres philosophi disputabant,) eam aut hominis, aut homini similem esse oportet, ita etiam, quæ in mari nascuntur similia terrenis extiterunt. A' terra uerò esse translatio ad mare, non à mari ad terram debuit, quoniam illi mortales, qui primi rebus nomina fecere, terræ primùm, suique elementi animalia, resque cæteras cognouerunt: ali-

Gulielmus Rondoletius refert de pisce humana facie, & cũ habitu põtificali.

Quæ in mari nascuntur, similia terrenis reb. existunt.

quot autem post seculis paulatim ratibus tentare litora, mox traijcere nauibus mare, deinde penetrare Oceanum cœperunt. Quæ igitur nouo in elemento apparuere longo post interuallo animalia, ijs per genera cognitis, aliqua inuitante similitudine, ex terrestrium nominibus animantium nomina attulerunt. Genera nos eadem habere cognita oportebit, ut eorum, quæ tantum corio teguntur, ut delphini, corio, & setis ut phocæ, & hippopotami, crustis, ut locustę, crustis, & spinis, ut echini, cortice, ut testudines, silice, ut ostreę, & conchæ, cute aspera, ut squatinæ, molli, ut murenæ, nulla, ut polypi, & lolligines, squamis, ut reliqua piscium genera. Hæc enim præterea, & quæ ex ijs nascuntur ignorare non conuenit eum, qui uolet rectissimè de latini sermonis copia iudicare. Prodest enim ea cognitio historicis, & poetis, profuit memoria patrum nostrorum Actio Sincero poetæ lepidissimo, cui res noua in mentem uenit, ut in carmine pastorum loco, piscatores induceret. Sed mihi satis est copiam inquirentibus, aliquam demonstrare, cauillantibus nimiam, exprobrare. Quamobrem redeo, ut gemmarum quoque nomina ex animalibus, rebusue alijs extitisse dicam. Nam chelonia à testudine terrestri nomen accepit, ut hyæna saurites, leontios, taos, pardalios, aetites à suo quæque animali dicta est. Græcis his nominibus contenta

Actius sincerus.

Ab animalib. ad lapides.

ta latinitas fuit, quia extra Europam, & usque à mari rubro, atque extimis terris ante urbem conditam, uel nondum frugalitate à nostris excussa, Græcorum luxuria has gemmarum delicias conquisiuit. His illi primùm repertis nomina suo de sermone fecerunt, alijs etiam ex rebus ducta, ut à lauro daphnia, à lacte galactites, à ferro σιδηρίτης, *à lupi oculis* λυκόφθαλμος, *à figura autem alia* μεσόλευκος, *alia* μεσόμελας, alia πολύζωνος; *à tonitru uerò* βροντίας, *grandine* χαλαζίας, *imbribus* ὀμβρίας, *à luna* σεληνίτης, *à conuersione in lapidem* γοργονίας. *Similis quædam ratio florum est; & omnium, quæ nascuntur è terra. Infinita ex his docti homines olim demonstrarunt, qui (ne contemnendi esse uideantur) Græci Latini, ueteres, & noui quàm plurimi, Peripateticos etiam auctores, & Theophrastum principem habuerunt. Immensa copia in his est rerum, & uerborum Græcæ tantùm, & Latinæ linguæ propria, quibus ad ualetudinis, & medicinæ usum tractatis, florum quoque adiuncta cognitio est. In his, quemadmodum in gemmis, quæ iam dictę, uel significatæ sunt, Græcis potissimum auctoribus utimur. Illi enim à pueris quondam Iacyntho, Croco, Narcisso ad flores nomina transtulere, quorum nos (quia primis, ac magnis auctoribus assentiẽdum erat, uel quia illecebra, ac dulcedine illa fabularum nostra ẽt antiquitas delectata est) nȭa ferè eadẽ*

Ab hominibus ad flores translata nomina.

re-

retinuimus. Amaranthi enim, Aiacis, Amaraci, & Smilacis puellæ nomina, qui in flores mutati, aut herbas dicuntur, nota sunt ex ueterũ carminibus poetarum. Nostra quidem rosa est, nostra lilia, uiolæ, nec multa florum genera. Nam cyclaminus, baccharis, melilotus, caltha ab illis fuerunt. Sed quis nomina, quis numerum, quis uel ipsa florum genera complectatur? Qui his, aut harum nominibus rerum indigeat, ei profectò copia ad loquẽdum ex auctoribus utriusque linguæ doctissimis deesse non poterit. Attigi enim hæc, non ut omnia, imò ne multa quidẽ persequerer, sed vti docerem, ut nomina aliis ex personis, uel rebus, ad res alias transferantur. Docui autem supra, ut ex aere, atque ipso cælo nomina translata sint ad maris animalia, nunc ostendam contrà, ut ex terra, atque mari plurima transferamus ad cælũ. Nã terrã primũ, deinde mare, postremò cælum homines cognouerũt. Signifer enim circulus tria prima signa, quæ ad Septẽtrionem pertinent, Arietem, Taurum, Leonem, ac duo, quæ ad Austrum, Scorpium, & Capricornum de terræ animalibus accepit, Geminos autem Virginem, Sagittarium, Libram, & Aquarium ex hominibus, Cancrum, & Pisces, à mari. Duæ etiam Vrsæ, Draco, Aquila, Pegasus, Lepus, Canes, Hydra, Coruus, Centaurus, Lupus, partim ex terra, partim ex aere, sideribus nomina dederunt. Ex hominibus præterea

Quæ a terra ad cælũ nomina translata sint.

Ca-

ea Cepheus, Arcturus, Hercules, Andromeda, Cygnus, Caßiopea, Eridanus, Perseus, Auriga, Esculapius, Orion: ex aquis Delphinus, Balena & quę in Zodiaco numerata sunt, & cæteri: ex rebus corona, lyra, sagitta, triangulus, nauis, ara, crater. Qui enim sex illi orbes mundi post Lunam distincti esse quondam potuissent, nisi à rebus, personisve alijs Mercurio, Venere, Sole, Marte, Ioue, Saturno vocabula accepissent? Quid nos Christiani, apud quos non maxima quidem, sed circa res maximas, & verißima cæli cognitio est, quid aliud summi Dei, nisi dominatum, nisi regnum, nisi imperium, quid ipsum Deum aliud, quàm Dominum, Principem, Regem, & Imperatorem vniuersi, nostris idest humanis nominibus ex similitudine dicamus? Quibus nominibus illi ordines dicantur, nisi his ipsis, quæ à rebus nostris fuere, Nuncij, Sedes, Dominatus, Principes, Potestates, Virtutes, Flammæ, Ardoresque, assiduè cælum permulcentes cantibus, ad quorumque nos concentum, & laudationes diuinas, quotidie in sacris, nostros etiã cantus recipi, nostrasque voces, post hanc vitam precamur? Quod si non cognitum de sacris foret, ordines esse quosdam in cælo mentibus illis sempiternis, tamen cogitatione fingere id, quod non intelligimus oporteret, ad moremque nobis cognitum aliquem, res non cognitas accommodare. Sic à poetis via ad inferos

Nomina Angelorũ

etiam descripta est, & in partes distributa, ut:

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci,

Tum postea;

Hinc via Tartarei, quæ fert Acherontis ad vndam;

Ac multum viæ quum peractum esset;

Ergo iter inceptum peragunt, fluuioque propinquant;

Postrema pars est viæ;

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci Personat;

Deinceps inferorum loca de medio sumptis nominibus describuntur, primùm vbi infantes, deinde contra leges damnati, mox illi, qui mortem sibi consciuere, tum lugentes campi, in quibus amore consumpti morantur, postea vbi viri fortes, denique Tartarus, & campi Elysij mõstrantur, quarum rerum nomina non apud inferos nata, sed hinc à nobis eo translata sunt. His enim, atque huiusmodi in rebus diuinis, aut per naturam occultis, humano more, & communi loquendum est, partesque illarum, nominibus à similitudine præsertim ductis aliqua describendæ. Quæ autem contrà, ac superiora sub aspectum cadunt, ex ea parte, qua alijs sunt similia, vel eundem, similemve usum præstant, nomina mutuantur, ut scabella, pedes ab homine, nauis temonem à curru, res militaris cuneum à fabris.

Itaque montes, & maria dorsum ab animalibus acceperunt.

Quamobrem & ;

Dorsum immane mari summo & ;

Quæ a rebus alijs ad alias transferũtur.

Νῶτα θαλάσσης.

A Virgilio, & Homero dicuntur. Genua etiam à corpore hominum ad herbas, & cauliũ internodia venerunt, ut indidem latera ad montes, ac res eiusmodi cæteras, ut unguium nomen ad plurima. Nec ora vnum intellectum habet. Propriè enim dicitur ;

Quùm primum Ausonijs exercitus appulit oris.

Ad alia deinde translata est, ut oram soluere dicatur, & quod idem Poeta scribit ;

Mecum ingentes oras euoluite belli.

Auium quoque rostra nauibus attributa sunt, quibus rostris, ornatum locum, vnde concionari ad populum consuessent, rostra dixerunt; vnde pro rostris habere concionem dicimus. Quidam ex nostris collum dederunt montibus, frontem rebus inanimis: testudines etiam, cuniculos, vineas, turres bellicis machinis, & cornua, & alas ad aciem exercitus, bonam frugem ad vitæ genus, tergum ad posteriorem partem significandam, & fronti contrariam, omnes auctores palàm commutarunt. Acies est mentis, animi, oculorum, ferri, exercitus. Palea est

in areis, infra galli cristam, & ramentum, exerementumve quoddam ex ære. Quid præterea loci sunt in fœminis? Quid lupi in frenis equi, in stirpibus, araneis, quid ferrei, aduncique lupi dicuntur? Quid palma in victorijs, quid in membris hominum? Quid vmbra in conuiuijs, vmbella in plantis, vua in apibus, eadem in tonsillis? Quid planta in pedibus, quid pes ipse in nauibus? Iubas verò non Leoni tantùm, & equo, sed anguibus, & gallis etiam damus, & iugum bobus, equis, numero, vinearum pedamẽtis, iugeribus, transtris, libræ, & montibus tribuitur. Est in his clauicula, est capreolus, est verùm amen ad genera translationum, quas Græci, uel μεταφοράς, uel μετωνυμίας, uel καταχρήσεις vocant. Et si enim de transferendo sæpe hactenus mentionem feci, non illam tamen intelligi uolo translationem, qua uitibus oculos, arboribus gemmas, frugibus lætitiam damus. In illis enim uera, apertaque translatio fit, in his verò minimùm, aut nihil à proprietate discessum est. Nam rostra duas ad res, quas dixi, nata sunt, & pedes etiam scabelli sunt, rerumque huiusmodi cæterarum, non minus, quàm animalium, ac testudines nisi ratione illa, qua dictum est, uix scire possis, utrum agrestibus marinæ, an his illæ nomen dederint, at gemmas arbor., oculos uitis, lætitiam segetes ex arte loquendi sola accipiunt, quæ non habentur à natura.. Di- Quid simi

litudo, & comparatio, à trãslatione differat.

scernenda etiam translatio est à similitudine, comparationeque illa, quę non huius est loci, sed oratorum, uel poetarum. Similitudo est cuiusmodi M. Tullius pro P. Sext. est usus, Ad tribunatum, quia ipse ad sese iamdudum vocat, & quodam modo absorbet orationem meam, contento studio, cursuque ueniamus. Nam contento studio, & cursu, translatione dicuntur, absorbet uero tribunatus orationem, similitudine potius. Multo enim longius abest sorbitio à tribunatu, quàm contentio, & studium ab eo, quod est ad tribunatum uenire, sed illud magis translationem illustrat, eamque à similitudine separat, quòd non simpliciter dictum est, à tribunatu orationem sorberi, sed quodam modo sorberi, quæ uerba cum similibus, ut, quasi, tamquam, ut ita dicam, vt sic loquar, non semper quidem, sed tamen sæpius adhibentur ad similitudines, numquam uerò ad translationes. Sed quoniam res aperta uideri quibusdam poterit fortasse obscurior, illud uolui ex eadem oratione cognosci exemplum; Fuerat ille annus (inquit Orator) in rep. magno motu, & multorum timore tamquam intentus arcus in me unum (sicut uulgo ignari rerum loquebantur) re quidem uera in uniuersam remp. Non arcus, sed tamquam arcus in remp. intentus fuisse dicitur. Accidit enim sæpe, ut quum translatio duritatis habere uideatur aliquid à translatione confugere

fugere ad comparationem debeamus. Quod utrumque genus figurarum, aut ex ijs, quibus iam dixi, uerbis, aut sensu ipso cognoscitur. Nam scabelli pedes, & maris dorsa, & montiū latera, & nauium rostra, & quæ ante memorabam, non translationes, sed comparationes quædam fuere olim sine consueta illa ope uerborum, sed longissimi usu temporis, à principio fermè sermonis latini factum est, ut rostra nauium, & huiusmodi cætera, nunc propriè dicantur. Comparationes uerò aut similitudines illæ sunt, quàm uoracitas C. Verris à M. Tullio Carybdis quædam, & Verres ipse Dionysius, aut Phalaris, & M. Antonius Spartacus nominatur. Sed rerum similitudines illustriores, certioresque sunt, quam personarum. Verecundiores autem in transferendo, comparando, & similibus conferendis nos, quàm Greci sumus. Nec latini sermonis consuetudo nos patitur imitari omnia, quæ illi transferre, aut (quod maiore cum libertate fit) similia conferre solent. Quamobrem, utrumque genus apud illos, quod sæpe accidit, ut uix, aut ne uix quidem aptè, & latinè dici possit (quoties id necesse ut) nos comparando potius, quàm transferendo dicere, nec uerba, quę paulò ante ostendi, similitudines, comparationesque adiuuantia, omittere oportebit. Aptè enim, ac splendidè apud Homerum, ineptißimè apud nos, ac uilissimè diceretur;

Rerum similitudines sunt certiores quàm personarū.

Νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ, ὅπτι τ' ὀμφαλός ἐστι θαλάσσης.

Hæc, si erunt à nobis comparationum, ac similitudinum uerbis adiuta maximè, dignitas certè nomini, quod est ὀμφαλὸς, dari nulla potest. Verùm toto hoc de genere translationum prius mihi dabitur locus ad scribendum. Nunc persequor cætera, hoc ipso ex genere, quæ ὁμώνυμα, dicuntur. Ac primùm hasta aliud in auctionibus est, aliud in bello. Præterea coniugata inter se nomina sunt iustitia, & iustus, id quod norunt omnes ante, quàm latinè discant. sed literati hominis est non ignorare, quid iusta sit uxor, iustus filius, iusta mater, iustum prælium, iusta magnitudo: itemque illa, quæ à Cicerone dicitur à iustis dominis ad alienos pecuniarum translatio. Auctoris eiusdem ille est in epistola ad Lentulum locus; Eo die acerbum habuimus Curionem, Bibulum uerò multo iustiorem, penè etiam amicum, idest, Bibulo minus aduersario, & (quod magis consuetum est) æquiore usi sumus; idem omnino, quod alio loco dixit; Te mihi æquum præbere debebis. Nec iusti quidem dies commune aliquid habent cum iustitia. Nam uel ad bellum referebantur, quũ imperato exercitu xxx. diebus in arce uexillum erat; uel ad rationem fori, quum æris alieni damnatis, ex lege xij. tabularum conquirendę pecuniæ causa dies totidem dabantur. Iustitiæ grauissimum est nomen in sacrorum libris. Nam

Transitus ad ea sitnomina, quę ad res plurimas in consuetudine loquendi transferuntur.

iustus quoque sæpius latinè is dicitur, quem bonum uirum nominamus. Propriè igitur, & ex usu latini sermonis theologi, iustos uocant eos, qui nulla re Deum læsere, uel postquàm læserint, infectum esse cupientes, quod factum est, ac resipiscentes, ab eo sunt in gratiam recepti. Veteres enim, & puræ latinitatis auctores ita sæpius loquuntur, ut nullam deesse virtutem viro iusto intelligant, quod nomen Græci suis fortasse sapientibus, aut Lælio nostri, & Catoni dare possint. Denique iustitiæ nomen, quantum virtutis est ipsius, esse voluerunt, quoties ea totũ ad genus refertur, ut iustus ferè tantum ualeat, quantum si à virtute nomen facias, quale est operosus, aut gloriosus, id quod ne Græci quidẽ ab eo, quod est ἀρετή fecerunt. Hinc sunt etiam, quæ iusta exequiarum dicimus. Nec si de funere sit sermo, res eadem notatur, quum Daphnidis interitum pastor apud Virgilium deplorat;

Iusti & iustitiæ nomen quid habeat reconditi.

Extinctũ Nymphę crudeli funere Daphnim:
Flebant; & quum Euryali mater;
Heu terra ignota canib. data præda latinis,
Alitibusque iaces, nec te, tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut uulnera laui.

Sin de manu loquamur, longè aliud est, quàm hominis membrum, quo in loco poeta idem scribit;

Manus.

Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi.

nostris dicuntur animi, ac naturæ incitamenta, quibus ducimur ad honestatem. Auunculos, radiculum, & ranunculos, non rei deminuendæ, sed mutandæ significationis gratia, nomina hæc habere uolumus, ut auriculam, sportulam, spongiolam, quæ nihil commune habent cum ijs, unde orta sunt. Est enim sportula, id pecuniolę, uel cibariorum, quod uiritim in magnis Principum domibus quotidie salutatoribus, deductoribusue donatur, uel domesticis, ac famulis distribuitur. Quibus autem in domibus aliter fiat, & cænetur lautius in commune, ea non sportula, sed cæna rectè nominatur. Ad hunc locum pertinet, quod inde sportella etiam dicta est. Hoc cibi quoddam genus erat ad secundas mensas consuetum. Nec spongiola quidem semper ad primigenium refertur nomen. Duplex enim est, (quantum recordor) una durior quædam lanugo in syluestri rosa luxurians, altera, quæ inter fungorum genera ponitur. Quorumdam uerò ex his genere mutato rem aliã notamus, in quibus est iaculus, & cingula. Aliorum numerus quoque mutatur, ut à lactis nomine lactes fuere. Verùm tamen plurima sunt ea, quæ dictum est ad alia transferri integra, ut nata sunt, nulla prorsus mutatione literarum. In mari enim, & in aquis est anguilla ex ijs, quæ iam dicta sunt, nõ minus, quàm adulterinus, fęniculum, & quæ diximus capillamenta. Sed ijsdem in aquis uiuunt

Duplex spõgiola.

Quę à terra transtulimus ad mare.

uiunt

uunt etiam turtures, aselli, canes, turdi, passeres, columbi, hirundines, terrestrium, ac uolucrum nominibus animalium, ad marina translatis. Hic non doctrinam quæro, sed diligẽtiam cuiusque uolo esse excitatam, ut quæ nostri quondam homines inuenere, ea saltem ne ignoremus. Nec uideor mihi habere, quod hic nouari oporteat. Nam genera animantium in terra, in aquis, in aere, sunt eadem semper, & nouum genus aliquod uix patitur natura, ut mulos ex equis, & asinis, crocutas, ac leocrocutas ex diuersarum coitu bestiarum generatas tulit. Siqua sunt alia, quæ nihil intersit scire, ea olim à principio rerũ omnium, atque mundi esse cæperunt. Quare non præcipio equidem, sed patior tamen, si industria hic non ualde magna sit noua faciendi, modò ue tera, & quondam à doctis inuenta cognoscamus. Itaque sunt in aquis locustæ, sunt cicadæ, sunt arietes, muli, scorpiones, lacertæ, testudines, siluri, mures, cochleæ, uulpes, elephanti, uituli, dracones. Nomina etiam à plantis ad marina transtulimus, ut à pastinacis, urticis, scolopendris. Fuere & à membris hominum dactyli, fuit ab inferis orcus, fuere à cælo stellæ in mari natæ, fuere à cæteris rebus, ut carbones, rotæ acus, lucernæ, pectines. Apparet igitur, ut ex duobus elementis, aere, atque terra, & ex ijs, quæ sunt infra terram, & ipso etiam à cælo, ad unius elementi, idest aquæ animalia propter aliquam

Quæ à plantis ad marina.

aliquam similitudinem, quæ in rebus est, nomina mutuati sumus. Hæc & alia piscium genera sunt olim à nostris, & cognita, & mandata literis, quæ, si (ut in ore est philosophorum omnium) τὰ εἴδη ἀΐδιαἐστιν, totidem esse, atque eadem semper non in mari solùm, sed in cæteris mundi partibus, necesse est. Si qua tamen appareant, aut nostri maris, aut Oceani, aut nouarum gentium monstra, quæ nondum visa sint, qualia docti hominis Gulielmi Rondeletij fuerunt, qui inter multa, piscem humana facie, & fermè Pontificali ornatu visum esse scribit, his mōstris nomina ex animali, aut re quapiam simili accommodabimus. Cur enim locustæ non dicerentur, uel cicadæ, quum videatur etiam in mari cicadas esse, & locustas ipsa uoluisse natura? Tanta enim similitudo in ijs est, ut alia nomina esse non debuerint. Cur non dactyli, cur non pectines, cur non rota, uel vrtica, vel stellæ dictæ sint, quæ secum attulisse hæc nomina videntur? Omnino autem ut in cælo, si qua Deorum immortalium figura est (vt ueteres philosophi disputabant,) eam aut hominis, aut homini similem esse oportet, ita etiam, quæ in mari nascuntur similia terrenis extiterunt. A terra uerò esse translatio ad mare, non à mari ad terram debuit, quoniam illi mortales, qui primi rebus nomina fecere, terræ primùm, suique elementi animalia, resque cæteras cognouerunt: ali-

Gulielmus Rondoletius refert de pisce humana facie, & cū habitu pōtificali.

Quæ in mari nascuntur, similia terrenis reb. existunt.

quot

quot autem post seculis paulatim ratibus tentare litora, mox traijcere nauibus mare, deinde penetrare Oceanum cæperunt. Quæ igitur nouo in elemento apparuere longo post interuallo animalia, ijs per genera cognitis, aliqua inuitante similitudine, ex terrestrium nominibus animantium nomina attulerunt. Genera nos eadem habere cognita oportebit, ut eorum, quæ tantum corio teguntur, ut delphini, corio, & setis ut phocæ, & hippopotami, crustis, ut locustę, crustis, & spinis, ut echini, cortice, ut testudines, silice, ut ostreę, & conchæ, cute aspera, ut squatinæ, molli, ut murenæ, nulla, ut polypi, & lolligines, squamis, ut reliqua piscium genera. Hæc enim præterea, & quæ ex ijs nascuntur ignorare non conuenit eum, qui uolet rectissimè de latini sermonis copia iudicare. Prodest enim ea cognitio historicis, & poetis, profuit memoria patrum nostrorum Actio Sincero poetæ lepidissimo, cui res noua in mentem uenit, ut in carmine pastorum loco, piscatores induceret. Sed mihi satis est copiam inquirentibus, aliquam demonstrare, cauillantibus nimiam, exprobrare. Quamobrem redeo, ut gemmarum quoque nomina ex animalibus, rebusue alijs extitisse dicam. Nam chelonia à testudine terrestri nomen accepit, ut hyæna saurites, leontios, taos, pardalios, aetites à suo quæque animali dicta est. Græcis his nominibus contenta

Actius sincerus.

Ab animalib. ad lapides.

ta latinitas fuit, quia extra Europam, & usque à mari rubro, atque extimis terris ante urbem conditam, uel nondum frugalitate à nostris excussa, Græcorum luxuria has gemmarum delicias conquisiuit. His illi primùm repertis nomina suo de sermone fecerunt, alijs etiam ex rebus ducta, ut à lauro daphnia, à lacte galactites, à ferro σιδηρίτης, *à lupi oculis* λυκόφθαλμος, *à figura autem alia* μεσόλευκος, *alia* μεσόμελας, alia πολύζωνος, *à tonitru uerò* βροντίας, *grandine* χαλαζίας, *imbribus* ὀμβρίας, *à luna* σεληνίτης, *à conuersione in lapidem* γοργονίας. *Similis quædam ratio florum est; & omnium, quæ nascuntur è terra. Infinita ex his docti homines olim demonstrarunt, qui (ne contemnendi esse uideantur) Græci Latini, ueteres, & noui quàm plurimi, Peripateticos etiam auctores, & Theophrastum principem habuerunt. Immensa copia in his est rerum, & uerborum Græcæ tantùm, & Latinæ linguæ propria, quibus ad ualetudinis, & medicinæ usum tractatis, florum quoque adiuncta cognitio est. In his, quemadmodum in gemmis, quæ iam dictę, uel significatæ sunt, Græcis potissimum auctoribus utimur. Illi enim à pueris quondam Iacyntho, Croco, Narcisso ad flores nomina transtulere, quorum nos (quia primis, ac magnis auctoribus assentiẽdum erat, uel quia illecebra, ac dulcedine illa fabularum nostra ẽt antiquitas delectata est) noĩa ferè eadẽ re-*

Ab hominibus ad flores translata nomina.

retinuimus. Amarãthi enim, Aiacis, Amaraci, & Smilacis puellæ nomina, qui in flores mutati, aut herbas dicuntur, nota sunt ex ueterũ carminibus poetarum. Nostra quidem rosa est, nostra lilia, uiolæ, nec multa florum genera. Nam cyclaminus, baccharis, melilotus, caltha ab illis fuerunt. Sed quis nomina, quis numerum, quis uel ipsa florum genera complectatur? Qui his, aut harum nominibus rerum indigeat, ei profectò copia ad loquẽdum ex auctoribus utriusque linguæ doctissimis deeße non poterit. Attigi enim hæc, non ut omnia, imò ne multa quidẽ persequerer, sed vti docerem, ut nomina alijs ex personis, uel rebus, ad res alias transferantur. Docui autem supra, ut ex aere, atque ipso cælo nomina translata sint ad maris animalia, nunc ostendam contrà, ut ex terra, atque mari plurima transferamus ad cælũ. Nã terrã primũ, deinde mare, postremò cælum homines cognouerũt. Signifer enim circulus tria prima signa, quæ ad Septẽtrionem pertinent, Arietem, Taurum, Leonem, ac duo, quæ ad Austrum, Scorpium, & Capricornum de terræ animalibus accepit, Geminos autem Virginem, Sagittarium, Libram, & Aquarium ex hominibus, Cancrum, & Pisces, à mari. Duæ etiam Vrsæ, Draco, Aquila, Pegasus, Lepus, Canes, Hydra, Coruus, Centaurus, Lupus, partim ex terra, partim ex aere, sideribus nomina dederunt. Ex hominibus præterea

Quæ a terra ad cælũ nomina translata sint.

ea Cepheus, Arcturus, Hercules, Andromeda, Cygnus, Caßiopea, Eridanus, Perseus, Auriga, Esculapius, Orion: ex aquis Delphinus, Balena, & quę in Zodiaco numerata sunt, & cæteris ex rebus corona, lyra, sagitta, triangulus, nauis, ara, crater. Qui enim sex illi orbes mundi post Lunam distincti esse quondam potuissent, nisi à rebus, personisve alijs Mercurio, Venere, Sole, Marte, Ioue, Saturno vocabula accepissent? Quid nos Christiani, apud quos non maxima quidem, sed circa res maximas, & verißima cæli cognitio est, quid aliud summi Dei, nisi dominatum, nisi regnum, nisi imperium, quid ipsum Deum aliud, quàm Dominum, Principem, Regem, & Imperatorem vniuersi, nostris idest humanis nominibus ex similitudine dicamus? Quibus nominibus illi ordines dicantur, nisi his ipsis, quæ à rebus nostris fuere, Nuncij, Sedes, Dominatus, Principes, Potestates, Virtutes, Flammæ, Ardoresque, assiduè cælum permulcentes cantibus, ad quorumque nos concentum, & laudationes diuinas, quotidie in sacris, nostros etiã cantus recipi, nostrasque voces, post hanc vitam precamur? Quod si non cognitum de sacris foret, ordines esse quosdam in cælo mentibus illis sempiternis, tamen cogitatione fingere id, quod non intelligimus oporteret, ad morémque nobis cognitum aliquem, res non cognitas accommodare. Sic à poetis via ad inferos

Nomina Angelorũ

etiam

etiam descripta est, & in partes distributa, ut:

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci,

Tum postea;

Hinc via Tartarei, quæ fert Acherontis ad vndam;

Ac multum viæ quum peractum esset;

Ergo iter inceptum peragunt, fluuioque propinquant;

Postrema pars est viæ;

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci Personat;

Deinceps inferorum loca de medio sumptis nominibus describuntur, primùm vbi infantes, deinde contra leges damnati, mox illi, qui mortem sibi consciuere, tum lugentes campi, in quibus amore consumpti morantur, postea vbi viri fortes, denique Tartarus, & campi Elysij mõstrantur, quarum rerum nomina non apud inferos nata, sed hinc à nobis eo translata sunt. His enim, atque huiusmodi in rebus diuinis, aut per naturam occultis, humano more, & communi loquendum est, partesque illarum, nominibus à similitudine præsertim ductis aliqua describendæ. Quæ autem contrà, ac superiora sub aspectum cadunt, ex ea parte, qua alijs sunt similia, vel eundem, similemve usum præstant, nomina mutuantur, ut scabella, pedes ab homine, nauis temonem à curru, res militaris cuneum à fabris.

Itaque montes, & maria dorsum ab animalibus acceperunt.

Quamobrem & ;

Dorsum immane mari summo & ;

Quæ a rebus alijs ad alias transferũtur.

Νῶτα θαλάσσης.

A Virgilio, & Homero dicuntur. Genua etiam à corpore hominum ad herbas, & cauliũ internodia venerunt, ut indidem latera ad montes, ac res eiusmodi cæteras, ut unguium nomen ad plurima. Nec ora vnum intellectum habet. Propriè enim dicitur ;

Quùm primum Ausonijs exercitus appulit oris.

Ad alia deinde translata est, ut oram soluere dicatur, & quod idem Poeta scribit ;

Mecum ingentes oras euoluite belli.

Auium quoque rostra nauibus attributa sunt, quibus rostris, ornatum locum, vnde concionari ad populum consueßent, rostra dixerunt ; vnde pro rostris habere concionem dicimus. Quidam ex nostris collum dederunt montibus, frontem rebus inanimis: testudines etiam, cuniculos, vineas, turres bellicis machinis, & cornua, & alas ad aciem exercitus, bonam frugem ad vitæ genus, tergum ad posteriorem partem significandam, & fronti contrariam, omnes auctores palàm commutarunt. Acies est mentis, animi, oculorum, ferri, exercitus. Palea est

in areis,

in areis,infra galli cristam,& ramentum,exere mentumve quoddam ex ære. Quid præterea loci sunt in fœminis? Quid lupi in frenis equi, in stirpibus,araneis,quid ferrei, aduncique lupi dicuntur? Quid palma in victorijs, quid in membris hominum? Quid vmbra in conuiuijs, vmbella in plantis,vua in apibus,eadem in ton sillis? Quid planta in pedibus, quid pes ipse in nauibus? Iubas verò non Leoni tantùm, & equo,sed anguibus, & gallis etiam damus, & iugum bobus,equis,numero, vinearum pedamẽ tis,iugeribus,transtris,libræ,& montibus tribuitur. Est in his clauicula, est capreolus, est verùmen ad genera translationum, quas Græci, uel μεταφοράς, uel μετωνυμίας, uel καταχρήσεις vocant. Et si enim de transferendo sæpe hactenus mentionem feci, non illam tamen intelligi uolo translationem,qua uitibus oculos, arboribus gemmas,frugibus lætitiam damus. In illis enim uera, apertaque translatio fit, in his verò minimùm, aut nihil à proprietate discessum est. Nam rostra duas ad res,quas dixi, nata sunt,& pedes etiam scabelli sunt,rerumque huiusmodi cæterarum,non minus, quàm animalium,ac testudines nisi ratione illa, qua dictum est,uix scire possis, utrum agrestibus marinæ, an his illæ nomen dederint, at gemmas arbor, oculos uitis,lætitiam segetes ex arte loquendi sola accipiunt,quæ non habentur à natura. Di- Quid simi

militudo, & comparatio, à trãslatione differat.

scernenda etiam translatio est à similitudine, comparationeque illa, quę non huius est loci, sed oratorum, uel poetarum. Similitudo est cuiusmodi M. Tullius pro P. Sext. est usus, Ad tribunatum, quia ipse ad sese iamdudum vocat, & quodam modo absorbet orationem meam, contento studio, cursuque ueniamus. Nam contento studio, & cursu, translatione dicuntur, absorbet uero tribunatus orationem, similitudine potius. Multo enim longius abest sorbitio à tribunatu, quàm contentio, & studium ab eo, quod est ad tribunatum uenire; sed illud magis translationem illustrat, eamque à similitudine separat, quòd non simpliciter dictum est, à tribunatu orationem sorberi, sed quodam modo sorberi, quæ uerba cum similibus, ut, quasi, tamquam, ut ita dicam, vt sic loquar, non semper quidem, sed tamen sæpius adhibentur ad similitudines, numquam uerò ad translationes. Sed quoniam res aperta uideri quibusdam poterit fortasse obscurior, illud uolui ex eadem oratione cognosci exemplum; Fuerat ille annus (inquit Orator) in rep. magno motu, & multorum timore tamquam intentus arcus in me unum (sicut uulgo ignari rerum loquebantur) re quidem uera in uniuersam remp. Non arcus, sed tamquam arcus in remp. intentus fuisse dicitur. Accidit enim sæpe, ut quum translatio duritatis habere uideatur aliquid à translatione con-

fugere

fugere ad comparationem debeamus. Quod utrumque genus figurarum, aut ex ijs, quibus iam dixi, uerbis, aut sensu ipso cognoscitur. Nam scabelli pedes, & maris dorsa, & montiū latera, & nauium rostra, & quæ ante memorabam, non translationes, sed comparationes quædam fuere olim sine consueta illa ope uerborum, sed longissimi usu temporis, à principio fermè sermonis latini factum est, ut rostra nauium, & huiusmodi cætera, nunc propriè dicantur. Comparationes uerò aut similitudines illæ sunt, quàm uoracitas C. Verris à M. Tullio Carybdis quædam, & Verres ipse Dionysius, aut Phalaris, & M. Antonius Spartacus nominatur. Sed rerum similitudines illustriores, certioresque sunt, quam personarum. Verecundiores autem in transferendo, comparando, & similibus conferendis nos, quàm Græci sumus. Nec latini sermonis consuetudo nos patitur imitari omnia, quæ illi transferre, aut (quod maiore cum libertate fit) similia conferre solent. Quamobrem, utrumque genus apud illos, quod sæpe accidit, ut uix, aut ne uix quidem aptè, & latinè dici possit (quoties id necesse ut) nos comparando potius, quàm transferendo dicere, nec uerba, quæ paulò ante ostendi, similitudines, comparationesque adiuuantia, omittere oportebit. Aptè enim, ac splendidè apud Homerum, ineptißimè apud nos, ac uilissimè diceretur;

Rerum similitudines sunt certiores quàm personarū.

Νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ, ὅπτι τ᾽ ὀμφαλός ἐστι θαλάσσης.

Transitus ad ea sit nomina, quę ad res plurimas in consuetudine loquendi transferuntur.

Hæc, si erunt à nobis comparationum, ac similitudinum uerbis adiuta maximè, dignitas certè nomini, quod est ὀμφαλὸς, dari nulla potest. Verùm toto hoc de genere translationum proprius mihi dabitur locus ad scribendum. Nunc persequor cætera, hoc ipso ex genere, quæ ὁμώνυμα, dicuntur. Ac primùm hasta aliud in auctionibus est, aliud in bello. Præterea coniugata inter se nomina sunt iustitia, & iustus, id quod norunt omnes ante, quàm latinè discant. sed literati hominis est non ignorare, quid iusta sit uxor, iustus filius, iusta mater, iustum prælium, iusta magnitudo: itemque illa, quæ à Cicerone dicitur à iustis dominis ad alienos pecuniarum translatio. Auctoris eiusdem ille est in epistola ad Lentulum locus; Eo die acerbum habuimus Curionem, Bibulum uerò multo iustiorem, penè etiam amicum, idest, Bibulo minus aduersario, & (quod magis consuetum est) æquiore usi sumus; idem omnino, quod alio loco dixit; Te mihi æquum præbere debebis. Nec iusti quidem dies commune aliquid habent cum iustitia. Nam uel ad bellum referebantur, quũ imperato exercitu xxx. diebus in arce uexillum erat; uel ad rationem fori, quum æris alieni damnatis, ex lege xij. tabularum conquirendę pecuniæ causa dies totidem dabantur. Iustitiæ grauißimum est nomen in sacrorum libris. Nam

iustus quoque sæpius latinè is dicitur, quem bonum uirum nominamus. Propriè igitur, & ex usu latini sermonis theologi, iustos uocant eos, qui nulla re Deum læsere, uel postquàm læserint, infectum esse cupientes, quod factum est, ac resipiscentes, ab eo sunt in gratiam recepti. Veteres enim, & puræ latinitatis auctores ita sæpius loquuntur, ut nullam deesse virtutem viro iusto intelligant, quod nomen Græci suis fortasse sapientibus, aut Lælio nostri, & Catoni dare possint. Denique iustitiæ nomen, quantum uirtutis est ipsius, esse voluerunt, quoties ea totũ ad genus refertur, ut iustus ferè tantum ualeat, quantum si à virtute nomen facias, quale est operosus, aut gloriosus, id quod ne Græci quidẽ ab eo, quod est ἀρετή fecerunt. Hinc sunt etiam, quæ iusta exequiarum dicimus. Nec si de funere sit sermo, res eadem notatur, quum Daphnidis interitum pastor apud Virgilium deplorat; Iusti & iustitiæ nomen quid habeat reconditi.

Extinctũ Nymphę crudeli funere Daphnim:
Flebant; & quum Euryali mater;
Heu terra ignota canib. data præda latinis,
A litibusque iaces, nec te, tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut uulnera laui.

Sin de manu loquamur, longè aliud est, quàm hominis membrum, quo in loco poeta idem scribit; Manus.

Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi.

Nec semper de flumine aluei dicuntur, nec agmen tantùm de exercitu, nec arma soli tractant milites. Nam Virgilius, quum instrumento rustico dederit hoc nomen, intelligere nos voluit, quòd profectò sine illius exemplo omnes intelligunt, quarumcunque instrumenta artium arma, ut à Græcis ἐργαλεῖα posse nominari. Itaque non carent hic fabri lignarij, ærarij, ferrarij, argentarij, aut omnino ulli opifices hoc nomine communi, quod in officinis artium omnium uersatur. Cælum verò, ac mundus, non est quod mulierculæ solùm, & rustici loquuntur, sed præterea omnium hæc vniuersitas rerum. Dignitatem in ore habent omnes, fieri tamen potest, in ea ut peccetur aliquid. Est enim indignissimorum quoq; hominum. Quare alium honore, & præmio, alium ignominia dignum esse, & supplicio, vel mulcta affici, omnes pro dignitate cuiusque dicimus. Asoti, ac turpissimi dignitatem hominis uoluit parasitus ostendere, quum sui loci, atque ordinis hominem à se narrat conuentum esse. Est enim dignitas propria quædam communisue cum altero personarum conditio. Significat etiam hoc nomen uirilem pulcritudinem, sicut venustas muliebrem. Aetatem in primum tempus infantiæ, mox pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis, denique senectutis non est satis habere distributam. Discere enim ex usu latinitatis, ac doctissimorum oportebit, eam non

Quæcunque instrumenta artium, possunt arma nominari

Cælum, & mundus.

Dignitas.

Aetas.

de hominibus, vel bestijs tantùm, sed cæteris etiam de rebus dici, quæ inueterascunt, aut in longum tempus durant, vino, oleo, ut olei quoque de ætate, & lignorum, & mellis, & frugum quærere debeamus. De annis etiam dicitur, vt;

Tribus ex actis ubi quarta accesserit ætas;

quemadmodum de tempore, ut nostra, uel superiore, uel Catonis, vel Magni Alexandri ętate aliquid accidisse dicimus. Pro seculo etiam, ac tempore, vt M. Tullius de Nestore, qui trecentesimum erat ingressus annum, tertiam ætatem vixisse illum scribit;

Temporis est illud exemplum;

Attulit & nobis aliquandò optantibus ætas

Auxilium, aduentumque Dei;

Nec doceo, quod est ineptissimum, id ætatis hominem dici, quod nulla grammaticæ ratio tuetur: nec aliud simile, sed ἐπιῤῥηματικῶς in Plauto, ac Terentio frequens, Iam dudum ætatem lites sunt inter eos factæ maximæ. Hinc sunt nata, quæ æterna dicimus, ac sempiterna. Aeternũ. *Hæc utraque propriè sunt, quæ nullum finem habent, sed in vsu loquendi mortalibus etiam de rebus dicuntur, ut in Eunucho Terentius;*

Dehinc spero æternam inter nos gratiam

Fore Thais;

&

& Plautus in Mercatore;

Homo me miserior nullus æquè (opinor) neque aduersa cui
Plura sint sempiterna.

Propriè verò Terentius in Andria;

Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror,
Quòd eorum uoluptates propriæ sunt.

Non satis magna sermonis copia esse potest, ubi hæc ignorentur. Infinita enim huiusmodi loco sunt plurimorum nominum. Nihil tam vulgare est, quàm corona, sed non ex vsu vulgi, primaque natura uerbi dictum à Virgilio est;

Corona.

Rara muros cinxere corona.

& à M. Tullio; Non enim corona consessus vester cinctus est, vt solebat. Sub corona autem uendere, quemadmodum sub hasta, quid sit, nemo est quin sciat. Corona ex rosis, aut floribus alijs est, qua in choris, & saltationibus utuntur, Castrensis, aut Vallaris, ei donabatur, qui in hostium castra primus irrupisset: eius coronæ uallum insigne fuit. Propter similem uirtutem, naualis donabatur insignita nauium rostris, cuius Poeta mentionem fecit;

Vendere sub corona, & de multiplici corona.

Cui, belli insigne superbum,
Tempora naualì fulgent rostrata corona;

Ciuicam, quernis ex fondibus, ciuis donabat ciui, à quo in prælio seruatus esset. Muralis, quasi murorum pinnis quibusdam ornata donabatur

nabatur militi, qui muros hostium primus ascenderet. Obsidionalis graminea erat. Hęc ei donabatur, qui obsessos liberaret. Oualis ex myrto ouantium erat, quum sine sanguine, aut ex metu hostium, atque fuga, aut non indicto ex bello redibant. Triumphales erant ex lauro, quæ imperatoribus virtutis, & iusti triumphi causa mittebantur. Oleagina eorum fuit, qui triumphum curabant. Aeuum rectè dicitur quod principio, & fine caret, proprium summæ diuinitatis, vnde illud; æuum in cęlo, vel cũ Dijs immortalibus æuo frui sempiterno, ut veteres loquebantur. Hęc, & mille similia his, propriè dicuntur, & si de minorum quoque gentium Dijs sic loquamur, & ijs, qui ex hominum vita, vel nunc apud nos sunt, vel quondam ex falsa religione ad cœlos translatos dicebant. Quod igitur sępe de rebus nihil ad ęternitatem pertinentibus ęuum apud auctores omnes dici videatur, sciamus figuram esse illam uel κατάχρησιν, vel συνεκδοχὴν, vt quaẽdmodum quę sunt locorum pro ipsis locis, & loca uicissim pro ijs, quę locata sunt, ita non mirum sit ęuum, ac tempus, eorum loco poni, quę esse temporis, ipsiusque ęui putantur. Itaque in soluta oratione, & in carmine poetis omnibus, & Virgilio maximè eius modi exempla permittamus; Acuum.

Vos ò quibus integer ęui
Sanguis.

Nec

Tempus. Nec laude carere credamus, quòd qui purè, & latine loquuntur, sępe tristißima sua, & aliorum tempora deplorent, vel periculosum reip. tempus, & nos religionis turbulentissimum queramur. M.Tullium laudemus, qui hæc ita semper habuit in ore, ut libros etiam scripserit de temporibus suis. Frequentia sunt illa; Tempori seruire, ad omnia sese tempora accommodare: temporis gratia simulare, temporis causa mentiri. Distincta sunt natura, locus, & tempus, atque æuum, sed in vsu loquendi sępe accidit, vt vnum pro altero aptissimè ponatur. Et

Locus. si enim quod vbique fiat, necesse non est semper fieri, illud tamen, quod semper fit, vbique fiat necesse est. Itaque si Cato Remp. semper luget, eam profectò in locis omnibus luget necessariò. Quare si dicatur scribit ubique, & semper, necessarium est vtrumque uerbum, sin mutes ordinem, ut placeat semper, & ubique, secundo uerbo superſederi potuit. Consilium dare, & acci-

Consiliũ. pere, ex ijs rebus est, quas pueri statim, ac sine doctore etiam norunt: sed non eumdem habet intellectum Iouis illa apud Virgilium de Iunone oratio, Consilia in melius referet.

Numine etiam & consilio diuino aliquid esse factum dicere solemus. Mutationes præterea consiliorum quotidie, & singulis horis, ac momentis fiunt, eorum videlicet, quæ sunt non aliunde allata, sed à nobis ipsis inuenta. Ignorare

rare te quibus rebus, aut consilio adductus aliquid feceris, magnam stultitiam putamus. Eo consilio Catilina discessit, ut bellum patriæ inferret. Hæc ita sæpius mutantur, vt mente belli renouandi fugisse aliquem dicamus. Ac mentem ipsam pro anima quoque positam, non vno tantùm loco, uel vno auctore inuenimus. Animā verò, & animum συνώνυμα esse consuetudo sermonis latini voluit. Quare de immortalitate animorum nonnulli scripsere, quibus animis religio nostra nomen dedit potius animarum. Hoc inter se differunt hæc duo verba, quòd pro uita, seu uento, seu halitu oris animam potius, quàm animum dicimus. Lex non solùm in iudicijs in causis, ferendaque sententia, verùm etiam in versibus faciendis, oratione componenda, in pactis, conuentis, artium quarumcunque ratione, & præceptis, rebusque plurimis huiusmodi versatur. Res quàm latè pateat illo solùm argumento cognosci potest, quod supra decem illa rerum omnium genera à Philosophis collocatur. Omnia enim quæ sensibus, quæque intelligentia cognoscuntur solo hoc nomine significari possunt, quod ex dialecticorum disciplina decē illis de generibus aptissimè dicitur. Nam substantia est res, quantitas, qualitas ac relatio res est cum cæteris. Hinc rerum dicitur natura: hinc res prosperæ, & res aduersæ, res afflictæ, aut florentissimæ,

Magna stultitia est ignorare, qua de causa quid quisque faciat.

Mens.

Animus.

Lex.

Res.

res diuina, familiaris, nummaria, militaris, nautica, publica, priuata, frumentaria, rustica, vxoria, bellica, salua, perdita, res Romanæ, res Pompeij: re nondum tentata, vel re integra venire. Verùm exempla hæc, tametsi plurima sint in auctoribus, colligi tamen possunt omnia, sed illud est infinitum, quòd nihil sub sensus, intelligentiamve cadit, quin res dicatur. Integra sunt, vel ἀκμάζοντα, vt;

Integer.

Egregia forma, atque ætate integra;

Vel magis translatè, vt:

Integer vitæ, scelerisque purus.

Vulgaria sunt illa; Non esse integrum alicui rebus bellicis occupato, vxorem ducere; et; Rudem se, atque integrum discipulum præbere: integrum se, & neutram in partem propensum seruare: rem integram alicui relinquere: causam integram. vel de lege agraria integrũ ad Pompeij reditum reseruare placuit, re adhuc integra, uel antequam decernatur aliquid, & rebus integris omnibus in Senatum venire. Hinc dictum est integro esse omnia: & in integrum restituere iurisconsultorum, & publicæ consuetudinis loquutio est. Nec rara sunt;

Faciet posthac de integro comœdias.

De multiplici causa.

Causa verò non eadem est consuetudinis, & rethorũ, uel philosophorũ. philosophi enim suas habent alias conficientes, alias materiæ, alias formæ, alias finium causas. Rhetores autem, uel

vel Oratores causam vocant infinitam, qualis est; sit ne tempus aliquod iure hominem occidendi: finita, ut licuerit ne Miloni vim repellendi, suæque salutis expediendæ causa Clodium occidere. Maximè frugifera, & pulcherrima hæc ratio causarum, fons quidam vberrimus est rerum omnium, quæ in disputationem cadũt. Minus obscura vulgò est, quæ demonstratiua, quæ deliberatiua, quæ iudicialis causa dicitur. Iurisconsulti etiam sic loqui debent, aliam esse causam eius, qui in foro, aliam eius, qui in templo iniuriam fecit. Si causam cædis ipse velit princeps cognoscere, neque ei tu pareas, causa incipiet esse maiestatis. Neque aliud est hic verbum, quod latinum putare debeant. Barbarum erit enim, ac fædum, nisi dicant sacrilegij, non furti causam esse eius, qui rem profanã de sacro surripuit, uel ad causas omnes, quæ possent euenire, leges à maioribus nostris esse constitutas. Quotidianæ sunt consuetudinis; Peto honoris mei causa, ut hominem defendas; Nisi, quæ dicta sunt, uera esse cognosces, non causam dico, quin de me supplicium sumas. Minus puerilia sunt; abesse reip. causa; mea, tua, vel vtriusque nostrum causa aliquid esse factũ: itemque nihil esse quod nolim, nihil, quod non cupiam tua causa. Illud subtile nimis est, ac tenue; Morborum causas videre; & causas morborum; vtrumque ex usu, ac rectè dici: at

morbi

morbi depellendi causa ægroto medicum adesse; dici tantùm debet, nec ualde mutandus hic ordo est, ut sępius causa depellendi morbi dicere audeamus. Aliud est bonam habere causam, uel malam, aliud in exemplis, uerbi causa dicere, aliud alia in forma loquendi, quæ omnia in bonis auctoribus, ac locis omnibus obseruantur.

Ratio. *Ratio quid in homine sit, ut causa etiam superior, philosophorum est prosequi subtiliter. His quidem in libris nihil debeo præstare aliud, nisi quę ad copiam sermonis pertinent, ut; Petit ab Senatu Cęsar ut sui absentis ratio haberetur: unde est rationem habere ætatis, fortunę, ualetudinis, commodi, auctoritatis, officij. Rationem habere cum terra, cum Musis, cum literis. Nec potest quis non intelligere, quid sit, quod rationem dicimus uitę, studiorum, instituti, rei domesticę, rei familiaris. Nec ille contemni locus debet Ciceronis in C. Verrem: Tua ratio est, ut mihi secundùm binos ludos respondere incipias. Rationem sępe dicimus pro uia, consilio, quantitate, statu, modo, forma, consuetudine, uel more; quę in promptu sunt exempla omnibus. Quid præterea illud est, quod legimus plures epistolas in eandem rationem scriptas? Quid illud quod comparationis loco rationem dicimus? Hinc ille natus est M. Tullij locus; Et Græciæ quidem Oratorum partus, atque fontes uides ad nostrorum annalium*

rationem

*ationem veteres, ad ipsorum sanè recentes. Rationes referre ad ærarium, & rationes accepti, & expensi conscribere, non vt rem occultam, & nouam cognosci volo, sed cogitari potius, quã a, & quàm magnis ex fontibus copia nascatur, & uno quidem ex uerbo, aut singulis etiam uer*is, quàm splendidè, & eleganter, & quàm mul*as ad res uti poßimus. Sunt etiam rationes, uel argentariorum, uel mercaturas exercentium, uel negotiatorum, uel quarumcunque debitionum, ut in Phormione Tenentius;*

Erat ei de ratiuncula
Iampridem apud me reliquum pauxillulum
Nummorum.

Gratia. *Gratia verò est unde gratiosi homines dicuntur: qui propter virtutem, existimationem, aut officia, populo cari sunt, aut plebi, aut etiam alicui ordini priuatim cari habentur. Hinc nata illiusmodi sunt exempla; Gratiam autem nostram extinguit hominum suspitio. Gratiam habere, referre, aut gratias agere, quid sit, nemo quærit. Ad gratiam loqui, aut facere aliquid est, quod πρὸς χάριν, Est etiam gratia, causæ loco posita, vt;*

Hic me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, & ea me hic restitiße gratia.

Tabulæ. *Tabulæ & tabellæ iam tum à primo ortu latinitatis, tantũ ligneæ fuerunt, deinde lapideas fecimus, postremò etiam ex ære, ac metallo, quã*

rum fateor nullam debere esse doctrinam. Sed qui ὁμωνυμίαν illarum nesciat, uel minimi faciendam putet, is magna verborum copia, & elegantia careat necesse est. Nam si nullum omnino esse volumus hunc τῆς ὁμωνυμίας locum, maxima latini sermonis parte fraudabimur. Ignorentur enim, quæ iam dicta sunt, nec putetur aliquid esse cognitio hæc tabularum, nec sit his de verbis, quæ dicam, ulla cogitatio, iam non modò copia, sed hæc ipsa etiam communia paupertatis remedia peribunt. Est igitur nunc tabula, vt Apellis, & pictorum, quæ cum signis sæpe nominatur, vt Praxitelis, & Lysippi, est etiam naufragij votiua, & cerata, sed numero multitudinis tabulæ dicuntur etiam accepti, & expensi, auctionis, testamenti, omnium syngrapharum. Sunt hinc publicæ tabulæ, uel domesticæ, uel priuatę, vnde fit publicis tabulis, uel priuatis aliquid probare, uel causam dicere, secundum tabulas possessionem dare, sententiam per tabellam ferre, uel populum rogare: & fuit quodam tempore tabella, quam diximus deinde epistolam, vnde etiam tabellarios dixere. Sunt & iudicum tabellæ & suffragiorum, vnde uoce, & tabella suffragium ferre. sunt nouæ tabulæ, quas militibus ære alieno grauatis Catilina pollicebatur, nt pecunias cum usuris soluere cogerentur. Hinc natum illud est quondam apud rhetores declamandæ controuersiæ argumen-

tum,

tum, vt minor natu frater fratri communem, à patreque relictum agrum cederet, ea lege, ut maior æs alienum patris dissolueret. inde quum perlata esset lex nouarum tabularum, minor partem agri petit à maiore. Tabulæ etiam al uei sunt lusorij latrunculorum, uel tesserarum. Sextia quoque, & Valeria, & aliorum nominum tabulæ in scriptis veterum legantur, quæ sunt auctionum, & hodie non malè à doctis ar gentariorum, & geographiæ, quales apud Clau dium Ptolomæum, & orbis terræ pingunt no stri, tabulæ dicuntur. Hìc non turpitudinis modò, sed mendicitatis est summæ ea ignorare, uel ad vsum, & sermonis copiam non adhibere, quæ maiorum nostrorum, ac doctissimorum hominum splendidè, utiliter, ac necessariò sunt celebrata literis. Nec familia vnius est modi. Ad seruos enim pertinet, vnde est famili- Familia. *liam parare, familiam vendere, itemque ad gẽtilitates, & eorum qui eiusdem familiæ sunt, uel diuersarum, ut Seruilij, Licinij, Iulij, Pompilij, Terentij, Claudij. Sed neutro ex familiæ genere familiares dicti sunt, qui familiariter nobiscum versantur, nisi fortasse illa potest esse ratio, quòd vxor etiam, & liberi, familiæ nomen tenent, vt qui similiter, atque ij, domum nostram frequentant, uel ad officia nobis præstò sunt, familiares dicantur. Nec ridiculum est, quærere, ager formæ ne sit, an gene-* Ager.

 ris

ris nomen, vel quæ inferiora genera cõtineat, uel siquo genere contineatur superiore. Aliorum tamen hæc diligentia, vel cogitatio curabit. Ego ne illud quidem uidero scrupulosius, multò aliud esse Fesulanum agrum dici, quàm Fesulanos agros. Ager enim Hortensij, Cæsaris, Attici, Galbæ, & Varronis, vel Mandurinus ager, uel Vritanus, uel Salentinus, vel Campanus, uel Rauennas, uel Brutius, uel Mediolanensis, bina faciunt nomina diuersa. Est hoc tamen puerilis notitiæ: illud verò, quod ante posui, sicui forte paulò videatur obscurius, is cogitet secum plura. Nec δεῖ συνωνύμων hoc loco scribendum est; nec uerè συνώνυμα sunt, rus, aruum, nouale, campus, ager, villa.

Malignũ. Nec vulgari ex usu malignum Virgilius accepit, eo loco;

Quale sub incertam lunam sub luce maligna
Est iter in syluis, ubi sol se condidit umbra;

Hinc maligna terra, & maligni colles eodem à poeta dicuntur, ut;

Difficiles primùm terræ, collesque maligni

Aditus etiam dixit malignos, non ex publica uerborum consuetudine, ut;

Vrget utrinque latus, tenuis quò semita ducit,
Angustæque ferunt fauces, aditusque maligni.

Eumdem

Eumdem quoque ad sensum malignè, & malignitas dici solet. Sæpius nostri suis in scriptis, eosdem felices, & beatos fecerunt, qui tamen hoc differunt, quòd illis nō optata modò, sed quæ, ne cogitassent quidem, prosperè succedunt, his nihil iam superest, quod amplius expectent, aut concupiscant. Itaque felicitas beatitudine carere potest, beatitudo felicitate non potest; uel felix est rerum compos plurimarum, beatus seipso lætus est, & quibuscumque rebus etiam tenuibus, etiam afflictis benè, ac beatè uitam agit. Labefactare beatitudinem ulla res aduersa non potest, felicitas ad fortunæ casus omnes est exposita, & sæpe nihil prodest, sæpe etiam obest, ut; Nec quemquā scio, cui magis omnes felicitates aduersæ sīet. Verùm sunt hæc ex usu etiam, & natura uerbi. Illa magis ad præsens institutum pertinent, quæ non sunt quotidianæ consuetudinis, quòd felices aliæ arbores dicuntur, aliæ infelices, vnde lex fuit illa horrendi carminis; Arbori infelici suspendito. Nec malè quæsitum est, cur felix Arabiæ pars nominata sit. Quid præterea illud est, quod orat Virgilius pastorem ad Deos translatum;

Felix, beatus.

Sis bonus ò, felixque tuis.

Quid illud?

Vnà in præcelsa consedit rupe Celeno,
Infelix vates.

Nec illud ignorari debet vetusti moris, nihil à religione uera alienum, quod sic ad initia rerum grauissimarum præfari solebant; quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit. Nepotes aliud in usu communi sunt, aliud in arborum propagationibus, aliud in profusione rerum, prodigalitate, ac luxuria, unde quidam homines docti non timuere nepotandi quoque verbum facere. Fidem verò non eam uolo nunc mihi propositam, quæ est in rebus creditis iustitia, sed, quæ apud ueteres est; Proh Deum atque hominum fidem: & quod est, potentioris, aut Quiritium fidem implorare. In fidem se dare, aut esse in fide Cæsaris, uel dare se in fidem hostibus. Fidem infirmare, uel chirographi, uel tabularum, est etiam pro religione priuata cuiusque, nec fortasse nolim esse apud nos publicę etiam religionis.

Nepos.

Fides.

Diuersum est quod senex Terentianus ait,

Nihil isthac opus est arte ad hanc rem; quam paro,
Sed ijs, quas semper in te intellexi sitas,
Fide, & taciturnitate.

Bonam fidem M. Tullius dolo malo contrariam opposuit. Nota etiam in Plauto est, emere Græca fide, ubi nulla fides habēda esset. Fide tua me esse iubes, fide mea iubeo: iuris uerba sunt in spondendo, satis dando, vel fide iubendo vsurpari solita, vnde natum & fidem

Quid sit emere grę ca fide.

soluere, quod est debitioni satisfacere. Fides etiã publica datur à Principe, rep. ciuitate, uel ab hostibus hosti, inimico, exuli, proscripto, qua im̃pune ei liceat adesse, colloqui, vel causam dicere. Sic hodie, & semper, aut alijs temporibus, aut in coniuratione Catilinæ quidam fide publica Roman, & in senatum venerunt. Quod esse in fide, uel dare se in fidem, & clientelam Cæsaris dictum est, id de prouincijs, populis, & ciuitatibus etiam dici, ac fieri consueuit, ut Sicilia, Dyrrhachium, & municipia erant quædam in fide Ciceronis, quod post Romanum imperium, sublata omnium libertate, qui postea sunt insequuti reges, perpetui iuris esse uoluerunt. Hinc tot in Italia, & Europa nouæ appellationes regulorum, & quæ fuerunt olim officia humanitatis (bonorum pace dictum volo) in turpissimi dominatus insolentiam conuersa sunt. Verùm dicere bona fide, aut loqui, est seriò dicere. Candida porrò quæ sint, & alba, stultissimum est loqui, sed ignorari non oportet, quid illud sit, quod album dicimus prætoris, album decurionum, iudicum, senatorum, annalium. Auctor illud habet ad copiam pertinens, quod est veterum, & Ciceronis potissimum loquendi modus; Non quemadmodum quod mulieri debeas, rectè ipsi mulieri sine tutore auctore soluas, ita quod pupillæ aut pupillo debeas, rectè possis eodem modo soluere. Orator idem pro A. Cluentio; Nu-

Candidũ, & album.

Auctor.

bit genero socrus, nullis auspicijs, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium: quod nos ex religionis more fortassis dicere possimus; nubere impudicissimam mulierem, nullo adhibito genere sacrorum, nulla eorum auctoritate, aut consilio, quorum in potestate mulier eße debebat, cunctisque exitium precantibus, qui tantum scelus, & rei turpitudinem cognorant. Hinc dicta est auctoritas, quam nec vulgus ignorat: sed illa sunt exempla doctorum; Aduersus hostem æterna auctoritas. Publicæ etiam auctoritates, ciuitatum literę dicuntur; vel testimonia publicis literis consignata. Illa sunt etiam nostræ antiquitatis, quæ pro iure vsucapionis dicuntur, Lex vsum, & auctoritatem fundi iubet esse biennium. Huc illud quoque pertinet exemplum ex Ciceronis eiusdem oratione de aruspicum responsis; Multę sunt domus in hac urbe P.C. atque haud scio, an penè cunctæ iure optimo, sed tamē iure, priuato iure hæreditario, iure auctoritatis, mācipij, iure nexi. Quæ publica sūt, Publicū. *norūt ēt qui literas nunquā uiderunt, sed carere publico, & in publicū uenire, & publica redimere, de sola doctorum hominum consuetudine* Corpus. *scribendi cognouimus. Corpus non solùm rebus incorporeis, uerùm gracilitati, ac maciei contrarium, vel obesitati, & corpulentiæ consentaneum est. Quamobrem nostri omnes, & Cicero ad Gallum scripsit ex morbo se, corpus,*
&

& vires amisisse. Hic non discessum est à proprietate. Illa verò propter similitudinem figurata sunt; Corpus esse vnum reip. corpus ciuitatis, & orationis, vel materiæ vnum quasi in corpus colligere. Annum uerò suas in partes, vel genera habere distributum non tam verborum copiæ est, quàm doctrinæ maioris cuiusdam. Hunc si ad lunam referas, dierum est XXX. sin ad solstitium, mensium XII. sin ad illum, qui magnus annus dicitur, annorum est XII. milium, quingentorum quinquaginta quatuor. De eo, qui annus κλιμακτηρικὸς dicitur, non debeo equidem hoc loco esse solicitus, ac prætereo etiam in his verbis omnibus, quæ ad ἐπίθετα pertinere arbitror. Breuia autem à Cicerone dicuntur consectaria illa Stoicorum, idest argumenta breuissimis pronunciatis quibusdam, quasi spinis aculeata, quibus in disputando vtebantur. Munus est propriè, quod officij gratia donatur, de quo nihil dicerem, nisi munus etiam diceretur gladiatorium, exequiarum, candidatorium. Sunt præterea, vnde vacationes etiam dicuntur à muneribus, vt consulatus, præturæ, ædilitatis, & cuiuscunque magistratus, vt annuum munus Cicero uocat Ciliciæ imperium, quod sibi lege Cornelia vno anno administrandum erat, quo in loco Terentius dixit; Neque mens, neque pes satis suum officium facit, dicere nimis potuit. Sunt enim illa in ore omnium

Annus.

Breuia.

Munus.

nium

nium, officium, atque munus oculorum, id quod potest ad alios etiam sensus, atque ad membra omnia transferri. Sic munus docendi, amicos defendendi, patriam tuendi, ac similiter fungendi magistratus, respondendi ex iure, gerendi belli; munus, atque partes esse uolo tuas interrogandi, meas ad omnia, quæ uoles, respondendi.

Donum, & Munus

Inter duo hæc donum, & munus, similiaque omnia vtendum iudicio, recteque uidendum est, an disparata sint omnino, vel si inter se quoddam modo affecta, vtrũ vtrius genus esse videatur, & sit ne donum, quod munus non sit, uel munus fortasse nihil cõmune habeat cum dono, uel sitne idem prorsus donum, atque munus.

Carmina.

Carmina propriè sunt poetarum opera, quæ veteres nostri Grecis ferè nominibus dixerunt, vnde extitere βουκολικὰ γεωργικὰ, αἰνεῖς, ἰλιὰς, ὀδυσσεία, *sunt inscriptiones, vt;*

Aere cauo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus aduersis figo, & rem carmine signo;
Aeneas hæc de Danais uictoribus arma.

Item epitaphia, vt;

Tumulum facite, & tumulo superaddite carmen;
Daphnis ego in syluis, hinc vsque ad sidera notus,
Formosi custos pecoris, formosior ipse.

Sunt

Sunt & magorum, vt ;

Carmina vel cælo possunt deducere Lunam.

Quid præterea illud est, nisi concentus virtutum quidam, quod M.Tullius dixit, prima elementa naturæ, quibus auctis, uirtutis quasi carmen efficitur. Sunt etiam uerba solennia quæcunque, ut quæ supradicta est lex horrendi carminis ; I lictor, colliga manus, quæ Cicero idem Tarquinij superbissimis regis cruciatus carmina esse scribit. Plurima etiam, quæ quotidie apud nos in ore sunt sacerdotum, uel populi, quum uel publicè in templis, uel priuatim vbique conceptis uerbis Dei numen oramus, uel certa forma iurisiurandi, uel sese olim deuouendi, uel Deos euocandi, uel sibi, ac suo capiti, in iureiurando mala imprecandi. Honestus, & honestas ipsa, atque honor, tum ad pulcritudinem referuntur, vt honestum esse seruum Eunuchum Thais confessa est, & contrà apud Virgilium. Honestũ.

Trunca inhonesto vulnere nares,

tum illa complectuntur omnia, quæ iusta sunt, quæ pia, quæ religiosa, bona, conuenientia, decora, laudabilia. Est etiam honor præmium quodcunque, quod sæpe auctores, & in oratione pro Roscio Amerino probauit Orator ; Nonne satis fuit his gratias agi, denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? In testamentis etiam ijs honorem dicimus habitum esse, qui hæredes facti sunt, aut saltem ex legato aliquid

acce-

acceperunt, Sed quando ita hæc sunt, magis propriè honos est, qui uirtutis, deinde etiam qui laboris causa datur, nec solùm uiro forti, & militi, sed operis etiam, ac mercenarijs honos persolutus dicitur. Nec laboris tantùm, aut uitæ, aut rerum omnium finis est, sed urbium quoque dicti sunt fines, & regni, & imperij, & agrorũ, ut per nostros, uel Galliæ, aut Allobrogum fines transire: item fines etiam τὰ τέλη, ad quos omnia referuntur, ut bonorum fines, & malorum.

Finis.

Horæ sunt, non diei tantùm, sed anni partes illæ quatuor: Hinc natum illud est;

Hora.

O ego læuus,
Qui purgor bilem verni sub temporis horam.

Sunt & legitimi dies, qui oratori dabantur ad accusandum. Hos M. Tullius intellexit in Verrem; Menses mihi tres quùm eripuissetis, ad agendum maximè appositos, reliquum omne tempus huius anni me uobis remissurum putastis; ut quum horis nostris non essemus vsi, tum binis ludis interpositis, quadragesimo post die responderem. Studij quoque nomen à significatione pueris nota ad voluntates etiam discessit, ad amorem, fauorem, cupiditatem. Genus uerò prætermitti hoc loco non debuit, quia sæpe non à communi tantùm, sed à philosophorum consuetudine etiam discedit, & eorum, qui in dialecticis uersantur. Nam genus illi definiunt,

Studium.

Genus.

quod

quod multis de rebus specie differentibus dicitur. Virtus enim ideò locum tenet generis, quia non partes quidem, sed ueluti partes habet sub se prudentiam, fortitudinem, iustitiam, modestiam. Summum uocant genus, quod propter amplitudinem, quæ illi suprema est, species esse non potest, qualem esse substantiam uolunt: medium uerò, quod locum teneat speciei ad superiora collatum, ut animal ad corpus, infimum uerò, quod infra se aliud non habet genus ullum, ut animal, ut homo. Socrates enim, seu Plato, & personæ singulares, quæ huic subsunt, caret prorsus natura generis. Speciem præterea, quæ à natura, ipso cum genere confertur, mediam fecere, & infimam. Hæc non sunt uulgi, sed hominum doctorum. Communis uerò est usus, & poetarum, & Oratorum, ut genera pro formis dicantur. Sic enim Cicero ad Trebatium loqui nos uoluit, ut neque speciebus, neque specierum, sed formis, & formarum dicamus. Immò etiam tertio postremo libro de lingua latina illud monuimus, cæteris nominibus ex illa ipsa forma declinandi, quæ est species, non temerè dandos esse, ne unitatis quidem gignendi, uel dandi, uel etiam auferendi casus, & spectari consuetudinẽ oportere. Fidei, & speciei, fidèque, ac specie omnes palàm dicimus, at luxuriei, ac luxurie ubi dicendum erat, luxuriæ potius, & luxuria, & multa huiusmodi M. Tullius dicere est solitus.

Hæc non sunt uulgi, sed doctorũ hominum.

Sed

Sed redeo aliam ad uim, atque usum generis, alienum prorsus à superiore. Dicuntur enim ab omnibus genera pro formis, multo aliter, atque philosophi nos loqui uolunt. Hinc est; quatuor in genera uirtutem habere distributam, &; Varia esse genera bestiarum, uel cicurum, uel ferarum, quibus in locis apud nos ineptum esset, nec latinum, speciem nominare. Hinc poetæ, & Virgilius rectè, & ex usu dicunt;

Genus intractabile bello.

Paternum quoque dicimus, & maternum genus. Nec dißimile est, quod in Phormione Terentius dixit;

Lex est, ut orbæ, qui sint genere proxumi,
Eis nubant, & illos ducere eadem hæc lex iubet,

Præterea genus humanum, & genus hominum, & generis humani societatem dicimus. Nec est idem, quod parasitus in Terentiana Eunucho dixit;

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum uolunt,
Nec sunt, hos consector.

Est igitur pro modo, seu forma, seu (detur huic uerbo uenia) qualitate rerum, ut; Genus institutorum (Cicero inquit) & rationum mearum, dissimilitudinem nonnullam habet cũ illius administratione prouinciæ. Idem auctor ad fi-

filium, de officijs, Aetatis degendę genus, sibi id constituere, quod maximè adamauerimus. Id genus hominum, id genus laborum, id genus molestiarum, ex ratione, & arte grammaticorũ dicimus, at quod est in usu id genus homines, id genus labores, ac molestiæ, uel id genus multa, id genus plurima, sola ex latini sermonis consuetudine, doctorumque hominum auctoritate recepta sunt. Nec illud quidẽ est omnib. uulgare, quod quum cæteri scriptores, tum Cicero præsertim loqui ita consueuit, ut dicat; Nihil est in hoc genere, quod tibi commodare possim, quod perinde est, ac si dicatur nihil esse tale, aut huiusmodi in reb. Quę sacra sunt, aliquid habẽt in libris auctorum, quod nõ prorsus negligatur. Quærant igitur studiosi antiquæ latinitatis, quis olim sacer homo diceretur: quæ popularia, quæ familiæ cuiusque sacra, municipalia, nouemdialia, priuata, stata, indicta, uotiua. Diem verò sacrum alicui Diuo, templum, aut ædem, omnes docent, & sacram Ioui quercum, Marti lupum, Veneri myrtum, Apollini laurum, Vulcano ignem, & huiusmodi sexcenta, omnes dicunt. Militari sacramento obligare aliquem, aut soluere, quid sit, non est qui nesciat. At sacramento contendere, aut litigare quum dicimus, est sacramentum pecunia, quæ apud Pontificem deponebatur ab ijs, qui litigabant, vt qui iudicio vinceret, suum sacra

mentum, idest pecuniam depositam auferret, qui victus esset, ut M. Varro docuit, deposito mulctaretur in pœnam calumniosæ litigationis. Sanctũ & sacrosan. ctum. *Sancta etiam, & sacrosancta, nequid in his uerbis erretur, ex veterum libris, usuque Romanorum petere debebimus.* Magister. *Nec magister quidem vnas tantum ad res accommodatur. Nam & magister populi, & magister equitum, & magister morum dicitur is, qui Romę censuram obtinebat. Leucaspim poeta nauis magistrum, non suo, sed communi iure, & consuetudinis publicæ nominauit. Sunt magistri pecorum, magistri scripturæ, magistri auctionis, & venditionum aliarum, aut societatum, aut collegiorum.* Peregrinus hostis *Peregrini, & hostis nomina, quoddam tempore, eadem fuerunt, in scena mansit; ut meretrices peregrinæ etiam dicantur: ut, Pamphilum pro vxore habere hanc peregrinam.* Fraus. *Fraus, non quæro ut magis explicatè à quoquam intelligatur illo sensu, quo dicimus aliquem fraudibus esse circumuentum, sed multò est aliud, quod nostri dicunt etiam, auaritia, vel cupiditate impelli homines in fraudem: nec idem intelligunt, sibi, aut alijs cauentes, quum dicunt; quod sine mea uel tua, vel clientum, uel populi Romani, uel cuiusquam fraude fiat. Itemque illud genus, fraudi eßε mihi non debuit mea pietas, uel; fraude sæpe apud malos ciues quibusdam fuit bonis*

uiris,

uiris, quòd pro rep. laborarint. Capitalem fraudem admittere, est scelere se eiusmodi obligare, unde capitis luere pœnam oporteat. Vitam innocēter, & sine crimine semper actam, sæpe, qui latinè loquuntur, sine fraude actam uitam, uel administratam remp. uel gestum esse magistratum, dicunt. De ijs autem, quæ sicca sunt, rectè, & à natura Virgilius dixit, Siccus.

In sicco ludunt fulicæ.

Sed vix aliquid simile de luporum fame esse uoluit, quo in loco dictum ab illo est;

Inde, lupi ceu
Raptores, atra in nebula quos improba uentris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus expectant siccis,

Referunt enim hæc ueteres, uel ad sobrietatē, uel ad potus, & cibi ieiunitatem, atque famem. Quare Plautus etiam;

Præter alios, meum uirum fui rata
Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris maximè,

Et M. Tullius in Lucullo, siccos uinolentis opposuit, & in eodem ita scribit; Vinolentorum, & furiosorum uisa imbecilliora esse dicebas, quàm siccorum, & sanorum. Sitientia vicissim, & ieiuna pro siccis dixere, ut:

Hinc deserta siti regio:

& poeta idem;

Ieiuna quidem cliuosi glarea ruris.

Tessera. *Tessera à numero τεσσάρων est genus aleæ, quod utinam hodie, uel multitudinis, uel nobilium, uel principum ignauiæ minus cognitum foret, & minus familiare: Sed quid habet cum illa significatione, aut numero commune militare, aut bellicum insigne illud;*

It bello tessera signum?

Hæc non ducis tantùm, aut exercitus est, sed militum quoque singulorum, quam illo loco, Virgilius intellexit;

Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis

Aptemus, dolus, an uirtus quis in hoste requirat?

Quocunque signo præterea vtimur ad faciendam absentibus fidem, uel misso anulo, uel manica, uel sudario, uel re quapiam illis nota, uerbo etiam, uel rei alterius significatione alicuius, cæteris omnibus ignoratæ, & inter nos tantùm communicatæ; hæc, inquam, omnia tesseræ dicuntur. Adhuc tesseras uocant frumentarias, quibus tamen in distribuendo, non solùm frumento, verùm etiam pane, uino, pecunia, carnibus, congiario, iumentorum pabulo, rebusque cęteris, quum uel militibus, uel populo, uel pauperibus, has res distribui necesse est, & magistratus, uel schedula scripta, uel nummo plumbeo, uel signo aliquo simili apud magistrum

gistrum distributionis fidem facit, certum pecuniæ, uel frumenti numerum, uel panis, uel carnium pondus, aut vini mensuram alicui dandam esse: Lignum duo rustici duas in partes findunt, in eoque signant, quoties oportet, numeros, quos uolunt, qui numeri vtramque in partem cognoscantur. Vterque suam partem seruat. Eiusmodi lignum tessera uocatur, atque ex ijs numeris in societate, uel ratione alia mutuam sibi rationem reddunt. Illa etiam tessera est, quoties initæ cum peregrino hospitalitatis memoriam, atque ius manare ad posteritatem nostram, & seruari sanctißimè uolumus. Eius rei, uel dimidiatus anulus, uel signum aliquod simile utrinque seruandus datur. Apud Plautum in Pænulo res est apertißima, & à Terentio significata in Phormione, quo in loco dicitur; De tessera rusticorũ.

Euenit scribis ambobus simul.
Iter, illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam:
Ad hospitem antiquum.

Sed nulla adhuc ex his tessera est, quæ sit ἀπὸ τεσσάρων, *idest notionem teneat ex uerbi natura. Quæ autem prima dicta est, & quam Cicero attulit ex Lucilio, senis constat lateribus;*

Quam lepidè lexeis compostæ, ut tesserulæ, omnes

Arte, pauimento, atque emblemate uermiculato.

Superbus. *Superbus quod attinet ad significandum; non semper cum superbia coniugatum est; ut;*

Barbarico postes auro, spolijsque superbi;

Magis à coniugatione abest Plautinum ex Amphitruone exemplum illud;

Faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis

Pellis. *Iam pelles ad castra etiam, ac tentoria pertinent, & uindemia non vini tantùm, sed mel-*

Spissum. *lis, olei, rerumque similium dicitur. Spissa, quæ sint, & quæ prolixa, non est qui ignoret. Sed hoc sæpe ad liberalitatis etiam; illud potius ad tarditatis, difficultatisque genus quoddam referunt, quæ sunt penè omnium in consuetudine exempla. Primum est,*

Pons. *Pontem indignatus Araxes:*

At, operæ Clodianæ pontes occuparant. solùm propter similitudinem dicitur. Itaque sunt pontes etiam, quibus lectulum, quibus nauem ascendimus, item quibus urnæ, aut cistæ suffragiorum imponantur, quibus lignea, aut lapidea inter binas domos uia altè suspenditur, quibus fabri gradum in alto ædificantes susti-

Sal. *nent. Salem natura ad condiendos cibos fecit, sed nomen hoc poeta rebus alijs attribuit, ut;*

Spumas salis ære ruebant.

Homerus enim, & Græci ἅλα & condimenti, & maris nomen esse voluerunt. Neque prorsus hunc sensum retinuit, quo in loco noster dixit etiam,

Et sale tabentes artus in litore ponunt.

Pleni sunt præterea rhetorum libri omnium generis illius, quale est apud M. Tullium. Accedunt non Attici, sed salsiores, quàm illi Atticorum Romani ueteres, atque urbani sales. Quæ rudia sunt non dicerem, si nunc ad metaphoras transeundum esset. Has enim ad proprium reseruare locum uolui, sed hoc loco à translatione uerbi, ad proprietatem potius reuertendum est. Frequens est, atque omnium in ore rudis homo, rude ingenium, & rudis esse videbar in causa, quæ pertinent omnia ad translationes. De his autem nolo in præsentia scribere. Contra autem quæ propria sunt, huius puto esse loci, ut rude lignum, rude marmor, rudes lapides. Hinc est aurum rude, & argentum rude, quod in frustis, uel massa est, nullius adhuc formæ, omnisque artis expers, quale in manibus Cyclopum illud est poetę; Rudis.

Argenti uoluunt sub forcipe massam.

Vtrumne Ouidius rude, & elaboratum coniunxit, vt;

Materiam superabat opus.

Quicquid igitur eiusmodi est inexpolitum, &

informe, ad materiamque pertinet, ut æs quoque, plumbum, stannum, lapides, orichalcum, et omnia, quibus nondum ars, nondum forma, uel manus accessit artificis, rudia propriè appellantur. His rebus accommodatum est erudiendi uerbum, ut erudire marmor, aliamve materiã, magis propriè, quàm erudire discipulum dicamus. Est autem erudire non plenam, sed inchoatam rebus formam dare, aut solam ab ijs

Vile. *ruditatem auferre. Vile etiam pro copioso dici solitum est à poetis, ut;*

Vilibus aut onerat pomis.

& libro eodem sic à poeta scribitur;

Si uerò uiciamque feres, uilemque faselum.

Lex. *Lege fieri aliquid, aut legibus uim esse factam, est quod legitimè, aut iure potius fieri, factumve esse dicimus, lege autem uendere, aut lege agere, est uendere iure, uel iudicio legitimo disceptare; sunt illa etiam ubique exempla;*

Verberibus cęsum te in pistrinum Daue dedam usque ad necem

Ea lege, atque omine, ut si te inde exemerim, ego pro te molam:

Et M. Tullij, Ea lege esse nos natos, ut nemò in perpetuum esse posset expers mali: eiusdem in Oratore, Quo etiam difficilius est oratione uti, quàm uersibus, quòd in illis certa quædam, & definita lex est, quam sequi oportet. Vt autem uilia pro multis dicta ostendimus, ita &

quæ

quæ multa sunt uilium numero putantur. Nec Multus.
mihi quidem displicet sic acceptum esse à doctis illum Terentij locum;

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quamplurimis, & minimè multos lædere,
In ijs poeta hic nomen profitetur suum.

Multitudo enim ipsa pro sordibus, ac fæce hominum sæpissimè accepta est. Pro nimio, & inepto multum nostri dixerunt: vnde sunt Ciceronis uel plurimi, uel ille potissimum locus; Inconcinnus, aut multus in aliquo genere ineptus dicitur. Sunt reges, non solùm qui regna, sed Rex.
qui parasitos habent, ut in Phormione Terentius:

Nemo satis pro merito gratiam regi refert;

& patroni, qui clientes, uel potentiores, qui opibus aliquem tuentur, vt Mœcenas Virgilium, ac doctos homines. Hoc enim illis nomen Horatius dedit, vt;

Coràm rege suo de paupertate loquentes.

Regina apud Comicos confertur cum serua, ut patronus cum liberto. Hæc, si non regno, sed regni partibus, aut regioni præest, regina tamen dicitur, vt reges etiam plurimi, qui Turno, vel Troianis, uel apud Homerum Atridis auxilium ferebant, similiter isto dominandi more, qui nunc est, Tetrarchę, Satrapæ, & qui multis, qui paucis, qui duabus, qui uni Ciui

tati, aut populo imperabant (id quod nostris quoque facere licebit) reges olim nominati essent, ut Sadoletus Elisabet Vmbriæ reginam uocauit: quod nomen opulentis etiam mulieribus Terentius dedit, ut;

Eunuchum porrò dixti velle te;
Quia solæ vtuntur ijs reginæ.

Periculū. Periculum facere, non est idem, quod periculum subire, vt;

Fac periculum in literis,
Fac in palæstra.

Ne illo quidem in genere exemplorum id significatur, quod in veris est periculis, quum dicimus; Rem esse nolo periculo meo: alieno periculo pecuniam credidisti; Tuo ipsius periculo rem omnem conficies. Pala, & funda. Pala, & funda, relicta natura sua, aurificum artificijs fiunt. Publicis operis aliquid esse factum, aut operas ad vineã esse missas, vel pontes à Clodianis operis esse occupatos, nemo est quin sæpissimè legerit, ubi opera, non est, quod operam aut perdere, aut locare, aut alicuius opera remp. esse liberatam. Opera.

Mensa. Mensa nihil haberet, cur exponi debeat, nisi quòd pauci ætate nostra secundis de mensis loquimur, quas tamen & ipsas, & bellaria cognosci opus est, nec argentariorum mensas, & vsus antiquitatis, & auctorum exempla ignorari patiuntur, è quibus vnum esto illud Oratoris; si prætor dedit, vt scriptum est, à quæstore numerauit,

rauit; quæstor ut à mensa publica, aut ex uectigali, aut ex tributo. Tenendum est illud quoque inter multa;

Sed non ante datam cingetis mœnibus vrbem,
Quàm vos dira fames, nostræque iniuria cædis
Ambesas subigat malis absumere mensas.

Ac denique mensa uel cæna dubia cognoscatur, quam in Terentio pueri legerunt. De carcere nolui eiusmodi exempla negligi, uel oratorũ, uel poetarum; Carcer.

Ruuntque effusi carcere cursus.

quod multò aliud est, quàm vnde noxios exire probibemus. Altaris autem quæ sit vis, atque aræ, non facilè omnes cognouerunt. Nam quòd aras superis Dijs, atque inferis, altaria superis tantùm esse cõsecrata, veteres dixerunt, nostra quidem scire tantùm interest ad fabulas, & cognitionem antiquitatis tenendam. Ad ueritatis autem, ac religionis vsum, cogitemus necesse est, quid vtrumque velimus esse, quidque inter duo hæc, non antiquo ex Romanorum, uel Græcorum, sed nostro ex ritu, & consuetudine sacrorum intersit. Distincta enim hæc duo esse apud illos declarat potissimum, quod simul eodem loco ponuntur, vt; Altare, ara.

En quatuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, quoq; altaria Phœbo.

Non

Non quæram hic diuersa, quæ homines docti scribunt, an etiam repugnent, nec illud videro, an scripta illorum omnia cum antiquitate consentiant. Vnum uolo esse meum; vt hæc duo, ad linguam, ad ritus, ad sacra, atque ad vsum accommodem religionis. Apud nos enim quotidiano sunt in usu sacrorum. Nec referam, quid hic nostri disputent, verùm doctiores mediam partem altaris quæ à Pontifice consecrata est, in eaque sub marmore ossa ex diuorũ corporibus inclusa, aram esse uolunt. Hoc apud antiquos etiam discrimen, atque notionem fuisse arbitrantur, quorum in libris inueniunt aliquando scriptum esse; Altaribus aras non imposuimus. Qui enim, inquiunt, nisi nostro ritu, atque more altaribus aræ imponantur? Numerus est earum rerum sæpe, quarum esse debuerat potius mensura. Nam frumenti, hordei, & frugum cæterarum, itemque vini, & similium numerus ubique legitur. De nostro numero aliquis dicitur, qui unus est è nobis. Refertur ad quæ non sunt plura vno, ut Epicurum philosophi numero non putare, ea loquendi figura, qua dicimus, hominis loco poni eum non debere, qui sæpius à ratione discedat. Itaque mille sunt eiusmodi, Catonem Cæsar boni ciuis numero non posuit, uel nullo hic numero apud regem fuit, filij, aut parentis numero aliquem habere. Hæc ita dicũtur quasi loco philosophi, hominis,

Numerus

ciuis

ciuis, filij, parentis, aut aliquo, aut nullo loco ducere. Aliud genus est, quum dicitur;

Numerisque fertur
Lege solutis:

& Virgilianum illud;

Numeros memini si uerba tenerem.

Hinc longa, nec facilis omnino apud rhetores de numero oratorio, cōponendaq; oratione disputatio tractatur. Oēs doctrinæ, aut uirtutis numeros, aliquē tenere, uel nō perfectam, numerisque omnibus absolutam Socratis patientiam dicimus. Ac cætera de numeris philosophi scrutantur. De persona etiam à multis disputatum est: uerùm ego non de significandi obscuritate, aut scrupulosa de uerbi origine quæro, sed ὁμωνυμίαν, qua plures ad res unū, atq; idē nomen accōmodatur. Est ergo hæc ipsis ēt à doctißimis, atq; à M. Tullio Grāmaticis tributa, qui trib. de uerborū personis loquūtur: Est & alia rhetorū, ut rusticus, miles, parasitus, ciuis, peregrinus, frater, propinquus, alienus, & quæ numerari oīa vix possunt, similes in scena sunt, quas eo loco significauit Horatius in epistola ad Pisones; Persona.

Nec quarta loqui persona laboret.

Dicimus induere personam iudicis, sustinere personam regis, gerere in rep. personam boni ciuis, personam aßumere fortuna sua maiorē, uel maiorem, quàm sustinere quis poßit: personam

indu-

inducere Appij Claudij Cæci ab inferis excitatam. Dicitur persona pro dignitate cuiusque, ut; Quæ nostra persona sunt digna cogitemus, quo loco non patitur nostri consuetudo sermonis, digna dignitate nostra dicere, quod patet apud nos latißimè. Illo ex M. Tullij loco fortasse res fiet illustrior; Vos mihi prætori, biennio ante, Quirites, hoc eodem in loco personam hanc imposuistis, ut quibuscūque rebus possem, illius absentis dignitatem uobiscum unà tuerer. Dicta est pro larua, histrionum ornatu, & simulata, monstrosáque in ædificijs, aut uasis hominum facie, aut animalium, Nec ueræ, consuetæue securitatis exempla sunt illa,

Securus.

Clam ferro incautum superat securus amorum
Germanæ:
& Horatij;
Musis amicus tristitiam, & metus
Tradam proteruis in mare Creticum
Portare uentis, quis sub Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ.
Quid Tyridatem terreat unicè
Securus,
Alio quodam loco poeta idem;
Vt si quis solùm hoc, mala ne sint uina laboret.
Quali perfundat pisces securus oliuo?
Nec vsura quidem ea est solùm, quæ accedit

dit ad sortem, uel fænus, vel anatocismus, sed quam doctissimi quoque illiusmodi in exemplis uolunt; Lucis vsuram dare, aut auferre, vsuram longissimi temporis sarcire, vsuram vnius horæ ad uiuendum tribuere; post hanc usuram lucis ad cœli sedes beatas migrare. Hæc sunt apud nos frequentissima. Sors autem ipsa, cuius mentio iam iniecta est, a sortiendo nomen inuenit, nec multũ hoc loco interest, an contra sortiendi uerbum à sorte potius ducatur. Certè utrum sit verius, præter verbi naturam aliquando munus etiam, atque officium, vel conditionem, uel regnum significat, vt; Vsura. Sors.

Nunc etiam manes (hæc intentata manebat

Sors rerum) mouet.

Quando autem poetis licet antecedentia consequentium, & hæc illorum loco ponere, sortem pro iudicijs, atque foro ab ijs dictam legimus, vt;

Nec verò hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes.

Pro responsis Deorum, atque oraculis, vt;

Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata

Dicta meæ genti ponam.

Nec solùm amici opera nobis est necessaria, sed ipsos etiam amicos, affines, & propinquos necessarios vocamus, quos duos habet vsus etiam necessitudo. Affinem præterea dicimus, Necessarius. Affinis.

vel sceleris, uel culpæ, vel suspicionis, uel paricidij, vel coniurationis, vel furti, vel cædis pro eo, qui scelus, uel culpam commisisse arguatur; aut quem patrasse aliquid suspicamur, aut paricidium, furtum, cædemue fecit, aut in coniuratis fuit. Apta, non decentia modò sunt, & ineptis contraria, sed connexa etiam, & inter se contactu mutuo coniuncta; seu à uerbo antiquo apiscendi, seu à Grecis ducto, apud quos est ἅπτεσθαι, vt;

Aptus.

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:

Sic & ipsi oratores loquuntur vt M. Tullius, facilius est apta dissoluere quàm dissipata connectere. Iterum in libro de finibus: Est apud illos ordo rerum conseruatus; & partes sunt, & omnia inter se apta, & connexa. Calces & percußiones pedum, & meta quò peruenitur, ex ijs, qui paulò ante dicti sunt, carceribus, vnde mille sunt, quale Ciceronis exemplum est in Catone maiore; Nec verò velim quasi decurso spatio à calce ad carceres reuocari. Aßiduus non modo in foro, in literis, & assiduus mecum dicitur, sed illo more etiam, qui apud veteres, & in xij. tab. erat, quem morem nobis, & alij, & M. Tullius potißimum conseruauit; vt; Quum lex Aelia sanctia assiduo, vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti. Bona pro commodis, & vtilibus dicuntur,

Calces.

Aßiduus.

Bonum.

cuntur, vt Caßianum illud, cui bono fuerit in iis personis ualeat. Repetit hoc Cicero suis etiam verbis pro Sext. Roscio Amerino; Accusant ii, quibus occidi patrem Sext. Roscii, bono fuit. Aliud apud Virgilium pastor intelligit, vt;

Boni quoniam conuenimus ambo,
Tu calamos inflare leues, ego dicere versus.

Bonus pedibus, bonus cursu, bonus lateribus, bonus forma, bonus lingua, & voce dicitur, ut; Βοὴν ἀγαθὸς μενέλαος.

Quæ magna sunt, bona etiam appellare consueuimus: vt bonam sermonis partem in alium diem distulimus: quare bene etiam longa oratio dicitur, seu disputatio, seu via. Bonorum à Stoicis Romanis reprehensa nominatio est, qua bona loco eius, qui πλοῦτος est, apud nos vocata sunt; sunt bonorum quoque fines, & malorum. Consuetudo, & longioris est vsus, & familiaritatis, quæ non valde alia est, nec multò minus habet, quàm quæ paulò ante demonstrata est necessitudo. Desiderio teneri libertatis, aut literarum, est carere libertate, aut literis, vt libertatem desiderare, aut literas, non ferè aliud est, quàm libertate, aut literis priuatum esse. Difficile reip. aut religionis, aut rerum omnium tempus aliud est, quàm difficilis quæstio, difficilis ad tractandum disputatio. Hinc difficultas est rei nummariæ, difficultas anno-

Consuetudo.

Desideriũ

Difficile.

ne, rei familiaris, ærarij. Hic significationes duæ sunt.

Esse tertiam nostris auctoribus placuit illam;

Difficilis, querulus, laudator temporis acti.

Certus. Rerum vocabulo certarũ sic preterea utimur, ut poeta fecit;

Fugit quum saucius aram
Taurus, & incertam excußit ceruice securim:

Certius ergo, aut minus certè signum aliquod ferire dicimus. Item illo modo;

Luce palàm certum est igni circumdare muros.

Vtrumque ualde est usitatum. Frequentat igitur hoc secundum poeta;

Certum est in sylvis inter spelæa ferarum
Malle pati.

Vulgare est, certum hominem, uel certos tabellarios mittere.

Certis etiam in locis dispositi, & in insidijs collocati homines dicuntur: sic certis horis, certo die, certo anni tempore. Pars. Pars etiam non uerissime à toto est, quoties ita loquimur; Constantię, moderationis, temperantię partes à natura datæ sunt. In comœdijs, & in scena sunt primæ, secundę, & alię partes, quarũ sunt actores πρωταγωνισὴς, δευτεραγωνισὴς, τετραγωνισὴς, à quibus fuere etiam δευτεραγωνίζεσθαι, & alia ab his nata uerba. Nostrorum sunt illa,

Primas

Primas partes, qui aget, is erit Phom io.

Hunc morem à ſcena communem traduximus. Ita enim dicitur ab omnibus, ut à Cicerone ad Atticum; Puero me, hic ſermo inducitur, ut nullæ eſſe poſſent partes meæ. Capi ſolent pro regionibus, aut locis, vt; In has partes cum claſſe, & vinctis prædonibus uentum eſt, quibus in partibus propter uicinum hoſtem eſſe diu non poſſumus. Quod autem ad loquendi rationem attinet, illud vſitatum eſt; Cæſar ſcribit Sueuos pecore, & lacte, magnam partem viuere. Vbique exempla eiuſmodi leguntur; Magnam partem in literis uerſari, aut; Magnã partem ſtudia negligere. Itemque illa; Perſpiciebant enim in Hortenſii ſententiam multis partibus plures ituros, &, Sol multis aut infinitis partibus maior, quàm terra. Radij & ſoli, & ſtellis dantur, & oculis, & geometris, & textoribus, & menſuris, & cuidam generi oliuarum, & ſordes auaritiæ, ſqualori, ac lugentibus. Radius. Sordes.

Et vera æquitati, ut Horatius ad Mæcenatem; Verum.

Metiri ſeque mque ſuo modulo, ac pede verum eſt;

& Virgilius;

Quæcunque eſt fortuna mea eſt, me uerius unum
Pro uobis fœdus luere, & decernere ferro.

Multis nominibus, me tibi deuinctum eſſe Nomen.

 gaudeo,

gaudeo, & accusari aliquem nomine paricidij: damnare nomine statuarum, &; Eo nomine sum Dyrrachij hoc tēpore, ut quàm celerrimè, quid agatur, audiam, & sexcentis huiusmodi in orationibus, multò aliud est nomen, quàm erat per naturam. Quid illud praeterea est, quod poeta scribit;

Auulsumque humeris caput, & sine nomine corpus?

Quid item quod alio loco;

Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina seruat?

Vulgò etiam, nostro nomine saluere aliquem iubemus. Nec illud multum differt, quum dicitur; Cato non tam reip. quàm suo nomine odisse Caesarem: sic; portorij nomine magnam pecuniam exigere; dotis nomine omnia uxoris ad uirum pertinere; prēmij nomine aliquid petere, alterius nomine pecuniam dissoluere. Honestis nominibus petere, est specie, ac simulatione honestatis rem turpem, aut iniquam tegere. Est, & pecuniam in nominibus habere, qua similitudine capita criminum, uel defensionum, uel debitionum, uel solutionum, uel rerum, uel personarum nomina dicuntur. Quid illa etiam nomina exigere, nomina facere, nomina dare? quid classis, aut exercitus nomine pecuniam, uel frumentum imperare? Nationem pro ordine

Petere honestis nominibus, quid sit.

Natio.

etiam

etiam,atque secta hominum dicimus, ut Epicureorum,seu quorumcunque aliorum,quos à cæteris esse separatos uolumus; quare nationem ue stram apud eos dicere solemus, quos in alia eße causa,more,opinione,genere uitæ,sententia, si ue instituto, aut officio, quàm nos sumus, ut cādidatorum natio, atque optimatum sæpius, à cicerone dicitur,unde nos aleatorum quoque, uel piratarum, uel pastorum, uel mercatorum, uel militum,uel sacerdotum,uel quorumuis ordinum dicere poterimus. Secunda etiam, sic in oratione ponimus,vt neque prima antecedant, neque tertia sequantur; vt secundo flumine, secundo mari,vel secundo vento nauigare,quibus illa contraria sunt aduerso flumine, mari, vento. Hinc secundis admurmurationibus senatus factum, dictumvè aliquid esse dicimus,secundis acclamationibus, secundo rumore, secundo populo uoluptatem ab Epicuro laudatam. Secunda concione, aut concionis uoluntate, ac studijs laudatum esse Ciceronis consulatum. Secundæ res olim Pop.Rom.omnes fuerunt,nunc aduersæ Italiæ totius.Octauus, decimus,quinquagesimus,centesimus, & millesimus illum habent vsum, vt agrum dicamus reddere, aut efficere cum octauo, decimo, cum vigesimo,trigesimo,quod est omnino, tamquàm si dicamus alia nominum forma decuplum, uel centuplum reddere. Hic me recordor ex libro-

Secūdus.

Octauus, & cætera huiusmodi numerandi nomina.

rum, quos de lingua latina feci, illud exemplum attulisse Ciceronis ex accusatione in Verrem: in iugere Leontini agri medimum ferè tritici seritur, perpetua, atque æquabili satione, ager efficit cum octauo, benè ut agatur, uerùm, vt omnes Dij addiuuent, cum decimo. Vbi uerò tanta feracitas agrorum sit, cum sexagesimo, octogesimo, & centesimo, non solùm quadragesimo, & quinquagesimo dicere licebit. Hinc multesimam partem fecere nostri quidam, & Lucretius, vt πολλοςημόριον *Græci dixerunt. Sed centesimæ vsuræ genus est, vnde pro singulis centenis duodena quotannis capiunt negotiatores. Erit ergo binis centesimis duplicatum id fænus. Idem sit iudicium de ternis, quaternis, pluribus ue centesimis. Sequitur ex his, quod omnes vident, solitum dici quinquagesimis esse fœnus, quum sena tantùm persolui de centenis, debent; quòd si vndena capiantur è centenis fenus erit deuncibus, si dena dextantibus, si nouena dodrantibus, si octona, bessibus, si septena, septuncibus, si sena, uel semissibus, uel (vt iam dixi) quinquagesimis, si quina quincuncibus, si quaterna trientibus, si terna quadrantibus si bina, sextantibus, si singula, erit unciarium fenus. Has enim in partes duodecim assem habemus distributum. Porrò autem centesimæ dicuntur, quia centum mensibus æquant sortem. Hic anatocismus est*

Quinquagesimę, & cẽtesimæ, cæterasque nomina usurarum.

fæ-

fænus, quod ex fænore capiunt. Sed assis partibus, monetarum quoque partes, vel pretia, maiora minorave declarantur. Esto igitur principium à denario. Hic erat olim Romæ, qui nunc in Apulia, & Neapoli, Carolo Quinto Cæsare percussus, paulo minore uel pretio, vel pondere, quàm erat in Græcia Atticorum drachma. Cæsari eidem placuit, ad vsurpationem vetusti moris, quartam esse denarij partem sestertiolo Romano parem, quinos ualentē semißes. Semis ipse senis constat uncioli s, quarū duæ sextantem faciunt, tres quadrantem, quatuor trientem, quinque, vt dictum est, quincuncem, sex semissem, ac deinceps, septuncem, bessem, dodrantem, destantem. Denique vncijs duodecim as efficitur. Minima ex omnibus in Apulia, ut quondam Romæ vncia est. Sestertijs uerò pecunia omnis ostenditur, quorum ea ratio est, ut quatuor aut octo, aut viginti sestertios quum dicimus, de quartis denariorum partibus intelligatur. Mille sestertij ducētos quinquaginta denarios faciunt, quos mille nummum quoque, & mille sestertium nummum, ea loquendi forma, qua non mille solùm homines sed mille quoque hominum sæpe dicimus. Ex duobus milibus sestertijs denarij quingenti extabunt, & ex quatuor milibus, mille, ex octo, duo milia, ex decē duo milia quingenti, sestertijs tamen utimur potius, quàm denarijs. Monetæ.

narijs. Quamobrem septingentos sestertios in rem aliquam dicimus, uel mille, vel quinque milia, uel decem, uel quinquaginta milia H-S. esse impensa. Sin decies impensa scribimus, decies cētena milia H-S. intelligātur. Ergo vicies, tricies, quadragies, vsque ad centies, quanta summa sit in quoque, aut similibus periti numerorum minimè poterunt ignorare. Vt aptè autem his vtamur, neque à maiorum consuetudine rectissima recedamus, vetera auctorum exempla imitabimur. Illud hic postremum sit, mille ex his sestertijs, quos iam dixi, vnum fieri sestertium, non ad virile, sed neutrum ad genus pertinens, unde quatuor sestertia mille denarios, & rursus denarij singuli sestertios quaternos efficiunt. Non aliena hæc ratio est à ponderibus. Nam libra etiam, vt as, duodecim constat vncijs. Continet vncia drachmas octo, ipsa drachma decem & octo siliquas. Ex his primis elementis olim nos, quasi per ludum experiendo, drachmam fecimus, ex drachmis unciam, & ex his libram, quæ ex maximis siliquarum mucleis fieri cæpta, multo successit maior, quàm ea est, qua medici apud nos utuntur. Fiet igitur uel minor, uel iusti, & antiqui ponderis, pro magnitudine siliquarum. Immò adeò nec apud ueteres quidem ipsos, idem omnino pondus libræ ad plumbum, ad orichalcum, ad res uiliores, quæ ad aurum, uel argentum adhibebatur.

Sestertius H-S.

Pondera.

bebatur. Huius uerò partes, & partium nomina in libris penè omnibus leguntur. Alia fuit apud Romanos libra mensurarum. Hæc ad pondus reuocata, decem æquabat uncias libræ prioris. Illud excipiendum erat; quòd non idem est pondus olei, mellis, uini, & rerum cæterarũ. Ex uasis hæc fiebat, quæ duodenis distincta lineis, duodenas ostendebant uncias olei, aut quarum rerum pondus, aut mensura cognoscenda erat. Cornea libra est Horatij, apud alios etiã usitata, ut; Libra mẽsurarum.

Ac si mutatum parcit diffundere uinum, &
Cuius odorem olei nequeas perferre (licebit,
Ille repotia, natales, aliósue dierum
Festos albatus celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, ueteris non parcus aceti.

Aliud genus est mensurarum, iustis à ponderibus natum, quo palàm omnes utebantur. Hinc cyathum faciebant, qui decem drachmas penderet. Duodeni cyathi sextarium faciunt, seni sextarij, uel duodenæ heminæ, congium, quaterni cõgij vrnam, binæ urnæ amphoram. Deni que, ad prima ut reuertar, as & libra, alterum pro altero capi interdum solet: nec subtiliter hoc loco de pedis mensura dicendum est, qui digitis sexdecim conficitur, digitus quatuor hordei granis. Pes, ut cætera omnia, & minimæ, & maximæ, uel infinitæ magnitudines, ut in cæ- Cyathus, & mensuræ aliæ hinc natę. Pes.

Hęreditatum, cæterarumque rerũ similium partes.

lo signifer circulus, & si qua maiora sunt, in partes, atque uncias duodenas distribuimus. Quare etiam hæreditates, & quæ hasta posita uæneunt, & omnia quę diuidi, uel re ipsa, uel cogitatione possunt, suas habent uncias, sextantes, quadrantes, trientes, quincũces, semisses, septunces, besses, dodrantes, destantes, deunces, asses. Hinc illa sunt igitur in ore omnium, hæredem esse factum aliquem ex triente, uel semiße: hinc emere Argiletani ædificij reliquum dodrantem.

Primum.

Prima dicimus etiam ubi nihil est secundum, ut;

Quę tibi putaris esse prima, in experiundo repudies,

& in Eunucho idem Terentius;

Pręterea hoc etiam, quod ego uel primum puto:

Accipit homo hominem, nemo melius prorsus, neque prolixius.

Principiũ.

Principia quoque, non solùm de primordijs rerum, sed etiam de ordine in castris dicuntur, quę sunt à Milite Glorioso in Eunucho significata;

Tu hosce instrue, hic ego

Ero post principia, inde omnibus signum dabo.

Dicuntur ita hęc à principibus. Singulis enim in legionibus erat ętas prima Triariorum, altera principum, tertia hastatorum, postrema velitum. Tres priores in denas quæque centurias

distri-

distributę erant, singulis autem centurijs primarij centuriones præerant, quæ in Triarijs ita appellabantur, primum pilum, secundum pilū, tertium pilum, ac deinceps ad decimum pilum: in principibus primus princeps, secundus princeps, tertius, quartus, vsque ad decimum principem. Ita etiam in hastatis, primus hastatus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, ac denique decimus hastatus. Duces ea nomina habebant, ut primi pili centurio, primi principis centurio, primi hastati centurio, & ita vsque ad decimum. Velites verò in has triginta centurias pro rata parte distinguebantur. Quare M. Tullius ad Brutum C. Nasenium municipē Sinuessanū bello Cretensi, Metello imperatore, octauum principem duxisse scribit. Sed libro 8 rem T. Liuius exponit, qui cū cæteris, principia etiam pro principib. & hos illorū loco accipere consueuit. Apparet ergo ex his, ut plurima, quæ vulgatissima sunt, & omnium in ore, & quotidiani usus nomina, reconditas habent notiones, & afferunt ad sermonis copiam, quæ solùm docti, ac diligentes in legendo, ac scribendo cognouere. Quid enim usu magis tritum est, quàm ea, quæ multò ante nos fuerunt, antiqua nominare? Nam sic omnes loquimur, vt Virgilius; Antiquus.

Vrbs antiqua ruit multas dominata per annos,

At

At quæ cara ſunt, quæ potiora, quæ honorabilia, iis nomen idem tribuimus, præſertim ſi voce comparandi figuratum ſit. Hinc ſunt illa, nobis antiquiora eſſe debere, quæ honeſta ſunt, quàm utilia; Nihil eſt mihi antiquius amicitia noſtra, &c. Antiquiorem Deiotaro fuiſſe laudem & gloriam, quàm regnum, & poſſeßiones ſuas; Nihil antiquius habui, quàm Bononiæ ut amicos viderem: ſunt etiam illa; Antiquiſſimæ cuique epiſtolę primùm reſpondere: quamquam non diſcedat hoc à natura, ut nec illud, quum dicimus; antiquiorem fuiſſe diem in tuis literis, quàm ipſius ratio temporis patiebatur. Quum latius patere genera formis, aut eſſe iis pleniora, aut ampliora dicendum eſt, antiquiora eſſe formis genera dicimus, & omnium eſſe antiquißimum, quod ſummum genus dialectici uocant. Nec alienum uideatur à ſermonis copia huiuſmodi etiam de rebus admonere.

Qui ignorat rationes uerborum & ſenſa, non poteſt abundare uerbis.

Qui enim uerbis abundet is, qui uel ſenſa, uel rationes ignoret uerborum? Quãobrem in his quoque poni uolo accuratam diligentiam, nec omitti, quæ docti homines in veterum auctorum libris inuenta, magnoque labore, & ingenio obſeruata nobis reliquerunt. Atque hactenus quidem apparuit, primùm quamplurima nobis eſſe huiuſmodi nomina, & copiam naſci infinitam, tum ex analogia, deinde ex aliqua ſimilitudine, quartò loco ex translatione, ideſt, uel με-

ταφορᾶς, uel καταχρήσεως, uel μετωνυμία, uel genere aliquo figuræ; postremo ex ea, quæ est ὁμωνυμία, quam non uideo, cur uoluerint omnes esse prætermissam, qua plurimum, & elegantissimè copia sermonis adiuuatur. Illa enim, quæ ἡ συνωνυμία est uoces tãtum, & fortasse ẽt aliquando inanes colligit, hæc autem sensa gignit noua, & plurima, ipsisque rebus explicandis seruit. Hoc autem loco, de translationibus ordine dicendum erit, quum pauca prius ad finem similitudinis, quæ dicta est, admonuero. Illud enim ualde refert etiam, si ex usu quoque vetustatis, ac doctorum hominum disputationibus plurima cognoscantur, ea uidelicet quæ Nigidius, quæ Scęuola, quæ Massurius, quæ Sulpitius quæ Varro, & illorum æquales literatißimi quondam inuenere. Neque solùm habere cognita oportet, quæ sunt à latinæ linguæ doctissimis exposita, sed illa, maiore etiam studio tenere, quæ iurisconsulti ueteres, & philosophi magnis olim disputationibus ex dialecticorum arte diuidendo, ac definiendo statuerunt, nec si altitudines metiri, aut longitudines, & loqui de ijs placeat, sine mathematicorum nominibus, ac geometrarum facere id possis. Et à philosophis, qui de moribus tractant, uera nominum cognitio eruenda nobis erit. Propriè enim, & uerè si temperantia, si fortitudo, si patientia, si iustitia, si religio, si pietas, itemque si bonitas, fides

ὁμωνυμία quanto sit præstãtior adcopiam augẽdam quàm συνωνυμία.

Ex ueterũ doctissimorum definitionib. copiam, significatio nesque ueras, esse agnoscẽdas

Diuisio virtutis ex scientia de morib. tractata à philosophis.

fides, amicitia tenenda, nec ignoranda horum si gnificatio, & nominum apud eos, qui purè, & latinè loquuti sunt, ita de his disputari solet, principio, duplicem virtutis uim esse uoluerunt, unã quæ scientia spectatur, alteram quæ actione. Ad partem scientiæ referunt prudentiam, calliditatem, & eam, quæ grauißimo nomine sapientia dicitur. Temperantia verò cuius est munus cupiditatibus imperare, & motus regere animorum, tota in agendo posita est. Ac prudentia quidem in suis, priuatisque rebus, domestica, in publicis verò, ciuilis nominatur, quemadmodum temperantia, quę & ipsa similiter his duobus modis dicitur. Præstat autem hæc, ut commoda, quæ absunt, expetere nolimus, & quæ sunt in potestate, abstinendo contemnamus. Hæc si mala uenientia magno animo re pellit, fortitudo, sin, quæ iam adsunt perfert humaniter, patientia nominatur. Sed quæ in agendo posita sunt, in vnum genus cadunt omnia, quæ magnitudo animi dicitur; vnde existit liberalitas in usu pecuniarum, & magnitudo animi in rebus aduersis, iniurijs, ac procellis tẽporum. Eam uerò partem, quæ publicis, communibusq; in rebus, posita est, iustitiam nominamus, qua si utimur erga Deos, religio, si erga parentes, pietas, si uulgò in omnes, bonitas, si creditis in rebus fides. Si in moderatione puniendi, lenitas, si in beneuolentia, & caritate, amici-

tia

tia nominatur. Atque in agendo quidem hæc cernuntur omnia. Sunt prę terea quædam aliæ, quasi administræ, quæ sapientiæ inseruiunt, quarum unius est uera, atque falsa iudicare, quid quamque rem antecedat, quid sequatur, uidere, quæ diuersa, pugnantia, contraria, quæ rerum genera, quæ formę sint, atque partes cognoscere: alterius est oratione hæc, & omnia, de quibus disceptatur, uberius explicare, & motum animis afferre. Illam priorem, dialecticam, hanc ex eodem haustam genere, rhetoricam dixerunt. Has autem uirtutes, una verecundia omnes custodit, quę dedecus, ac turpitudinem odit, maximèque laudem sequitur. Disputant philosophi hæc longius, docentque etiā virtutes à similitudine discernere vitiorum. Nam prudentiam à malitia distinctam habere oportet, temperantiam ab immanitate, ut magnitudinem animi à superbia & liberalitatem ab effusione, fortitudinem, patientiam, iustitiā, religionem, lenitatem, uerecundiam ab audacia, duritia, acerbitate, superstitione, mollitia, timiditate. Rectum verò illud artificium disputandi à concertatione, capitationeque uerborum, & hanc vim oratoriam à profluentia loquendi discernamus. Denique studia literarum, aut numerandi, canendi, metiendi, sidera notandi, linguas discendi, vtinam nihil, aut non plurima haberent à peruersis hominum orta ingenijs,

quæ similitudine recti nos fallant. In his ergo nos rectißimam proprietatem sequemur, ne alienis nominibus aliquid notemus. Ac iam apparuit ut à philosophis, sapientibusque uiris explicata quædam habere debeamus. Nec alienum fortaſſe hoc loco ſit prorſus quod ad Piſones Horatius monuit;

Scribendi rectè, ſapere eſt & principium, & fons.

Rerum definitiones *Rerum quoque definitiones ipſarum tenendæ ſunt eadem ex literarum doctrina, iuriſconſultorum ſcientia, & libris philoſophorum, Platonis, Ariſtotelis, M. Tullij. Nam ſi animi perturbationibus nomina ſua tribuere oporteat, non erit unde melius, quàm de Zenonis, & Stoicorum definitionibus hoc diſcere poßimus, quæ ſunt ipſo à M. Tullio in quæſtionum Tuſculanarum libris poſita. Magnam nobis copiam ſuppeditare ea res, & proprietatem ſermonis poterit. Sed hoc, ſtudioſos monere ſolùm putaui oportere. Nimis enim eſſet longum ſubtiliter, vt hactenus feci, omnibus de rebus dicere, vnde copia naſcatur. Nec rerum qualitates, attributave, aut nomina illorum negligere oportebit.* Rebus attributa. *Nam res ipſas infinitum eſt inuenire, cognoſcere, nominare omnes, quę in terra ſunt, quæ ſubter terram; quæ in aere, quæ in mari; ſed quæ ſunt ad res addita, ideſt qualitatum nomina attulere ſemper doctis etiam hominibus,*

quę

quæ dubitarent: ea præsertim quæ sunt in sensu gustandi, videndi, audiendi, de quibus etiam philosophi disputarunt, vnde etiam nomina cognoscere poterimus. Sed quid magis familiare est, quàm soni, & voces? Neque tamen perdifficile est uocum genera uerbis explicare, sed ei difficillimum esse poterit, qui nullam eius rei debere esse diligentiam putabit. Quare aut per se quisque (si modò rectè id fiat) ante inuenerit, aut potius ex veterum scriptis hæc didicerit necesse est. Itaque, nos primùm obseruabimus uocem (quod non solùm omnes grammatici, sed etiam rhetores quidam docuere) acutam esse, aut grauem, aut inflexam. Ad hæc tria genera scimus artem quoque rectißimè pronunciandi esse accommodatam. A' natura autem sola est dulcis, clara, suauis, canora, lenis, candida, flexibilis. His respondent è regione contraria genera. Dulcis enim voluptate afficit, suauis à studio, & à natura sedata est. Illa contrariam habet, non amaram (quod uoci non conuenit.) Sed & ipsa, & lenis, uel asperam, uel absonam, clara subraucam, canona surdam, candida fuscam, cita tardam, flexibilis duram. A natura sunt etiam magna, parua, mediocris. Quæ uoluntate uel pudore tenetur, ne totam se aperiat, contracta est, quæ libera effertur, diffusa. Contenta, & intenta est, quàm Poeta significat;

Vocis attributa.

Tartaream intendit uocem.

Contraria huic remissa: prolata magno spiritu inflata est, contraria huic, attenuata: continens, & intermissa uox est, ut continentem, & intermissam orationem nominamus. Turpe vitium scissæ vocis, turpissimum fractæ: Vtrumq; vel negligentiæ, vel naturæ est, uel senectutis. In priore illo tamquam duæ voces, in hoc una, plures in sonos confracta molestissimè auditur. In naturam conuersa est rustica, & agrestis. Ex arte, aut voluntate, vel plena est, vel blanda, vel tenuis, vel flebilis, vel minax, vel hilaris, vel terribilis. Postrema, quam Cicero permanentem dixit, idest quæ non statim desinit, sed velut cytharæ, fidium, aut argenti suauiter percussi, tinnitu longiore sonans in auribus immoratur. Similem Græci auctores laudem admirandæ mulieri dederunt; πᾶς ὁ τόνος ἡδὺς, καὶ προσηνὴς, καὶ πράως παραδυόμενος ἐς τὴν ἀκοὴν, ὡς καὶ παυσαμένης ἔναυλον εἶναι τὴν βοὴν, καί τι λειψάμενος ἐνδιατρίβειν, καὶ περιβομβεῖν τὰ ὦτα; *Verùm plura de vocis, & rerum huiusmodi cæterarum attributis, relinquo doctorum hominũ diligentiæ, & copiæ studiosorum. Nunc de translationibus, redeo, vt pauca exponam. Et profectò hic etiam ex paucis, doctos homines*

Trãslationes. *intelligere cupio infinitas. Nec, translatio quid sit, mihi definiendum est, nec genera sunt hoc loco numeranda translationum. Tractant*

enim hæc omnes grammatici, multi rhetores, nonnulli etiam philosophorum. Nos uerò, qui, non ut illi eloquendi pręcepta, sed copiam sermonis tantùm hoc tempore docemus, quid singula verba translata nos adiuu ent, uidebimus. Breuius hæc dici poterunt, quia & per se translata magis aperta sunt, quàm superiora, & vnas tantùm, aut certè non plurimas ad res nomina transferuntur, atque (vt iam dixi) infinitas ex paucis cognoscere debebimus. Primum igitur, ianua & murorum est (quod habet à natura) & principiorum, quod accepit à translatione. Quare M. Tullius cum ueteribus doctis ita loquitur; Ab hoc aditu, ianuaque patefacta perueniemus ad quæ cupimus, & alio quodam loco; Quamquam qua nolui ianua sim ingressus in causam, sperare uideor tantùm absuturā orationem meam, & quæ sequuntur. Sic cæteri poetarum quoque nomen hoc transferre solent. Ieiunam orationem, & ieiunitatem orationis contrariam copiæ, atque ubertati dicimus. Pennas uerò auium, sibi quoque incisas Cicero conqueritur. Quisquiliæ, à natura sua ad vilissimos homines transeunt, & quisquilias ciuitatum dicimus, & quisquilias seditionis Clodianæ, tametsi videantur hæ potius ad similitudines referri, quemadmodum in similitudine occurrerunt nonnulla etiam, quæ magis ad locum translationis pertinebant. Verè autem, quæ serena,

Ianua.

Ieiunitas.

Pennæ.

Quisquiliæ.

Serenum, tranquillum. uel tranquilla dicimus à cælo, & a mari transferuntur ad vultum, ad oculos, ad frontem, ad statum animi, ac mentis, ita prorsus, ut contraria perturbatio, fluctus, procella, tempestas. Affert hic translatio copiam, aut nouam, aut uetere illustriorem. Duplex enim hoc munus præstat, ne laborare nos permittat inopia, vel obscuritate, & egestate uerborum, nec scias utrum natura, an translatio ad sermonem commoditates afferat maiores. Nec distinguere mihi hoc loco necesse est, quæ in dubium uocantur à quibusdam, nec ualde laborandnm est, seu quis translationes esse dicat, seu similitudines, quum poetæ sic loquuntur;

At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas,

aut illo modo;

Est mollis flamma medullas,

aut quum iudicij, uel belli, uel ciuilis discordiæ flammam dicimus. Ex his enim, quæ dubitare quis malit; satis esse puto habere nos, quam dubitare memo audet copiam sermonis, & profecto nobis alia nomina, & plura, & noua pariunt ignis, & flamma. Splendidus, clarus, & Splẽdidus clarus, illustris. illustris de splendore solis, auri, argenti, rerumque similium propriè dicuntur, sed certissima ex his translatione clarißimos etiam ciues, clarissimam rebus gestis gloriam consequutos dicere solemus, & splendidissima, quæ animo ma-

gno, elatoque facta sunt. His contraria sunt obscura, obscuritas, obscuratio, cæteraque his coniugata, quæ sunt propria lumine carentium: at referuntur hæc etiam ad superiora, quoties illis contrarium dare sensum volumus, & obscuram famam, obscuras res gestas, obscuram orationē, obscuro, & sordido loco natos esse quosdam dicimus. Quoniam proprietas nō habuit omnino, quibus hæc nominibus declaret, figura nobis, translatioque dedit, quibus magno cum ornatu etiam abundare possemus. Hoc ipso ex fonte trasferendi sunt, quæ mollia dicimus, & quæ dura, ex illo naturali sensu;

Obscuritas, & similia.

Molle, & durum.

Dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Sed transferuntur etiam dura ad robur corporis, & animi, uel rerum difficultates, quale primùm illud est;

Duri miles Vlyssi:

Deinde;

Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri.

Præterea oratio dura, & uerba dura sunt, quæ propter nouitatem, & insolentiam aliquam, ferri non possunt, quæque longiore usu à doctis hominibus recepta molliuntur, quasi ius quondam adepta auctoritatis. Transit etiam duritas hæc ad uitium ingenij naturæ, uel animi: Vbique enim eiusmodi sunt exempla;

Nimium ipse durus est, preter æquumque, &
bonum.

Ingeniò etiam dura, ac tarda dicimus. Mollem verò hominem pro lasciuo, & effœminato, at mollia signa, uel statuas in quibus plurimum inest artificij, ut;

Excudent alij spirantia mollius æra;

Credo equidem uiuos ducent de marmore vultus:

tametsi mollem animum, uel naturam, pro facili, benigna, ac tractabili etiam dicere soleamus, ut; Quanta sit in Quinto fratre meo comitas, quanta iucunditas, quàm mollis animus, & ad accipiendam, & ad deponendã offensionẽ, nihil

Grauitas. *attinet me ad te, qui ea nosti, scribere. Grauitas*

Leuitas. *in sapiente, & leuitas in stulto non erat, quibus dici nominibus posset, nisi ad opem trans*

Asper. *lationis itum esset. Quæ sunt aspera, quod attinet ad verbi naturam, sensu tangendi solùm indicamus. Hæc tamen ad reliquos etiam sensus transferantur. Aspera enim visu, auditu, & gustatu quædam esse dicimus. Nam odoratus magis propriam habet uocem, nec indiget*

Lenis. *aliena. Asperis lenia opponuntur, quæ minus aliquantò, quàm aspera transferri solent. Acerba à principio nullis alijs de rebus, quàm de po*

Acerbus. *mis immaturis dicebantur, deinde ad animi dolorem, aut corporis, aut ad uulnera translata*

Fructus. *sunt, & fructus non ex arboribus tantùm, sed etiam ex rectè factis leguntur, & illorum fuit maturitas, & maturi fructus, maturaque poma*

dice-

dicebantur, nunc tempus quoque, & vulnus maturum, tempestiuaque omnia matura dicimus. Media autem, vel dubia inter comparationem, translationemque sunt plurima, ut lumen, portus, malus, clauus, gubernaculum, acumen, regnum, neruus, os, corpus, membrum, fauces. Sed non quæram hic omnia, quorum video non facile inueniri finem. Verumtamen, ut non taceam, quod mihi nunc in mentem uenit, ex his substantiarum nominibus, alia ad cōparationes, uel similitudines, alia ad genus hoc transferendi pertinent. Illa enim quæ ita dicuntur, longè ante prouisam esse tempestatem futuram, Clodiam cum viro bellum gerere, aliquem in portu nauigare: improbos homines capita seditionum fuisse: Verri manum extitisse Apronium ad rapinas: mille præterea, quæ sunt in vsu poetarum,

Media inter comparationē, & translationem.

Pedibus timor addidit alas:
Dente tenaci
Ancora fundabat naues:
Classique immittit habenas:

videntur mihi quidem similitudines esse potius, quàm translationes. Neque illud nos mouere debet, quòd in his etiam transferendi verbo, translationumque nomine abutamur, & fortasse veteres quoque, ac docti homines sic loquuntur. Et si enim hæc verba, quę propriè earum sunt, quas μεταφορὰς, dicimus, non vitiosè tamē,

quæ à similitudine, uel comparatione ducuntur, uel quoquo modo à naturali sensu immutata sunt, nomine translationum dici solent, uerbo etiam transferendi reuocato à specie ad naturalem generis amplitudinem. Redeo igitur, ut dicam alia nomina substantiarum ad comparationes pertinere, alia ad ueras translationes, ut splendor uitæ, acumen ingenij, lumen orationis, fortasse etiam fauces leti, mortis, atque fati. Quæ autem nomina sunt qualitatum, ea non dubium est esse omnia potius translationum ut splendidus, integer, acutus, insulsus, rudis, prouidus, rigidus, & huiusmodi, quæ sermonis copiã afferunt infinitam. Sed quoniam ad hunc transferendi locum redire mihi necesse erit, quum ad ea veniam, quæ magis propriè verba dicuntur, finem hic esse uolo his de rebus disserendi, si cognitum prius erit alijs etiam figuris posse copiam adiuuari, συνεκδοχῆ, ὑπαλλαγῆ, ἀντωνομασία, καταχρήσει; μεταλήψει, ἀντιφράσει, μετωνυμία, *de quibus non nihil proximo etiam libro dicetur, quum de uerbis disputandum erit. Omnes tamen, quæ singulis in verbis positæ sunt, ijs ferè exceptis, quas* μεταπλασμοὺς *dixere, copiam adiuuant sermonis.*

Q. MARII CORRADI VRITANI,

De copia Latini ſermonis,

AD CAMILLVM PALAEOTVM,

Liber Quartus.



ARCVS Terentius Varro, is de quo multa à me, & neceſſaria his in libris mẽtio habetur, niſi quæ antè cogitauerat, mandare literis nõ potuit, profectò hũc de verbis locum minimè prætermiſit. Illa enim eſſe præcipua homini doctiſsimo debuerunt, vnde infinita ſimilia duci poſſunt, vt à nominibus primùm, deinde à verbis, quorum tamen non tanta fœcunditas eſt ad plurima de ſe pariendum, quantam ſuperiore libro docui fuiſſe nominum. Faciam igitur ego etiam neceſſe eſt, vt perſequar hunc locum diligenter, & uerba minus trita oſtendam, & eos cõtemnam prorſus, qui ſimilia veteribus noua, diſputant à nobis fieri non oportere. Scio enim

uiter dicendum erit. Hic etiam πολύωνυμα sunt plurima ferè, ut in nominibus, immò adeò vno aliquo ex verbo plura, quàm vno ex nomine. Multum verò ad copiam hæc afferunt, quum uarijs nominib. adiuncta, nouas acquirunt rationes, uel res alias, & loquendi alias formas demonstrant. Nunc ergo de his, antequàm de translationib. dicatur: si, ut in tractatione, quæ nominum fuit, prius ad analogiam pertinentia exponam, & formas in his persequar uerborum, vnde (si oporteat) nouare alia poßimus. Nunc de singulis dicendum est quibusdam, vnde similiter aliquod exemplum sit ad ea, quę uolumus. Erunt in his, quæ non libenter omnes accipient, ij prę sertim, qui unius tantùm auctoris delicatissima sequuntur. Sed ex animis illorũ deniq; euellendus est error, nec permittendũ per stultos homines, latini sermonis copiam, atque opes, à nostris maiorib. auctas, exhauriri. Immò adeò mihi veniam dari necesse est, qui renouem antiqua, inducam noua, cõmemorem inusitata, probem quæ sunt in sacris, laudem à paucißimis recepta, recipiam Græca, solamq; neceßitatem, atq; analogiam hic dominari uelim. Quid enim antiqua respuas illa, quib. postea non successere meliora? Ita.n. illis abstinendũ putabo, si noua sint, quibus vti possim. Nam lapere, & baubari olim nostri dixerunt, quorum loco aptissimè nos lapidescere, & latrare esse voluimus. Hæc

Non sunt respuenda antiqua, si non successere meliora.

si non

si non essent, illa nequaquam obsolescere passi essemus. At quod fuit aurigari, ex vsu amittere non debuimus, quoniam aliud uerborum eius loco nullum accepimus, nec reprehendatur, qui id, ac multa huiusmodi probet, & loco positum usurpare audeat. Quod autem ad noua attinet, quis necessitati parendum non putet? Quando huic obtemperari desitum est à doctis? aut nō elegantia, & commoditas verborum, ac sermonis pluris æstimata, quàm stultitia puerilis? Fuere post M. Tullium, qui à nepote, atq; asoto, nepotandi uerbo sunt usi. Vtrum ipsi id fecerint, an à vetustissimis acceperint, non quæram. Nobis quidem necesse est videri nouum. Grammatici scilicet hoc reprehendent, & auctores doctissimos accusabunt, quia seculo C. Cæsaris usurpatum nesciant? Cur non illos damnant, qui primi verare, clarare, parasitari, perpetuare, æternare, beare, scurrari, atque etiam thermopotare dixerunt? Verum ego sic statuo, nullum debere esse finem verba nouandi, nulla secula, quibus id fieri non liceat à doctis, præter quàm si non postulet necessitas, non suadeat splendor, aut parū aptè parumve eleganter fiat. Accidit mihi sermo cum eiusmodi hominibus, quos nemo putauisset fore, ut insaniant. Ii quum in loquendo castissimi haberi uellent, offendi se aiebant, in C. Cæsare potissimum, quòd is castrēsi more, aquari, lignari, pabulari, frumentariq; dixerit. Existimare,

mare, aut loqui stultius, nemo posset. Qui.n. ferant noua, & à nostri seculi hominib. parta, si et uetera, & Cæsaris, & scriptorum omnium uerba non ferenda esse iactant? Sed ego scio mihi concessum iri à sapientib. quæ oportet, quæq; necesse est, & intelligo non rectißimè facere me, ut istos reprehensos uelim. Quare uenio, ut nõnulla uideam, quæ sunt in religionũ libris frequentia. Ac primùm exaltandi verbũ, si quærant, usitatũ à ueterib. cognoscent; & in sacris, ad extollendã unius maiestatẽ numinis propriũ, & vehementer amplectendum. Huius contrario latinitas, & religio etiam carebit, nec illam, quæ in Christo fuit salutaris humano generi humilitas, humiliandi uerbo dicere audebimus, ne indoctorum hominũ, grammaticorumq; aures offendantur? Iam psallere tota latinitas ante religionem acceperat à sermone Græcorũ, et quod non minus est frequens, tribulare, senioris M. Catonis quondam fuit. Tubarum cantus uerbo, quod est σαλπίζειν, dicere necesse erat, quo loco nostri homines religiosi, ac docti non inducere nouum, sed renouare, quod erat vetus maluerunt, vt buccinare dicerent. Eius autẽ, quod est lapidandi, abominandi, vel cõtristãdi, auctoritas extat crebra antiquitatis. Animaduerti quosdã uitare diligenter, uel stultè potius, quod est multiplicandi, uel supplantandi, uel radicãdi, uel purificãdi, quia tãtùm in sacris usurpata esse

Quæ in religione sũt ea partim necessitas peperit, partim antiquißima latinitas ante probauerat.

cre-

crederet. Sūt apud eos qui primi rē sacrā Græcè tractare cęperunt, ἁγιῶν, κληρονομεῖν, his, tā necessarijs uerbis carendum erat, nec sanctissimis, grauißimisque de rebus loquendum, ne indoctis hominibus parum Tulliani esse uideamur? Sed oīno concedamus religioni plurima necesse est, eiusmodi res tractanti, quas nulli antea homines cogitare potuissent. Habendā hic esse rōnē putemus diuinæ auctoritatis. Ac, ne illud nos moueat, ꝙ barbari æ cōscij nobis esse uideamur ipsi etiam Romani omnes religionum libros, nullo spendore uerborum, & orationis scriptos habebant: atque ex ijs uerbum aliquod mutare, & minima ex parte horrorem illum uetustatis mollire, ipsa religione uetabantur. Quantò iustius, non ferre modò, uerum etiam amplecti nos pauca hæc nostra, idest cælestia oportebit? Sic enim existimare nos uelim, nihil omnino esse in terris, quod imperare latinitati debeat, aut poßit, aut uerbum latinitatis lædere, immutare, cogere, sola excepta religione summa. Nam hę rationes, quæ à me hactenus commemoratę sunt, locupletandi sermonis ita adhibitæ, ut iam ostendi, non seruitutem, sed imperium latinitati afferunt. Sed ad rem vt reuertar, magna uerborum copia est à præpositionibus, ut circumferre, circumspicere, circumuallare, circumplecti. Innumera hinc auctores nostri fecerunt, quibus placuit nullum apud nos debere esse finem,

Religio sacra multū potest in latinitate.

Quæ uerba sunt à præpositionibus.

nem, quoties oporteat, huiusmodi uerba faciendi. Non legerimus enim, aut non recordemur, utrum uerbo rodendi, aut scribendi, præpositio hæc data ante nos fuerit, quæ morositas tanta impediet, quo minus etiam sine vllis auctoribus circum rodere, vel circumscriber e, & mille similia dicere audeamus? Transfero etiam, traiicio, transfugio, eaque ex præpositione, dicta similiter, vt superiora, nullam habent legem, qua impediamur, ne plurima nouare possimus. In eiusmodi uerbis, deposcere, eluere, exponere, tres præpositiones eumdem efficiunt sensum. Quem finem hæc habent? Quanta hic est ueterum libertas? Iam nihil de exauctorando, eruderando, euiscerando, eneruandoque dicendum est, quum sint, quæ minus exercitati magis mirentur, desquamare, effœminare, euirare, adhuc mirabiliora, exoculare, & apud vetustiores, exoculassere, & denasare. Illos igitur ferendos imò etiam laudandos uehementer putabimus, qui depilare dicunt, elapidare, decoriare, deuirginare, ac deplumare, quæ si ab auctoribus optimis recipienda sunt, profectò delũbare, delabrare, & exauriculare, nos ex illorum exemplo recipere oportebit. Ex hoc genere sunt verba decapulandi apud veteres, & emarginandi, quod à nomine potius natum est, quàm à verbo, degulandi, & deartuandi apud auctorem Plautum, decacuminãdi, deglubendi,

Multa libertas veterum.

decor-

reis, irrorant aqua buccis displosa, inde magnis forficibus hunc tõdent, antequam ex eo uestem consuant. Cur non pannum, aut uestes ij defloccare, aut cur non ipsi defloccatores dicantur? Quid præterea de transmittendi, transuehendi, transmigrandi, referendi, illatebrandi, ignominiandi, subridendiq; uerbis dicam? Quãtam hic nouationem sibi auctores omnes permiserunt? Quantam in cæteris? Præpositiones ergo reliquas, nihil est, quod me dicere conueniat, & perinde tamen habeatur, quasi omnes dixerim. Sed uerba etiam omnium generum cognita, & notata habere oportet, unde plurima nascũtur, ut ferendi, & faciendi, à quibus afferre est, & afficere, offerre, & officere, proferre, & proficere, & quæ numerari vix possunt. Quid enim à primo fieri nõn potest? Nam;

Verba sũt quędã vnde plurima nascũtur noua.

Horrifer inuasit Boreas,

Poeta scripsit, & alibi idem;

Letifer annus:

Cuius loco nescio, an uitandũ nomẽ tale sit prorsus, quale sibi permissum Græci esse uoluerunt θανατηφόρον, ut mutuò sibi respondent imbriferum, & ὀμβροφόρον. Auriferam quoque terram, auriferos montes, aut flumina dicimus, quemadmodum Ouidius armiferam Thracem, & Virgilius soporiferum papauer. Pestiferum bellum, ut dicamus, etiam Cicero nobis est auctor. Vitiferos colles, signiferum in militia

ducem

ducem,& signiferum in cœlo orbem nemo est, quin sæpius legerit. Non persequar hic omnia, quorum, vt apud Græcos, nullum volo nobis esse finem. Sunt a faciendi uerbo plurima, ut mellificium, lanificium, ærificium, ueneficiũ, & artifex, opifex, pontifex. Hoc postremum, si nomen ipsum, ac literas tantùm spectes, erit apud Græcos γεφυροποιός, quemadmodum ξυλοποιός, ἀρτοποιός, qua forma nominum dicunt etiam innumerabilia, quæ, nihil impedimento est, quo minus, imitemur. Sunt à canendi cornicen, fidicen, tubicen, liticen, siticen, tibicen, quæ tot omnino esse possunt, quot nomina eiusmodi instrumentorum, quæ latinè dicantur. A cythara enim, tympano, concha, & huiusmodi Græcorum nominibus, huius formæ nomen maiores nostri non fecerunt. Sed omnino, ut hic multa ne dicantur, uerba intuebimur omnia, quæ huiusmodi fœcunditatis multum, aut aliquid habere videantur. Nunc forceps, muniniceps, & municipium videntur mihi à uerbo capiendi, nonnulla mutatione, aliqua etiam obscuratione literarum elegantissimè formata esse à maioribus. Diuersa ex origine fuerunt, quæ similia his videntur, biceps, triceps, quadriceps, princeps, quę tamen fieri multa, non patitur natura. Sola apud inferos. Hempusa, unipes propriè dici potest, sed præterea quæ sunt à numeris, aliquid afferunt ad copiam, ut bipes, tripes,

Voces a canendo.

quadrupes,& rustici vnicaules herbas quasdã uocant,& hinc tricaules,& quadricaules,unde etiam duplicandi,triplicandi, & quadruplicandi verba extitere. Hunc locum ingressi,& rectissimè omnia rimati,multa uerborum milia afferre ad latini sermonis copiam poterimus. Illud etiam uidebimus,quæ uerba à nominibus, quæ nomina à uerbis,& ipsa nomina,ac uerba de suo ipsorum genere nascuntur, & omnino huius rei fontes omnes perquirere oportebit. Quæ a nominib: nascuntur.

Nunc sunt à nominibus plurima,vt à ruma,à scelere,à dentibus,à rostro,à tabulis, à camino,à vanno,à parentibus,à præmio,à rubrica, à rugis,à saliua,à spuma,à stabulo,illa uerba extitere,quæ tantùm ignari latinitatis audent reprehendere,rumare,scelerare,dentire,rostrare, tabulare,caminare,euannare, parentare, præmiari,rubricare,erugare,saliuare,spumare,stabulare. Neque hæc dico, vt colligere velim omnia,sed è paucis,minusque ab usu remotis, ut infinita ipsi facere discamus. Quis,enim,uel neceßitate,uel tanto exemplo antiquitatis non expergiscatur ad paupertatem sermonis, si quæ accidat aliquando,exuendam? Non extimuere nostri poetæ verbum facere lunandi ad rem, quæ instar lunæ formetur, non cornicandi ad cornicis vocem,non repumicandi,non caueandi,non mille,quibus carendum fuisset omnino, si maiores nostri post seculum Varronis auden

Auctores grauissimi auxerunt sermonē latinum & circa hoc exempla reliquerunt.

dum nihil putauissent. Illi tamen sermonem patrium, & auxerunt ipsi, quoad neceße fuit, & augendi amplißima, & maximè necessaria exempla nobis reliquerunt. Itaque adminiculari, arbustare, statuminareque dixerunt: præterea etiam pro eo, quod est obsidere, minimè necessario uerbo admæniare, de mulierum seruitute ancillari, de impulsu arietis arietare, de architectorum artificio, architectari. Rustici etiam arbores quasdam caprificantur, & bestiæ ad coitum impulsæ catuliunt, illæ ipsæ, quum mansuefiunt, cicurantur, & nos à labore aliquo ceßantes feriamur, & qui vim faciunt, latrocinantur. Eodem ex genere principij, idest à nomine, sunt nundinari, opacare, insolare, inumbrare, siliquare, oppicare, oppignerare, fermentare, incoxare, alternare, formicare, æstiuare, hibernare, hiemare, cur non etiam autumnare, & vernare? Hęc, per me quidem, contemnat quis, vt uolet. Non enim obstinatis hæc scribimus, sed ijs, qui insolentiam sermonis ita fugiunt, ut uerbo, necessario tamen, carere aliquo minimè patiantur, nec insolentiam esse credunt, pulcherrima, & latinißima ratione à maioribus tradita, parere necessitati. Atque hactenus, quæ dicta sunt, à nominib. proficiscuntur omnia, substantiarum: nunc videamus orta

A nominibus qualitatum.

à qualitatibus, ut piare, asperare, infatuare, opulentare. Felicitare autem, & infelicitare Plautina

tina uerba sunt, quæ poeta elegantissimus in scena, apud Pop. Rom. minimè dixisset, nisi Romana esse cognouisset. Prosperare autem, cæteri etiam auctores boni dixerunt. Perplexarier, dixit idem, quod in Eunucho Terentius Thaidē sic loquentem facit,

Pergin scelesta mecum perplexè loqui?

Nec rarare quidem dicere timuerunt, nec recentare, nec recrastinare, itemq́ue resupinare, rubiginare, rufare, serenare, tertiare, tranquillare, uegetare, inimicare, uberare. Verum sunt uel à substantiarum, uel à qualitatum nominibus, quæ magis miranda, minusq́ue ferenda esse videbuntur. Nam fratrare, uel fraterculare, uetusta sunt, quibus tamen carere, & uti nostro arbitratu possumus. Horum loco sororire, uel sororiari etiam fuerunt, & adolescentiari eos dicere possumus, qui adolescentum moribus utuntur, & equos, & bestias immanes ferocire, & in patrias reduces, repatriare, & suadens aliquid incordiare. Flexanimare usus est Pacuuius apud Varronem, ut ueteres cicurare, & opimare. Et tu, inquiunt, hæc probas, & Romanos homines, & iuuentutem Italię, Europę, & orbis terrarum ita loqui doces? Ego uerò, splendorem latinitatis, & quæ sunt usu tritiora, & quæ necessitas cogit, sequi omnes cupio, nec eos laudo, qui uel paululum à quotidiana consuetudine discedunt: uerùm de copia sermonis latini, dua-

Rarare, recentare, & huiusmodi.

Quid in hac re desideret auctor.

bus tantum, sed grauißimis ex causis, hac hominum ætate scribendum fuisse arbitror, vna ut uerbis ne careremus necessarijs, viasque omnes ostenderem, quibus noua, quum opus est, inueniri possemus, altera, vt parum docti, aut falsis opinionibus imbuti homines, verborum copia, quā etiam sine hac mea industria, & labore tenent maximam, sibi ne carere viderentur, nec sermonis paupertatem nobis iniqui homines exprobrarent. Quid enim ais? Verbum affero, quod ipse quidem non probes? At vide, oro te, quàm breue est, quod referre possum. Nam, aut habeas tu magis latinum, aut malis, necesse est, uerbi inopia laborare. Vtrum concedas cunque, non est quod putem amplius esse disceptandum. Nihil enim est, quod malim, quàm nos optima uerborum copia abundare. Sin præsentißimum respuas remedium paupertatis, vt sponte egere malis, næ tibi medicina opus est, qua mentem recipias, non argumenta, quibus assentiare. Quid enim copia hac potest esse illustrius? Quid magis probatum, præstitum, & repræsentatum à maioribus? Quis illorum non plurima nouauit? Nam quod repatriare duriusculum, nec ualde necessariò dici à quibusdam uideatur, non solum de verbo disceptatio est, sed de omnibus, atque ut necessarium hoc non sit, exemplo tamen esse potest ad magis necessaria, & profectò laudandum est, quòd in eo appareat imago quæ-

Laus copiæ latini sermonis.

dam

dam Græcæ libertatis; quemadmodum in eo quod ex Plauto fuit, incordiare. Quàm facilè est enim videre, quo modo Græcè hæc dici possint, ijs etiam, qui Græcè non multum sciant? Illam igitur felicitatem Græci sermonis imitemur, aut certè nostros doctos homines hanc imitatos esse patiamur, immò etiam ijs gratiam esse habendam putemus, qui suo periculo nos bene ad copiam instructos esse voluerunt. Equidem non ueteribus modò, qui auctores primi, uel amplificatores postea nostri sermonis fuerunt, sed nostræ etiam ætatis hominibus sentiò me plurimum debere, quoties necessarium aliquod verbum nouant, in quo mihi, vel audaciæ reprehensio, vel periculum nouationis, aut erroris metuendum esset. Sed pergam hoc loco, cæteris etiam de verbis dicere. Græcis licere uolumus, quod est apud illos πωμάζειν, à nostris autem non accipimus quod operculare dixerunt? Eleganter ἐγχυματίζειν esse dictum putamus, at insuccare non ita vero, atque ita magno ex oraculo editum credimus. Rectè ab illis ἐνοχλεῖν, rectè cætera, sed inquietare, minus rectè à nostris esse usurpatum volumus. Insipare, Catoniano verbo, siquis dicere audeat, ei mulcta ex libris obseruationum Ciceronis irrogabitur. Muginari, sarrire, & arculare vix, at saliuare, ne uix quidem, accipimus. Poetæ Lucretio palmam tribuimus

Græcos imitari ad morem nostræ linguæ oportebit.

Laus Lu

cretii Poetæ. mus latinè scribendi, sed quædam plura, & uerbum trauiandi non satis Latinum fecit. Quæ igitur latina sunt, si etiam à Latinissimis inuenta, esse barbara putamus? Sed quia nimium hæc delicati nauseant; redeamus ad plausibiliora. Cachinnari, Tullianum est: bene habet, nihil reprehenditur. Philosophari omnes auctores dicunt, nec rusticandi verbum, nec lenocinandi, aut lustrandi, scortandi, meretricandi, patrocinandi, respuunt. At ῥητορίζειν uel ποιητίζειν, & siqua forent huiusmodi plura, ut semper egendum sit, putamus latina fieri non oportere. Græci quidem auctores, vt nos ab eo, quod est lunatum, lunandi fecimus uerbum, à tabulato etiam, testudinato, pectinato, camerato, tunicato, turbinato, uermiculato, oliuato, pauimentato, mille verba ducerent, quale tabulandi foret, ac testudinandi, quibus nos, quia malè rem accipimus, labefactari latinitatem arbitramur. Quòd nisi error, aut nimia religio nos impediret, uerba essent ab ijs, quæ alata, loricata, carinata, stellata, amentata, cothurnata, manicata, galeata, imbricata, tabulata, cãcellata, rostrata, vt niuatam aquam dicimus. Nam si tornare, ac decussare sunt, à quibus tornatum, decussatumque fecimus, cur non alia etiam esse debeant, vnde mucronatum aliquid, uel stellatũ, uel amentatũ, vel cothurnatũ, uel ma-

nicatū uel imbricatū,uel cancellatū,vel rostratū rite fieri possent. Commoditates huiusmodi non solent Græci prætermittere,quibus nostra, non lingua,sed morositas caret.Decimare nemo dicere extimescit,ergo ne vigesimare quidem, trigesimare, & quadragesimare extimescendū erit. Et certè accidit,ut quadragesimare etiam, & cætera vsque ad centesimandi uerbum, ut centuriare quoque dicatur. Atque hactenus quidem non discessum est à proportione ea,qua rectè uerba à uerbis declinantur; sed nunc ad ipsam analogiam propius accedam. Illas enim formas uerborum breuiter percurram, quæ in grammaticorum commentarijs omnibus plurimùm versantur. Ac primam esse uolui, in qua paucissima sunt illa ὑποκοριστικά sorbillare, titillare,cauillare: & ne frustra de his mentio facta uideatur,ausi quidam sunt hic facere etiam à cantando cantillare, & à pluendo pluillare. Altera forma uerborum est,vnde sunt uiso,facesso,capesso,lacesso. His plurimum antiquitas delectata est,quæ liberum sibi esse uoluit, uerba primæ,& secundæ coniugationis, penè omnia,in hanc formam mutare,quorū nunc in Terentio, Plauto, & in 12. tabulis creber est vsus,ut ubi à natura est leuo, ueto,prohibeo, immutatum sit,leuasso,vetasso,prohibesso. Eadem libertate quilibet nostrum uti potest, quibus in locis antiqua uerborum,ac sermonis con

Ad analogiam fit reditus uerborum, quale est sorbillare. Quę similia sunt uisendi,& facessēdi uerbis.

suetudo imitanda est, ut quum ius Pontificium nos tractare instituimus, si id absoluere secunda principum uoluntate licuisset. Frequētandi uerba nominant, quæ ita formantur, ut lectitare, scriptitare, dictitare, uentitare, pauitare, dormitare, minitari, uel quæ sic immutata sunt, ut verso, curso, merso, uexo, nexo, flexo, à uertēdo, currendo, mergendo, uehendo, nectendo. Nec mirum est esse etiam nominitare, & poscitare, ab impedita analogia, atque origine uerborum: non enim ita nascuntur hæc, ut uenditare, & dormitare, & quod ueteres non à latendo solū, sed à ferendo etiam, latitare dixerunt. Nihil ne ex his est ad copiam sermonis? Verùm nos illa etiam uideamus, quæ sunt esurio, lecturio, cænaturio. His uim subiectam norunt omnes. Quare ego parturio, nupturio, victurio, & fædius uerbum micturiendi uerbo coniunctum, quid sit, superuacaneum putaui dicere. Tantùm noua, ex his fieri posse moneo infinita. Hoc facere soliti sunt omnes, qui ante nos fuerunt. Proscripturire enim arbitror istos refractarios, inopiæ defensores, antiquum esse uerbum responsuros, at Syllaturire, nemo ante Syllam, nemo ante Ciceronem fuisse dicere audebit. Ita enim Cicero, & Pomponius Atticus in epistolis inter se loquebantur, ut nouato uerbo Syllaturire animum Pompeij, & proscripturire dicerent. Hic doctissimos homines, & latinæ linguæ parentes,

Frequentandi uerba, ut uentitare, pauitare.

Cupiendi forma uerborum, vt esurio, coenaturio.

rentes, mecum damnes necesse est, nisi inter illos me placeat absoluere. Nupturire igitur, atque adolescenturire, tametsi non grauissimos auctores habeant, auctoritatem habēt naturæ, & (si res accidat eiusmodi) etiam necessitatis. Obscæna quidem sunt, & mihi ueniam in his dari uolo necessariam, à fellando, & irrumando, fellaturio, & irrumaturio, sed obscænitatem si reprehendas, laudo, sin libertatem nouandi, Dij tibi, atque homines repugnabunt, quamquam nouare placeat illud, quod est reliquum, inter alia turpissimum. Vt illa, quæ nihil turpitudinis habent, scalpturio, & nixurio, & siqua noua fingere alia necesse sit. Albicare, & nigricare, insignem vim habent quamdam. Pauca hæc sunt, sed crescere tamen poterūt, quantum necessitas coget, uel commoditas loquendi suadebit. A Græcis accepta forma illa est uerborum, Sicilissare, Atticissare, purpurissare, patrissare, matrissare, cymbalissare, rhetorissare & ēt Græcissare. Ducunt hæc illi ēt à nominib. hominum proprijs φιλιππίζειν, πλατωνίζειν, σιλωνίζειν. Nihil hic dicendum est aliud, nisi modum, ut in cæteris, prudentißimè seruandum esse, ut ne ue, audaces nimium simus, ne ue quum opus est, sermonis copiam negligamus. Redeo ad quæ sine dubio, vel sunt iam, uel fieri poßunt infinita, flauescere, lucescere, aduesperascere, quorum de ratione uerborum noua quædam in quarto libro de

Albicare, & nigricare.

Atticissare, Sicilissare.

lingua latina sunt à nobis disputata. Ex his paucissima, & rarò eamdem uim habent, quam illa, unde orta sunt, ut splendescere, extimescere, stupescere, & quod Poeta dixit;

Horresco referens.

Plurima, ut calescere frigescere, calidum, frigidumvè fieri significant, in quibus præterea sunt exalbescere, canescere, liquescere. Alia in res nouas mutationem dicunt, ut lapidescere, arborescere, herbescere. In his triplicem hanc uim cognoscere nos, & recordari uolo. Dicam tamen de his permixtè ex tribus generibus, quodq; primum occurrit, modò à studiosis, unde singula hæc sint, ne ignoretur. Primùm uerò dicendũ illud est, manifestius inter duo secunda genera discrimen cognosci, si rectè obseruatum sit, genus illud, quod uolui esse tertium, cõmodißimè uerbis dici Græcorum poße uel antiquis, uel nouatis. Arborescere enim, δενδροῦσθαι, lapidescere λιθοῦσθαι, plumbescere μολιβδοῦσθαι eleganter, uel in usu habent, uel nouare possunt, at calescere, frigescere, tepescere, uerbis, quæ omnino alia, discretaque sint à primigenijs calere, frigere, tepere, nõ poßũt. Est. n. θερμαίνεσθαι calere, non calescere, ψυχροῦσθαι frigere, non frigescere, ἐρεθριᾶν rubere, non rubescere. Si apud illos proprium quæras uerbum ad hanc uim, quæ in frigescendo est exprimendam, inuenire profectò non possis. Neque hoc eò dicere uolui, ut huius loci copiã Græ

Triũ sunt hæc generum.

cis

cis uelim adimere, sed inter hęc uerba, quę iã dixi, discrimen vt dilucidius cognoscatur. Acescere, uilescere, caluescere, mucescere, ferueścere, adolescere, diescere, noctescere, cur hæc non dicantur omnia? Hic uideor mihi posse dicere, neminem à primordio latinæ linguę aliquid scripsisse, qui hoc in genere uerborum nouus auctor non fuerit. Adolescere, iuuenescere senescere, publicæ sunt consuetudinis, & apud M. Tullium Cato; Repuerascam, dixit, & in cunis uagiam, quid si Porcia loquens, uel Terentia inducta esset? Num repuerascere potius, quam repuellascere dicendum fuisset? An metu nouitatis in solæcismum potius cadendum fuisset? Nec hebescere mentem dicemus, nec rumorem, aut uentos crebrescere, nec loca glabrescere, nec fermentescere, ignescere flammescere, inamarescere, dulcescere, aut alia attingenda non sunt, etiam si magis noua, ne quod uerbum à maioribus pręter-missum inducere uideamur? Ego autem semper nouis, ac neceßarijs opibus augendum puto hoc sermonis latini patrimonium, nobis relictum. Nobis illi nõ solùm magnas diuitias pararunt, sed vias etiam plurimas tradidere, quibus beneficium suum nobis ampliare possimus. Integrascere Terentianum uerbum, fieri non põt, quin probetur, at illius exemplo probare necesse est, quod grandescere boni auctores qu dixerunt, & veterascere, & syluescere, & illutescere, &

Latinus sermo sẽper debet ampliari.

remor-

vemorbescere. Quid? non durescendi, aut la-ctescendi verbo fit, ut sanguinescendi quoque, & saliuescendi, & carbonescendi ferre debeamus? Inuenio etiam, qui dixerint stirpes radicescere, & animum brutescere, resque aliàs sordescere. Imò uerò etiam ferre necesse est, quod partes corporis quasdam cornescere nonnulli scribunt, & semina masculescere. Quid reliquum est igitur, quod non audendum putemus? Plantæ etiam pullulascunt, & aues plumescunt, & feræ quædam rabiescunt: & madefacta remollescunt, & herbæ suo quæque tempore reuiuiscunt, & cæli pars rorescit, lac serescit, & quæ arefacta sunt, iterum humescunt, & humefacta siccescunt. Illud præter hæc sciunt omnes;

Rarescent claustra Pelori.

Quàm multa cum paucis iuncta sunt, illis videlicet solidescendo, tremescendo, stupescendo, torrescendo? Quis esset finis, colligere si uelim stirpescere, uuescere, spissescere, sordescere, & similia his, quorũ esse finem auctores noluerunt? Quare nihil hic iterandum ex ijs est, quæ libro quinto de lingua latina scripsimus. Tantùm illud cognoscatur, liuidesco etiam, claresco, relanguesco, obmutesco, tenebresco, putresco, lentesco, pubesco, incuruesco, fuluesco, & gemmasco dici solere, nec eße interdictum nobis, aut cuiquam, donec erunt latinæ literæ (modò & necesse sit,

&

& modestè fiat) uenia huiusmodi plurima nouandi. Habeantur ergo perinde, ac vulgatissima, & quotidiana, non solùm turgesco, uanesco, cõualesco, humesco, sterilesco, sed etiam quæ uidentur esse minus usu trita, spißescere, tonescere, tenerascere. Nam quæ ad colores pertinent, haberi solent rata ab omnibus, vt albescere, nigrescere, uirescere, flauescere, & quæ ad noctis uel diei finẽ, diescere, noctescere, dilucescere, & quæ ad res alias uetustescere, ueterascere, uastescere, pigrescere, uappescere, duoque inter se contraria nitescere, & sordescere: immò etiam feras, atque adeò laudes necesse est, matrescere, dispalescere, nec repudies, quod est longescere. Esto enim, Cicero apud Ennium, Catonem, & antiquos non legerit obsurdescendi uerbum, statimne carere eo debuisset, ne in grammaticorum reprehensiones incurreret? Nunquam ego uiderim syluescendi, sterilescendi, fruticescendi uerba, quæ tanta religio mihi obstare poterit, ne hæc & mille faciam similia? Illud uidelicet unum impediet, si non loco, non necessariò, uel non ritè, à parum doctis fiat. Verum ad ea iam, quę proposui de loquutionum formis, ac de translationib. reuertamur. Docui .n. sępe ex ijs quoq; magnã sermonis copiam parari. Esto igitur principiũ nunc à faciendi uerbo. Refertur hoc ad ęstimationes rerum, uel personarum; unde illud est puerilis notitiæ, tanti, aut

Pertinentia ad colorem.

De reconditis uerborum notionibus, & loquutionũ formis.

Facio.

aut plurimi facere. Est etiam loco eius, quod est putare, uelle, aut ponere, vt; Me vnum ex ijs feci, qui ad aquas uenissent. Quamobrem dicere etiam licebit; Tu, quæ tua modestia est, unum te ex ijs videris facere, qui nihil sciat literarum; uel, contra arrogantem, qui se unum ex ijs faciat, qui res maximas gesserunt. Genus est aliud, quum res una conceditur, ut altera tollatur, quoties ita loquimur; Fac armatus fuerim, continuo ne sicarius numerari debeo? Huic simile illud est;

Finge datos currus, quid ages? poterisne rotatis

Obuius ire polis, ne te citus auferat axis?

Diuersum est, feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano. Plurima sunt alia, facere æqui, & boni, facere sacrum, facere rem diuinā, facere ludos, facere sponsionem, facere æs alienum, facere medicinam, argētariam, auctionē, bellum, auctoritatem, pacem, librū, orationem, uersum, carmen, epistolam, suspicionem, tædiū, syngraphas, uadimonium, vela, testamētum, vindemiam, voluptatem, uota, timorem, uestigium. Quid igitur? Non mille sunt, quæ sic dicimus, facere bustum, facere cadauer, cædem, impetum, secessionem, coniecturam, copiā, damnum, iniuriam, potestatē, impressionē, uerbum, & uerba? Quæro.n. utrū latinè dicatur facere cōcursum facere conspirationē, facere amicitiā, facere discessionem,

ſionem,facere dicendi finem, uel orationis principium:ſed profectò magis laborandum eſſet, ſi demõſtrare uelim,quæ nomina huic uerbo non adiungantur. Equidem recordari cupio ex ijs aliquod,nec facile inuenio,quod noſtri auctores dicere non ſint auſi,ita prorſus, ut uno ex uerbo mille fieri uerba,aut infinitas ad loquendum commoditates unum uerbum afferre uideatur. Mirum eſt,quòd Ciceroni in M. Antonium diſputanti quodam in edicto,illud ſe obtulit,quod eſt contumeliam facere. Ita enim ſcribit; Quid eſt porrò contumeliam facere? Quis ſic loquitur? Ex ijs tamen auctoribus,qui poſt Ciceronem ſequuti ſunt,facere contumeliam nonnulli dixerunt. Itaque nobis cœpit eſſe difficilius inuenire, quæ huic uerbo ſubiecta eſſe non debeant. Nam Deus hunc mundum fecit, & quæ ſunt in mundo omnia,& natura ipſa,& nos facimus,quæ ſubſtantiarum,& quæ accidentium nominibus declarantur,ut facere domum, gladios,arma; & ea facimus, quę ſunt remota à ſenſibus, & ratione tantùm, intelligentiaque iudicantur,ut,facere iudicium,facere fidem, facere iuſta mortuis,facere lucrum. Quis colligere poſſit, quæ ſimilia ſunt his,facere ſocietatem,facere ſermonem, facere quæſtum, facere promiſſum,ſpem,ſtragem, populationes,periculum,timorem,ſtuprum,cędem,ſumptum, mentionem,ſecuritatem,ſtipendia,ſeditionem? Quis

Nota quæ Deus, fecit, & quæ homines faciunt.

omnia se assequuturũ promittat? Quid est quod non factum, vel à Deo, uel à natura, uel à nobis dicatur? Ille enim sidera, & cælum (vt iam dixi) fecit, & quicquid est intra cęlum, uel si quid fingi extra cælum potest, & quæ infra lunam sunt omnia: homines autem facere dicuntur, quæ manu, artificijs, ingenio, ratione, mente, cogitationevè constant, vt plagam, vulnus, permutationem, pecuniam, quęstum, significationem, modos. Quis illud dicere, quæ sub sensus cadunt, posset: facere sementem, facere ruinam, facere radices, templum, fornicem, testudinem, sudorem, urinam, oletum stercus? sunt illa quoque ad figuras loquendi pertinentia; fieri non potuit, quin domus conflagraret; facere non possum, quin te sæpius adhorter. Inuitus feci, ut prodeßem hostibus. Libentißimè faciam, vt crebras dem ad te literas. Nihil tam propè factum est, quàm ut homo innocentissimus occideretur: uel; Nihil propius factum est, quàm vt in manus hostium ueniretur. Nondũ palàm factum erat concidisse remp. paria summis imperatoribus facere. Sunt nota pueris etiam facere piè, iniustè, auarè, crudeliter, periculosè, & planum facere, quod latebat, reum facere maiestatis. Fiet sæpe, ut scribendo par mihi esse non poßis. Denique argentum, & aurum, uel rude est, vel factum, vel signatum: sed rude tamen, & factum, cæteris etiam de metallis, lapidibus, murrha,

murra, crystallo, vitro, magnete, succino, aut ebore dici consueuit. Nec desunt illius modi exempla; Est igitur, Iudices, hæc non scripta, sed nata lex, ad quam non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Refertur enim ad ea, quæ in nobis insunt à natura, vt sæpius idem sit omnino, ac substantiæ verbum, vt illa est in Ciceronis ironia; scilicet contempsi te, nec potest fieri me quicquam superbius. Nec minus multa de agendi verbo possem dicere, nisi quòd eas res hoc uerbum notat, quæ sub sensus non cadũt, ut; Egi quàm diligentissimè potui: & illud uetustæ consuetudinis; Inter bonos bene agier. Copiam hæc adiuuant sermonis, quia subijci nominibus possunt quàm plurimis, contra quàm cætera. Nam qui scribit, aliud scribere, quam literas, non potest, nec aliud occidere, quàm animal, nec aliud arare, quàm terram. Hęc uerò latissimè patent, & quod ad faciendum attinet, uel agendum, diuerso quidem modo, sed nihil est omnino ex rebus omnibus, quod fieri, aut agi non dicatur. Itaque est agere, in re aliqua uersari, operam dare, laborare, moliri, conari, contendere, curare, transigere, vel minimè otiosum esse, vt; Natus, ad agendum semper aliquid dignum uiro. Est & intentum esse ad quæ agantur, vel dicantur, ut hoccine agis, an non? & præco in sacris dicebat, hoc age; contrarium est aliàs res agere. Frequentia sunt agere furti, Agere.

cædis, & iniuriarum: agere ad populum, cum populo, & cum rep. Sed agere ad populum, est concionem habere, agere cum populo, quum rogationem populus remve aliam, ut iuberet, uel antiquaret rogabatur: nec agere causas eadem res est, quæ agere lege, illud enim ad oratores, hoc ad prætorem pertinet, quum fasto die licebat ei tria uerba fari, Do, Dico, Addico. Agere inter homines, ætatem agere Athenis, Romæ, & in literis, agere forum, agere æuum in cælo cum Dijs immortalibus, & in scenis agere personam adolescentis, matronæ, Pamphili, Getæ, Chremetis, agere animam, uel quinquagesimum annum ætatis, malè nobiscum agitur, benè, aut præclarè cum ijs actum est, qui fortiter pro rep. mortem oppetiuere: agere bonum ciuem. Agere gratias oratorum est, agere grates uetusti sermonis, & poetarum: agere delectum, agere in crucem, in fugam, in exilium. Egit ille mecū humaniter, egit superbe, egit arroganter: egi tecum de mea uoluntate per literas. Agere etiam ex animo dicimus, ex lege, testamento, syngrapha, spōso, iure summo, tabellis obsignatis. Agitur de capite, de fama, de salute, de re communi, de summa religione, & quædam ex his nominandi casu dicuntur, agitur fama, salus, res communis, summa, religio, diem agere ultimum dicimus, uel extremum vitæ, itemque ferias, dies festos, diem natalem, uigilias ad templa Deorum

immor-

immortalium: agere negotium suum, primas, secundas partes, vel tertias, & partes lenæ, Eunuchi, vel Thaidis: aliud agens in illum forte incidi locum, vt amici laudes tacere non possem. Parietes, vel pauimenta rimas agunt: agere spumas in ore, agere pacem, triumphum, actũ agere. Verbum substantiæ non habuit, ad quæ transferri posset, vel quibus vt superiora adiungeretur, & eius loco sæpe uerbum ponimus accidendi, vt, sic vulgò loquamur, nihil tuis literis iucundius accidere potuisset. Innumera sunt huiusmodi exempla, in quibus locum habere casus vix potest, vt illud M. Tullij est ad Atticum; Mihi omnia, quæ iucunda ex humanitate alterius, & moribus homini accidere poßunt, ex illo accidebant. Rectè ominandi causa loquimur etiam illo modo; Mando, vt siquid mihi accidat interea, Titus possessionem suburbanam reddat vxori meæ, uel; siquid mihi accidat humanitus, filiæ, quam ego scripsi dotem, numeret. Concipere vadimonium, stipulationes, iusiurãdum, aliud est quàm semen concipere, quo ex uerbo est, concepta stipulatio, & conceptis uerbis iurare. Abutor etiam non solùm illud habet noui, quod ueteres abuti operam, & abuti libertatem dicebãt, sed quod primigenij sui loco poni consueuit, ut M. Tullius in Lucullo; Nos sagacitate canum ad vtilitatẽ nostram abutemur. Taceo hic alia quædam, rudibus etiam cognita literarum,

Accidere.

Concipere.

Abutor.

sed profectò ijs quoque de rebus abuti, maiores dixerunt, quæ penitus consumuntur, ut Cato Maior de re rustica, Caseum cum melle ubi abusus fueris. Hanc Cicero ad Trebatium sequutus est rationem, ut sic loqueretur; Non debet ea mulier, cui uir bonorum suorum vsum fructum legauit, cellis uinarijs, & olearijs plenis relictis, putare id ad se pertinere. Vsus enim, non abusus legatus est. Postrema sunt illa, bonis utimur tribunis plebis, prospera nauigatione, aduerso flatu uentorum, Aristoteles vsus est præceptore Platone, patrono Alexandro. Deducendi autem uerbo propriè sic vtimur;

Deducere. *Carmina, uel cælo possunt deducere lunam:*

Sed Romanæ consuetudinis est coloniam deducere, uel colonos. Illud etiam;

Sectari, oculos pascere, deducere, & reducere:

officij, & honoris causa fit, vt candidatus, uel princeps uir à clietibus domo in Capitolium, in ædem Telluris, uel ad sacra, uel ad comitia, uel ad ludos deducatur, & vndecunque domum reducatur. Nec ignorare oportet, quod de puero, aut homine, qui alicui in disciplinam traditur, ita loqui soleamus, deducere ad Scæuolam, deducere ad Sulpitium, vt exempli causa, Cicero filius est à patre ad Cratippum deductus. Sunt illa præterea, de maritimis vrbibus præsidia, aut ex præsidijs cohortes, legiones, militesve

dedu-

deducere, & à sententia, à consilio, ab instituto, à tristitia, à dolore, à fide, adhuc etiam de fundo, possessione, domoque sua, ad cogitationem, ad fletum, uel misericordiam, uel in iudicium. Cibũ deducere, Terentiana loquutio est, & uocem, Tulliana. Aquam deducimus ex Tyberi, ex fontibus, ex lacu, a Fucino per agrum Varronis, aut uillam Pompeij in Agrum Locustæ, in uillam Catonis. Ad agnatos, gentilesque deduci hominem dicebant eum, qui insanire cœpisset. Abesse dicimus non solùm à senatu, uel ab urbe, Sed à scelere etiam, à reprehensione, à culpa, laude, uitio, insania, oculis, auribus, cogitatione. Non ignorant hæc rudes. Pulchrè etiam sic loquimur, ut M. Tullius; Nec ille longè abest, ut argumentis credat. Est etiam illi contrarium, quod pro defendendo dicimus adesse, ut; Nemini absui eorum, quibus adesse potuerim. Aberam bidui ab exercitu, aberam tridui, uel quatridui: aberas tu multornm dierum iter, aut uiam, aberas longissimè gentium. Inferiorem esse aliquem notamus, illo modo; Multùm ab his aberat. L. Fusius. Sunt alia, ut abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, sua profundere, & aliena rapere. Non multum abfuit, quin te in manus hostium conieceris. Prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. Absui magnam partem consulatus tui. Tantum abest, ut uos reprehenderim, ut amplissimis etiam uer- Abesse.

bis collaudarim. Vertere uitio, uertere solum, exilij causa pueri norunt, ut pecuniam ad se uertere, quod etiam auerte dicimus, & conuertere; nec rarò etiam sic loquimur; Duobus in criminibus tota causa uertebatur, cædis & ueneficij; idest posita erat, aut uersabatur: sed quamuis pertineant aliqua ex his ad translationes, quoniam ad eas mihi paulo post ueniendum erit, pergam hoc loco minus figurata dicere. Quid ferre, quid accipere, quid inchoare? Singulis ne uerbis hæc exponas, nec aliud in his est, quàm tria uerba? nec longè plura in sermone latino hac ratione, & his loquutionibus dicuntur, quàm uerbis? Nam ferre ad accipiendum quoque, audiẽdum, dicendum, producendum, patiendum, ac ducendum, refertur. Nec minus nota sunt ferre arma contra patriam, ferre rogationem, ferre leges, priuilegium, quæstionem, opem, auxilium, conditionem, expensum, uel pecunias expensas, sententiam, pretium ob stultitiam, ferre uetustatẽ, repulsam, responsum, signa, suffragium, tributũ, suppetias, uentrem: ferri lectica, reda, curru, odio, auaritia, libidine, furore, inuidia: ferre ad populum, ad plebem, ferre in oculis, aut in sinu, ferre laudibus, ferre palmam ferre iudicem laudem, præmium, mercedem, prærogatiuam, centuriam, suffragia, tribum, ferre seruum in quæstionem, ferre partum, ferre imperium, tributum, supplicia, tormenta. Differunt

Vertere.

Ferre.

ab

ab his; mea fert opinio, sententia, spes, uoluntas, animus, coniectura, cupiditas. A' scena trāstulimus ferre primas, secundas, tertias. Vbique sunt illius generis exempla; Ferunt auctores multi, & re ipsa compertum est, oneri palmam non cedere, & illa minitantium; Non feres tacitum, non feres inultum. Sed quando refertur (vt iam dixi) ad patiendum, sequitur nulla esse mala, aut genus malorum in vita, quod ferri non dicatur, vt labor, molestia, incommodum, ægritudo, mors, pestis, bellum; nec genus incommodi, aut laboris, inter quę sunt, lectio, iter, uia, scriptio, vigiliæ, calor, frigus, sitis, fames. Similia his infinita sunt, quę ferre dicimur. Verùm duo hæc ferendi, & patiendi verba dicuntur vno modo, vt ferre seruitutem, pœnas, dolorē, laborem, molestias, miserias: altero quum permissionis est, vt ferre etiam tempus; & ferre ętatem dicimus, & à pueris illa quotidie leguntur; Ferre quando refertur ad patiēdum.

Dum tempus ad eam rem tulit, siui, niamum vt expleret suum.

Vt autem incommoda æquo animo ferre dictum est, sic etiam æquo animo, aut iniquo, aut patienter, aut durius, & in bonam partem, vel duas, pluresve in partes verbum accipere, & bene, vel male, vel honorificè, uel crudeliter accipere vulgò dicimus. Nec ignota sunt accipere plagam, dolorem, conditiones, ignominiam, Accipere.

iniurias, calamitatem, leges, caussam, excusationem, vulnus; nec est idem apud Terentium;

Dein conditionem accepit, quæstum occipit.

Est illud etiam genus; Vrbem Romam, sicuti ego accepi, condidere, atque habuere initio Troiani. Diuersa sunt ad uerbum; non ad rem, sententiam accipere. M. Tullij exempla sunt; Quod dat accipimus. & alio loco; si se dant, & sua sponte, accipio quod datur. Quid autem hæc sint, illo tertio de exemplo fit illustrius; Hoc & si multis modis reprehendi potest, tamen accipio, quod dat. Ergo sic loquimur. quoties aliqua de re disceptando, falsum concedimus, quod neque nos lædat, neque aduersariũ iuuet. Denique sunt illa;

Accipit homo hominem nemo melius, aut prolixius,

&;

Illos porticibus rex accipiebat in amplis.

Inchoare. Inchoare est, vnde liber, disputatio, vel res inchoatæ, nec dum absolutæ, imperfectæque dicuntur. Hinc mille sunt apud auctores omnes, quale Ciceronis illud exemplum est; Natura hominem inchoat, sapientia perficit: si non eadem omnino, similia tamen sunt informare, anticipare, adumbrare, & res informata, anticipata, adumbrata. & hinc nomina sunt, quæ ῥηματι-

κὰ dicuntur, informatio, anticipatio, adumbratio quibus rectè addita est etiam prænotio, quod nomen Cicero uidetur primus latinum fecisse: ita enim is de natura Deorum scribit. Hãc nos habemus, siue anticipationem, (vt ante dixi) siue prænotionem Deorum. Sunt enim nouis rebus noua ponenda nomina, ut Epicurus ipse πρόληψιν appellauit, quam ante nemo nominarat. Hæc autem est inchoata in animis nostris cognitio, quam accepimus à natura, ut esse Deos, colendos parentes, referendam benè meritis gratiam. Simile nomen significauit Aristoteles duobus nominibus descriptum, πᾶσα διδασκαλία, καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως. Habere autem, omnibus de rebus dicitur. Quid est enim, quod habere non possimus? Quare nomina rerum omnium, quæ habentur, huic uerbo adiungimus. Habere febrim, habere diuitias, habere animum, & spem, & infinita, latinè dicuntur. Nota sunt, rationem habere cum terra, uel cum Musis, & petijt à Senatu Cæsar, ut sui absentis ratio haberetur. Themistocles, quum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Dialogos habere cum Pompeio, & orationem in Senatu, habere in animo prouinciam deponere, aut se magistratu abdicare. Romanæ res quomodo se habeant, non audeo scribere: de Græcorum sermone imitati sumus, πῶς ἔχει τὰ πράγματα

Habere.

ra. Habere cognitum, habere persuasum, per-spectam habere Lentuli fidem, susceptam habere procurationem rerum hominis amici, cognitum habere, quid periculi sit, aut laboris in accusando, domitas habere libidines, positum habere summum bonum in virtute, piratas infestum habere mare Tyrrhenum, statutum habere in Asiam proficisci, causam habere duas in partes distributam. Vsu trita quotidiano sunt, Sic habeto ad epistolam tuam. Tantum habeto, ciuem egregium esse Pompeium. Diuersa sunt, quæ in hunc modum dicuntur; De ipso autem T. Annio, tantum habeo polliceri. Nec sunt eadem; meis in rebus non habeo, quid sta tuam, itemque alia; Nihil habeo de occulta hominum voluntate diuinare. Illa etiam habere censum, habere delectum, concilium, senatum. Pro eo quod est habitare, dicimus, habere ad Capitolium, ad muros vrbis, habere in Esquilijs, aut in Quirinali, aut propter domum Cæsaris, aut longè à foro. Venales habere possessiones, patrimonium, liberos, coniugem, seipsum, nihil habere antiquius patria, literis, rep. nihil habui antiquius, quàm ut uos statim incolumes viderem, habere honorem defuncto patri, gratiam bene meritis, fidem bonis viris, iter in Galliam, quæstiones de seruis in dominum, rem cum scorto, sorore, filia, despicatam habere uitam, studia, honores, habere verba, aut ora-

tionem

tione in senatu, habere in matrimonio Calphurniam, in promptu habere, quod respondeat. A gladiatoribus translatum illud;

Certè captus est, habet.

In fine librorum sic loquimur; Habes Attice, de senectute quid sentiam; Hæc habui de amicitia, quæ dicerem. Res tuas tibi habeto, formula est repudiandæ vxoris. Susque, deque habere, ducere, putare, perinde est, quasi dicas contemnere, vel non curare. Denique iusta libri magnitudo fiet, si huius uerbi singulas commoditates, atque vsus omnes perquiram. Sed illud postremum sit, quòd ijs etiam de rebus, & quadam ui dicitur, quæ insita sit in animis, aut in natura, ut; Habet hoc magnes, vt ferrum trahat: habet hoc mare, vt corpora defuncta eijciat, habet hoc Cæsar, ut iniurias obliuisci malit, quàm punire: habet hoc Pompeius, ut parem in rep. neminem ferre posßit. Tale quiddam, sed expreßius dandi verbum significat illo more, ut miles Thraso apud Terentium;

Est istuc datum Dare.

Profectò mihi, ut sint grata, quæ facio; omnia,

De hoc non minus multa, quàm de superiore dici possent, sed Romanæ sunt consuetudinis, Hæc, aut illa in verba iudiciū dare, dare testes, dare verba, dare iudices, dare vadem, obsides, defensionem, in fidem, in matrimonium, in clientelam,

telam, in seruitutem, in uiam, dare malum, iura, leges, conditiones, iugulum, mancipio, ut pulcherrimè Lucretius.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.

Dare munus, fabulam, negotium, manda, nomen, filiam nuptui, obsides imperatori, operam liberis, Platoni, studio, & rebus omnibus, dare signum, documenta, partes, pœnas, supplicium, præcipitem ex alto, dare in manum, dare ueniam, dare uitio. Rogare. *Rogamus latinè, adhibendo preces, ut malo emere, quàm rogare: uel expectando responsum, ut;*

Quæ sit, rogo, sororem esse aiunt Chrysidis.

Romanè autem est idem, quod apud maiores ipsos, agere cum Populo de lege, rogatione, aut priuilegio ferendo, ut; Quod Tribuni plebis rogassint, ratum esto. Notum præterea illud est ex priuilegio P. Clodij, Velitis, iubeatis, ut bona M. Tullij mea sint. Arrogare. *Hoc de uerbo factum est arrogare filium, & hinc arrogatio, quæ per populum fiebat, ut adoptio per Prętorem, quãuis adoptare non filios tantum, sed patronos etiam, aut amicos dicimur. quod uerbum sic ueteres accipiunt interdum, ut huic non illud solùm actionis legitimæ illius quæ statim transit, sed perpetuum tempus dare uideantur. Sic enim Terentius loquitur, ut suscipere, & dare adoptandum*

tandum filium dicat, nec illum ignorant pueri locum;

Filius tuus Aeschinus

Quem, fratri adoptandum dedisti, neque boni,

Neque liberalis functus officium uiri est.

Eodem loco indifferenter poni solent etiam hæc tria, sumere, assumere, & arrogare. Plurima adhuc pro excusandi uerbo dicimus, quæ enumerarem, nisi potius ad συνώνυμα *pertinerent. Quæro enim ego, non quæ plurima unius uerbi locum teneant, sed quæ singula esse queant loco plurimorum. Excusandi autem nouè sic utimur, ut Horatius;* Excusare.

Excusare laborem, et mercenaria uincla,

Quòd non mane domum uenisset.

Sic excusare ualetudinem oculorum, excusare senectutem, uel morbum, quòd militare, aut remp. gerere non posis. Inducere in fraudem homines, uel in errorem discipulos, quid sibi uelint, nemo potest, nisi qui nihil sciat omnino, dubitare: ut etiam inducere animum, ab hostibus pacem petere, & inducere in animum Athenas, aut in exilium ire. De rebus autem nouis dicere solemus, perniciosum philosophandi genus ab Epicuro inductum esse; & (quòd M. Antonio M. Tullius obiecit) nouum uerbum in latinam linguam inducere. Poetæ Apollinem Iacynthi amore captum induxerunt. Sermones Inducere.

Est igitur in se recipere, & modo quodam fide iubere de rerum exitu incertarum: loquimur enim sic; Meo consilio si parueris, præstabo, laudaturos esse omnes homines prudentiam tuam. Ratum aliquid nos habituros esse cōfirmamus; illo modo; Quācunque de me Varroni fidem dederis, præstabo. Committimus vulgò alteri nostras fortunas, uel extimationem. Sed aliud est, quod sic loquimur, vt Virgilius.

Cōmittere.

Quid meus Aeneas in te committere tantum;
Quid Troes potuere?
Hinc est furtum committere, uel scelus, & hinc rursus;
Non omittam, ut negligentius egisse videar:

Cuius uerbi loco sæpe est admittere. Quoniam uerò pro cōiungendi uerbo à ueteribus dicebatur, ut committere oras uestimenti, uel togæ: quod est apud Virgilium componere, vt,

Componens manibusque manus, atque oribus ora:

Animaduertere.

Fit etiam ut cōmittere pugnam dicamus, legiones, bellum, certamen, ludos, spectaculum, gladiatores, quemadmodum Græci τίς τάρ σφῶε τεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι.

Porrò etiam ueteres sic comparare dixerūt; Non animaduerti quid ageres, uel non animaduerteram nefandissimum scelus, uulgaris noti-

tiæ sunt, nec illa ignorat quisquam animaduertere in coniuratos. Defugere inimicitias, labo rem, periculum, nemo est, quin intelligat, sed illud cognoscatur etiam Ciceronis; Itaque atten de, quàm non defugiam auctoritatem consulatus mei. Intercessit mihi vetus amicitia, necessitudo, amor, officiaque omnia cum Lentulo, pue ri hæc exponunt pueris, nec illud obscurum est contraria esse in lingua nostra intercedere ami cos pro salute Milonis. Verbum aspernandi illud habet nouum, quod in oratione pro A. Cluentio M. Tullius ita scripsit; Cuius furorem Deos immortales à suis aris aspernatos esse con fido. Dare se in tormenta, in cruciatus, in seruitutē, uel filias in matrimonium, dare munus, dare gladiatores, dare se ad scribendum, ludendum, docendum, ex iure respondendum, dare etiam pœnas, & supplicium. Ducere exercitum dicunt omnes, uel ducere aquam per fundum Varronis, uel animam à cælo, uel principium generis à Ioue, Dijsque immortalibus: uerùm illud etiam teneri debet, ad existimationem quoque animi hoc verbum transferri, quemadmodum à Græcis ἡγεῖσθαι, ut pericula mortis parui, & omnia humana infra se ducere. Ponitur loco eius, quod est γαμεῖν, vt pauperem duxit vxorem, sed honestam, & nobilem. Est etiam ducere funus, ducere pompam, & alia, quorum ad sermonis copiam, si non

Defugere

Intercedere.

Aspernari

Dare.

Ducere.

cædis, & iniuriarum: agere ad populum, cum populo, & cum rep. Sed agere ad populum, est concionem habere, agere cum populo, quum rogationem populus remve aliam, ut iuberet, uel antiquaret rogabatur: nec agere causas eadem res est, quæ agere lege, illud enim ad oratores, hoc ad prætorem pertinet, quum fasto die licebat ei tria uerba fari, Do, Dico, Addico. Agere inter homines, ætatem agere Athenis, Romæ, & in literis, agere forum, agere æuum in cælo. cum Dijs immortalibus, & in scenis agere personam adolescentis, matronæ, Pamphili, Getæ, Chremetis, agere animam, uel quinquagesimum annum ætatis, malè nobiscum agitur, benè, aut præclarè cum ijs actum est, qui fortiter pro rep. mortem oppetiuere: agere bonum ciuem. Agere gratias oratorum est, agere grates uetusti sermonis, & poetarum: agere delectum, agere in crucem, in fugam, in exilium. Egit ille mecũ humaniter, egit superbe, egit arroganter: egi tecum de mea uoluntate per literas. Agere etiam ex animo dicimus, ex lege, testamento, syngrapha, spõso, iure summo, tabellis obsignatis. Agitur de capite, de fama, de salute, de re communi, de summa religione, & quædam ex his nominandi casu dicuntur, agitur fama, salus, res communis, summa, religio, diem agere ultimum dicimus, uel extremum vitæ, itemque ferias, dies festos, diem natalem, uigilias ad templa Deorum

immortalium: agere negotium suum, primas, secundas partes, vel tertias, & partes lænæ, Eunuchi, vel Thaidis: aliud agens in illum forte incidi locum, vt amici laudes tacere non possem. Parietes, vel pauimenta rimas agunt: agere spumas in ore, agere pacem, triumphum, actū agere. Verbum substantiæ non habuit, ad quæ transferri posset, vel quibus vt superiora adiungeretur, & eius loco sæpe uerbum ponimus accidendi, vt, sic vulgò loquamur, nihil tuis literis iucundius accidere potuisset. Innumera sunt huiusmodi exempla, in quibus locum habere casus vix potest, vt illud M. Tullij est ad Atticum; Mihi omnia, quæ iucunda ex humanitate alterius, & moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. Rectè ominandi causa loquimur etiam illo modo; Mando, vt si quid mihi accidat interea, Titus possessionem suburbanam reddat vxori meæ, uel; si quid mihi accidat humanitus, filiæ, quam ego scripsi dotem, numeret. Concipere vadimonium, stipulationes, iusiurādum, aliud est quàm semen concipere, quo ex uerbo est, concepta stipulatio, & conceptis uerbis iurare. Abutor etiam non solùm illud habet noui, quod ueteres abuti operam, & abuti libertatem dicebāt, sed quod primigenij sui loco poni consueuit, ut M. Tullius in Lucullo; Nos sagacitate canum ad vtilitatē nostram abutemur. Taceo hic alia quædam, rudibus etiam cognita literarum,

Accidere.

Concipere.

Abutor.

ſed profectò ijs quoque de rebus abuti, maiores dixerunt, quæ penitus conſumuntur, ut Cato Maior de re ruſtica, Caſeum cum melle ubi abuſus fueris. Hanc Cicero ad Trebatium ſequutus eſt rationem, ut ſic loqueretur; Non debet ea mulier, cui uir bonorum ſuorum vſum fructum legauit, cellis uinarijs, & olearijs plenis relictis, putare id ad ſe pertinere. Vſus enim, non abuſus legatus eſt. Poſtrema ſunt illa, bonis utimur tribunis plebis, proſpera nauigatione, aduerſo flatu uentorum, Ariſtoteles vſus eſt præceptore Platone, patrono Alexandro. Deducendi autem uerbo propriè ſic vtimur;

Deducere. Carmina, uel cælo poſſunt deducere lunam:

Sed Romanæ conſuetudinis eſt coloniam deducere, uel colonos. Illud etiam;

Sectari, oculos paſcere, deducere, & reducere:

officij, & honoris cauſa fit, vt candidatus, uel princeps uir à clientibus domo in Capitolium, in ædem Telluris, uel ad ſacra, uel ad comitia, uel ad ludos deducatur, & vndecunque domum reducatur. Nec ignorare oportet, quod de puero, aut homine, qui alicui in diſciplinam traditur, ita loqui ſoleamus, deducere ad Scæuolam, deducere ad Sulpitium, vt exempli cauſa, Cicero filius eſt à patre ad Cratippum deductus. Sunt illa præterea, de maritimis vrbibus præſidia, aut ex præſidijs cohortes, legiones, militeſve

deducere, & à sententia, à consilio, ab instituto, à tristitia, à dolore, à fide, adhuc etiam de fundo, possessione, domoque sua, ad cogitationem, ad fletum, uel misericordiam, uel in iudicium. Cibũ deducere, Terentiana loquutio est, & uocem, Tulliana. Aquam deducimus ex Tyberi, ex fontibus, ex lacu, a Fucino per agrum Varronis, aut uillam Pompeij in Agrum Locustæ, in uillam Catonis. Ad agnatos, gentilesque deduci hominem dicebant eum, qui insanire cæpisset. Abesse dicimus non solùm à senatu, uel ab urbe, Sed à scelere etiam, à reprehensione, à culpa, laude, uitio, insania, oculis, auribus, cogitatione. Non ignorant hæc rudes. Pulchrè etiam sic loquimur, ut M. Tullius; Nec ille longè abest, ut argumentis credat. Est etiam illi contrarium, quod pro defendendo dicimus adesse, ut; Nemini absui eorum, quibus adesse potuerim. Aberam bidui ab exercitu, aberam tridui, uel quatridui: aberas tu multorum dierum iter, aut uiam, aberas longissimè gentium. Inferiorem esse aliquem notamus, illo modo; Multùm ab his aberat. L. Fusius. Sunt alia, ut abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, sua profundere, & aliena rapere. Non multum abfuit, quin te in manus hostium conieceris. Prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. Absui magnam partem consulatus tui. Tantum abest, ut uos reprehenderim, ut amplissimis etiam uer- Abesse.

bis collaudarim. *Vertere uitio, uertere solum*

Vertere.

exilij causa pueri norunt, ut pecuniam ad se uertere, quod etiam auerte dicimus, & conuertere; nec rarò etiam sic loquimur; Duobus in criminibus tota causa uertebatur, cædis & ueneficij; idest posita erat, aut uersabatur: sed quamuis pertineant aliqua ex his ad translationes, quoniam ad eas mihi paulo post ueniendum erit, pergam hoc loco minus figurata dicere. Quid ferre, quid accipere, quid inchoare? Singulis ne uerbis hæc exponas, nec aliud in his est, quàm tria uerba? nec longè plura in sermone latino hac ratione, & his loquutionibus dicuntur, quàm uerbis?

Ferre.

Nam ferre ad accipiendum quoque, audiẽdum, dicendum, producendum, patiendum, ac ducendum, refertur. Nec minus nota sunt ferre arma contra patriam, ferre rogationem, ferre leges, priuilegium, quæstionem, opem, auxilium, conditionem, expensum, uel pecunias expensas, sententiam, pretium ob stultitiam, ferre uetustatẽ, repulsam, responsum, signa, suffragium, tributũ, suppetias, uentrem: ferri lectica, reda, curru, odio, auaritia, libidine, furore, inuidia: ferre ad populum, ad plebem, ferre in oculis, aut in sinu, ferre laudibus, ferre palmam ferre iudicem laudem, præmium, mercedem, prærogatiuam, centuriam, suffragia, tribum, ferre seruum in quæstionem, ferre partum, ferre imperium, tributum, supplicia, tormenta. Differunt

ab

ab his; mea fert opinio, sententia, spes, uoluntas, animus, coniectura, cupiditas. A' scena trãstulimus ferre primas, secundas, tertias. Vbique sunt illius generis exempla; Ferunt auctores multi, & re ipsa compertum est, oneri palmam non cedere, & illa minitantium; Non feres tacitum, non feres inultum. Sed quando refertur (vt iam dixi) ad patiendum, sequitur nulla esse mala, aut genus malorum in vita, quod ferri non dicatur, vt labor, molestia, incommodum, ægritudo, mors, pestis, bellum; nec genus incommodi, aut laboris, inter quę sunt, lectio, iter, uia, scriptio, vigiliæ, calor, frigus, sitis, fames. Similia his infinita sunt, quę ferre dicimur. Verùm duo hæc ferendi, & patiendi verba dicuntur vno modo, vt ferre seruitutem, pœnas, dolorē, laborem, molestias, miserias: altero quum permissionis est, vt ferre etiam tempus; & ferre ętatem dicimus, & à pueris illa quotidie leguntur; Ferre quando refertur ad patiẽdum.

Dum tempus ad eam rem tulit, siui, animum vt expleret suum.

Vt autem incommoda æquo animo ferre dictum est, sic etiam æquo animo, aut iniquo, aut patienter, aut durius, & in bonam partem, vel duas, pluresve in partes verbum accipere, & bene, vel male, vel honorificè, uel crudeliter accipere vulgò dicimus. Nec ignota sunt accipere plagam, dolorem, conditiones, ignominiam, Accipere.

iniurias, calamitatem, leges, causam, excusationem, vulnus; nec est idem apud Terentium;

Dein conditionem accepit, quæstum occipit.

Est illud etiam genus; Vrbem Romam, sicuti ego accepi, condidere, atque habuere initio. Troiani. Diuersa sunt ad uerbum; non ad rem, sententiam accipere. M.Tullij exempla sunt; Quod dat accipimus. & alio loco; si se dant, & sua sponte, accipio quod datur. Quid autem hæc sint, illo tertio de exemplo fit illustrius; Hoc & si multis modis reprehendi potest, tamen accipio, quod dat. Ergo sic loquimur. quoties aliqua de re disceptando, falsum concedimus, quod neque nos lędat, neque aduersariũ iuuet. Denique sunt illa;

Accipit homo hominem nemo melius, aut prolixius,

&;

Illos porticibus rex accipiebat in amplis.

Inchoare. *Inchoare est, vnde liber, disputatio, vel res inchoatæ, nec dum absolutæ, imperfectęque dicuntur. Hinc mille sunt apud auctores omnes, quale Ciceronis illud exemplum est; Natura hominem inchoat, sapientia perficit: si non eadem omnino, similia tamen sunt informare, anticipare, adumbrare, & res informata, anticipata, adumbrata. & hinc nomina sunt, quæ ῥήματι*

καὶ dicuntur, informatio, anticipatio, adumbratio quibus rectè addita est etiam prænotio; quod nomen Cicero uidetur primus latinum fecisse: ita enim is de natura Deorum scribit. Hanc nos habemus, siue anticipationem, (ut ante dixi) siue prænotionem Deorum. Sunt enim nouis rebus noua ponenda nomina, ut Epicurus ipse πρόληψιν appellauit, quam ante nemo nominarat. Hæc autem est inchoata in animis nostris cognitio, quam accepimus à natura, ut esse Deos, colendos parentes, referendam benè meritis gratiam. Simile nomen significauit Aristoteles duobus nominibus descriptum, πᾶσα διδασκαλία, καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως. Habere autem, omnibus de rebus dicitur. Quid est enim, quod habere non possimus? Quare nomina rerum omnium, quæ habentur, huic uerbo adiungimus. Habere febrim, habere diuitias, habere animum, & spem, & infinita, latinè dicuntur. Nota sunt, rationem habere cum terra, uel cum Mutis, & petijt à Senatu Cæsar, ut sui absentis ratio haberetur. Themistocles, quum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Dialogos habere cum Pompeio, & orationem in Senatu, habere in animo prouinciam deponere, aut se magistratu abdicare. Romanæ res quomodo se habeant, non audeo scribere: de Græcorum sermone imitati sumus, πῶς ἔχει τὰ πράγματα

Habere.

ra. Habere cognitum, habere persuasum, perspectam habere Lentuli fidem, susceptam habere procurationem rerum hominis amici, cognitum habere, quid periculi sit, aut laboris in accusando, domitas habere libidines, positum habere summum bonum in virtute, piratas infestum habere mare Tyrrhenum, statutum habere in Asiam proficisci, causam habere duas in partes distributam. Vsu trita quotidiano sunt, Sic habeto ad epistolam tuam. Tantum habeto, ciuem egregium esse Pompeium. Diuersa sunt, quæ in hunc modum dicuntur; De ipso autem T. Annio, tantum habeo polliceri. Nec sunt eadem; meis in rebus non habeo, quid sta tuam, itemque alia; Nihil habeo de occulta hominum voluntate diuinare. Illa etiam habere censum, habere delectum, concilium, senatum. Pro eo quod est habitare, dicimus, habere ad Capitolium, ad muros vrbis, habere in Esquilijs, aut in Quirinali, aut propter domum Cæsaris, aut longè à foro. Venales habere possessiones, patrimonium, liberos, coniugem, seipsum, nihil habere antiquius patria, literis, rep. nihil habui antiquius, quàm ut uos statim incolumes viderem, habere honorem defuncto patri, gratiam bene meritis, fidem bonis viris, iter in Galliam, quæstiones de seruis in dominum, rem cum scorto, sorore, filia, despicatam habere uitam, studia, honores, habere verba, aut orationem

tionē in senatu, habere in matrimonio Calphurniam, in promptu habere, quod respondeat. A gladiatoribus translatum illud;

Certè captus est, habet.

In fine librorum sic loquimur; Habes Attice, de senectute quid sentiam; Hæc habui de amicitia, quæ dicerem. Res tuas tibi habeto, formula est repudiandæ vxoris. Susque, deque habere, ducere, putare, perinde est, quasi dicas contemnere, vel non curare. Denique iusta libri magnitudo fiet, si huius uerbi singulas commoditates, atque vsus omnes perquiram. Sed illud postremum sit, quòd ijs etiam de rebus, & quadam ui dicitur, quæ insita sit in animis, aut in natura, ut; Habet hoc magnes, vt ferrum trahat: habet hoc mare, vt corpora defuncta eijciat, habet hoc Cæsar, ut iniurias obliuisci malit, quàm punire: habet hoc Pompeius, ut parem in rep. neminem ferre poßit. Tale quiddam, sed expreßius dandi verbum significat illo more, ut miles Thraso apud Terentium;

Est istuc datum — Dare.

Profectò mihi, ut sint grata, quæ facio; omnia,

De hoc non minus multa, quàm de superiore dici possent, sed Romanæ sunt consuetudinis, Hæc, aut illa in verba iudiciū dare, dare testes, dare verba, dare iudices, dare vadem, obsides, defensionem, in fidem, in matrimonium, in clientelam,

telam, in seruitutem, in uiam, dare malum, iura, leges, conditiones, iugulum, mancipio, ut pulcherrimè Lucretius.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.

Dare munus, fabulam, negotium, manda, nomen, filiam nuptui, obsides imperatori, operam liberis, Platoni, studio, & rebus omnibus, dare signum, documenta, partes, pœnas, supplicium, præcipitem ex alto, dare in manum, dare veniam, dare uitio. Rogare. *Rogamus latinè, adhibendo preces, ut malo emere, quàm rogare: uel expectando responsum, ut;*

Quæ sit, rogo, sororem esse aiunt Chrysidis.

Romanè autem est idem, quod apud maiores ipsos, agere cum Populo de lege, rogatione, aut priuilegio ferendo, ut; Quod Tribuni plebis rogassint, ratum esto. Notum præterea illud est ex priuilegio P. Clodij, Velitis, iubeatis, ut bona M. Tullij mea sint. Arrogare. *Hoc de uerbo factum est arrogare filium, & hinc arrogatio, quæ per populum fiebat, ut adoptio per Prætorem, quãuis adoptare non filios tantum, sed patronos etiam, aut amicos dicimur. quod uerbum sic ueteres accipiunt interdum, ut huic non illud solùm actionis legitimæ illius quæ statim transit, sed perpetuum tempus dare uideantur. Sic enim Terentius loquitur, ut suscipere, & dare adoptandum*

tandum filium dicat, nec illum ignorant pueri locum;

Filius tuus Aeschinus
Quem, fratri adoptandum dedisti, neque
boni,
Neque liberalis functus officium uiri est.

Eodem loco indifferenter poni solent etiam hæc tria, sumere, assumere, & arrogare. Plurima adhuc pro excusandi uerbo dicimus, quæ enumerarem, nisi potius ad συνώνυμα pertinerent. Quæro enim ego, non quæ plurima unius uerbi locum teneant, sed quæ singula esse queant loco plurimorum. Excusandi autem nouè sic utimur, ut Horatius; Excusare.

Excusare laborem, et mercenaria uincla,
Quòd non mane domum uenisset.

Sic excusare ualetudinem oculorum, excusare senectutem, uel morbum, quòd militare, aut remp. gerere non poßis. Inducere in fraudem homines, uel in errorem discipulos, quid sibi uelint, nemo potest, nisi qui nihil sciat omnino, dubitare: ut etiam inducere animum, ab hostibus pacem petere, & inducere in animum Athenas, aut in exilium ire. De rebus autem nouis dicere solemus, perniciosum philosophandi genus ab Epicuro inductum esse; & (quod M. Antonio M. Tullius obiecit) nouum uerbum in latinam linguam inducere. Poetæ Apollinem Iacynthi amore captum induxerunt. Ser- Inducere.

mones Plato cum Socrate agitatos induxit. A scenicis autem personis ductum est, uti dicamus etiam; Mira persona induci potest Britannici iurisconsulti. Timæum Plato de animorum immortalitate disputantem induxit. Est etiam delere, ac rescindere, nec ratum esse velle: ut; Inducendi senatusconsulti maturitas nondum est, quod neque sunt, qui querantur, & multi partim maleuolentia, partim opinione æquitatis delectantur. Nec minus apertum illud est ad intelligendum; Asiani, qui de censoribus conduxerunt, questi sunt in senatu, se cupiditate pro lapsos, nimium magno conduxisse, ut induceretur locatio postularunt. Scuta etiam inducta corijs, muros tectorio, & vasa pice, vel auro sæpe legimus.

Ariolari & uaticinari. *Ariolari, & vaticinari non solum futura prædicentium sunt, sed etiam eorum, qui insaniunt. Solemus enim ita loqui ut M. Tullius; Sed ego fortasse vaticinor, & hæc omnia meliores habebunt exitus.*

Adducere. *Adducere est etiā torquere, ut auctor idem de natura Deorum; In agro ambulanti ramum adductum, quum remissus esset, in oculum recidisse. Transtulit hoc uerbum in Lælio in hunc modum; Commodissimum est quàm laxissimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas, quum uelis, uel remittas. Quare arcum adducere, est intendere, ac penè idem, quod lunare etiam dixerunt, ut;*

Lunare.

Lunauitque genu sinuosum fortiter arcum.

Pro-

Propriè igitur poeta idem;

Est locus adductos modicè falcatus in arcus.

Introducendi verbo sic omnino vtimur, vt paulo ante inducendi, & nouum morem, vel consuetudinem introducere, uel iuuenes cum Catone de senectute disputantes. Scire est earum rerum propriè, quarum certa est scientia, & nescire sæpius, earum, quæ longè absunt à moribus personarum, uel à natura rerum, ut quæ grauia sunt, sursum ferri nesciunt, ut nec leuia deorsum. Nam de personis illud esto Horatij exemplum; Introducere. Scire.

Pelidę stomachum cedere nescij:

& Virgilij ad Mæcenatem;

Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes.

De diuidendo autem, præter quæ sunt, in partes diuidere, vel in species, illa sunt Romanæ linguæ, diuidere sententiam, vt; Postulatum est, ut Bibuli sententia diuideretur. Diuidere pecuniam in tribus. Hinc diuisores dicti, qui munus einsmodi obirent, & quos Ciceronem suppuduit in epistola ad Pætum nominare. Præstant homines prudentia, virtute, diuitijs, aut re aliqua honesta: sunt hæc puerilis doctrinæ, sed præstant, quibus debent officium, amicis fidem, & vitium rei venditæ, quoties cauent, nequid emptor detrimenti ex emptione capiat: Diuidere. Præstare.

Est

Est igitur in se recipere, & modo quodam fide iubere de rerum exitu incertarum: loquimur enim sic; Meo consilio si parueris, præstabo, laudaturos esse omnes homines prudentiam tuam. Ratum aliquid nos habituros esse cōfirmamus, illo modo; Quācunque de me Varroni fidem dederis, præstabo. Committimus vulgò alteri nostras fortunas, uel extimationem. Sed aliud est, quod sic loquimur, vt Virgilius.

Cōmittere.

Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere?

Hinc est furtum committere, uel scelus, & hinc rursus;

Non omittam, ut negligentius egisse videar:

Cuius uerbi loco sæpe est admittere. Quoniam uerò pro cōiungendi uerbo à ueteribus dicebatur, ut committere oras uestimenti, uel togæ: quod est apud Virgilium componere, vt,

Componens manibusque manus, atque oribus ora:

Animaduertere.

Fit etiam ut cōmittere pugnam dicamus, legiones, bellum, certamen, ludos, spectaculum, gladiatores, quemadmodum Græci τίς τὰρ σφῶε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι.

Porrò etiam ueteres sic comparare dixerūt: Non animaduerti quid ageres, uel non animaduerteram nefandissimum scelus, uulgaris notitiæ

tiæ sunt, nec illa ignorat quisquam animaduertere in coniuratos. Defugere inimicitias, laborem, periculum, nemo est, quin intelligat, sed illud cognoscatur etiam Ciceronis; Itaque attende, quàm non defugiam auctoritatem consulatus mei. Intercessit mihi vetus amicitia, necessitudo, amor, officiaque omnia cum Lentulo, pueri hæc exponunt pueris, nec illud obscurum est contraria esse in lingua nostra intercedere amicos pro salute Milonis. Verbum aspernandi illud habet nouum, quod in oratione pro A. Cluentio M. Tullius ita scripsit; Cuius furorem Deos immortales à suis aris aspernatos esse confido. Dare se in tormenta, in cruciatus, in seruitutẽ, uel filias in matrimonium, dare munus, dare gladiatores, dare se ad scribendum, ludendum, docendum, ex iure respondendum, dare etiam pœnas, & supplicium. Ducere exercitum dicunt omnes, uel ducere aquam per fundum Varronis, uel animam à cœlo, uel principium generis à Ioue, Dijsque immortalibus: uerùm illud etiam teneri debet, ad existimationem quoque animi hoc verbum transferri, quemadmodum à Græcis ἡγεῖσθαι, ut pericula mortis parui, & omnia humana infra se ducere. Ponitur loco eius, quod est γαμεῖν, vt pauperem duxit vxorem, sed honestam, & nobilem. Est etiam ducere funus, ducere pompam, & alia, quorum ad sermonis copiam, si non

Defugere

Intercedere.

Aspernari

Dare.

Ducere.

Attribuere. *scientia, at certè memoria desideratur. Attribuere pecuniam proconsuli, aut magistratui ad uiaticum, uel ad vsum belli dixerunt, unde pecunia attributa nominatur, & attributi, à quibus exigenda est.*

Hærere. *Hærere aliquid in medullis, in memoria, in visceribus, in mente, in oculis, dictum est sæpius, uel hærere alicui suspicionem, crimen, peccatum, culpam, scelus, hærere in eadem voluntate, ac sententia, & hærere in rebus dubijs, & hærere aquam.*

Prouocare. Appellare *Prouocamus, in iuria, officijs, aut crebritate literarum; appellamus absentem, aut amicum hilariter. Hæc duo M. Tullius in alio sensu coniunxit; Quum alter ad senatum prouocasset, alter verò appellasset tribunos.*

Capere. *Vno uerbo capere arma dicimus, & capere hostium vrbes, aut oppida, aut capere idoneum tempus ad conueniendum Cæsarem, capere honores, magistratum, spem, fructus vberrimos, animum, uoluptates, & uenando feram, aut aues. Quare extitit etiam, ut fallaci, captiosoque genere argumentandi capere aduersarium dicamus: sunt illa quoque in usu, capior misericordia, vel dolore. Refertur ad capacitates, ut; Vix iam uidetur locus esse, qui tantos aceruos pecuniæ capiat.*

Arbitror, puto, similiaque certis etiam de rebus dicuntur. *Arbitror, puto, uideor, duco, illud afferunt ad copiam sermonis, quòd quum dubitationes tantum acceperint à natura, sæpe certissimis etiam de rebus dicuntur. A primo enim arbitri dicti sunt, quorum sen-*

tentia

tentia incerta eße non debet, eaque arbitrium nominatur, nec fieri poteſt, quin communis ea nominum vis, ac notio ſit cum verbo arbitrandi. Quare illud eſt frequens, & in ore omnium, ex æquo, & bono arbitrari: eſtque in iure ciuili; ſiquis litigatorum defuerit, quia per eum factum eſt, quo minus arbitretur, pœna committetur. Locus eſt apud M. Tullium in oratione pro M. Fonteio pulcherrimus; Credo hęc eadem Induciomarum in teſtimonio timuiſſe, aut cogitaſſe, qui primùm illud verbum conſideratiſsimum noſtræ conſuetudinis; arbitror (quo nos etiam tum vtimur quum ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipſi uidimus) ex toto teſtimonio ſuo ſuſtulit, atque omnia ſe ſcire dixit. Pro iudicando etiam, ac ſentiendo ſæpe apud Terentium; illa ſunt, bene putas, & rectè putas, & in Verrem Cicero; Niſi vobis id hominum honeſtiſſimorum tabulis planum fecero, fingi à me hoc totum temporis cauſa putatote. Videri ergo non mirabimur, ſi uim ſæpiſſimè illam retinet, quam habet id quod uidere, ut rem certiſſimam oſtendat, ſicuti ea eſt, quæ oculis cernatur. Vt enim clauſulas non dicam in ſcriptis M. Tullij, quæ ſunt, eſſe uideatur, illud mihi obſerua, quod is ad Trebatium ſcripſit; Hoc quemadmodum uos ſcribere ſoletis in veſtris libris; Idem Q. Cornelio videbatur. Cadunt quæ alicunde delapſa ſunt, ſed Ro

Cadere. *manæ, cadere in iudicio etiam dicimus, & cadere animis, & orationem cadere in spondeos, & in longas syllabas, & sub oculos cadunt, quæ oculis cernuntur, vt sub sensus cadere, nec in sapientem cadere dolorem, aut in vitam boni viri suspicionem sceleris, & quędam similia, aut generis eiusdem, in eamdem rationem cadere, aut sub idem genus, aut in cogitationem, aut sub*

Recipere. *iudicium sapientis. Recipere dicimus aliquid ab hostibus, & recipere se in vrbem, uel ad bonam frugem, & uictas bello nationes, aut homines, aut ciuitates, aut prouincias recipere in fidem, in necessitudinem, in gratiam. Est quoque cæteris ex rebus venditis, uel quouis modo alienatis aliquid sibi reseruare, ex more uetusto loquendi. Nec sunt ab usu remota; Fidem recipio me sanctissimè seruaturum, & ; Promitto, in meque recipio, fore eum tibi & uolup-*

Occupare *tati, & usui. Regnum occupare quid sit, uel dominatum regium, non est cuia intersit explicare, sed pecuniam apud multas ciuitates occupare, uel occupatam habere, de pecunia fœnori data intelligimus: quod sic etiã dicere solemus, Pecuniam grandi fœnori adolescentulo occupa-*

Transmittere. *sti. Negotiatores maria transmittunt, & dissimulata mentione maris, ut; Lentulus in Ciliciam transmisit, & copias transmisit in Epirũ, ut etiam in traijciendi uerbo facimus laudo equidem, qui sic loquuntur. Quoniam uerò aliquid*

natura

natura, moribus, aut legibus, more maiorum, bene, & male, & iniquissime comparatum esse dicimus, ausi sumus ita scribere; Bene maiores nostri hoc compararunt, ut neminem regem, quem armis cœpissent, uita priuarent. Experiri præter quotidianum, quem habet usum, est lege agere, cuius loco est apud Græcos κινδυνεύειν, *quod nos extra forense negotium, domesticisq; in rebus periclitari uires, & periclitari ingenium, ut in literis, musicis, & in palæstra facere periculum Terentius dixit. Verbo referendi multa latine, & ex Romano usu explicantur. Itaque referre rem iudicatam dixerunt, quod est iterum de ea iudicium exercere, uel de explosa iam sententia nouam disputationem inducere: et referre iudices, contrarium est reiectos restituere. Epicurus refert omnia ad uoluptatem: nostra uero consilia, atque facta ad uirtutem, & dignitatem omnia referamus. Perinde hæc sunt, quasi illa, quæ de finibus bonorum, summoque bono dubitantur, utrum homini uoluptatis, an uirtutis causa omnia facienda sint. Diuersa sunt, ad senatum, ad amicos, ad patrem ea referre, de quibus communicatum esse cum ijs uolumus. Nam de gratia, uel salute referenda, uel gestis rebus in commentarium, aut in uolumen referendis, nihil dicere oportet, nec obscura sunt in reos, uel in proscriptos, uel in Deorum numerum, uel nomina in codicem, uel rationes accepti, & expensi, in tabulas publi-*

Experiri.

Refert

cas, uel priuatas, uel rationes ad ærarium, uel paria paribus uel multum, nihil, parui referre. Sed non faciam, ut hic sim longior: per se quisq; hæc perquirat, & ad copiam meminerit. Ego enim illud uolo potißimum, ut studiosi intelligant, sine his quanta, & quàm elegans copia sermonis negligatur. Nam repetere quæ in
Repetere. *bello amissa sunt, aut per uim, atque iniuriam ablata, uulgo dicunt omnes, sed repetere altius rationem consilij tui, & ab omni æternitate repetere diuinationem, aliud, quàm primæ pueritiæ studium requirunt. Cupio similia his, quę dicta sunt cogitari, ne copiam desideremus, ac thesaurum latini sermonis infinitum. Spem re*
Reponere *ponere in se ipso, uel in familiaritate, & amicitia multorum, quotidie dicimus, & reponere in Deos, in numero eloquentium, in numero fabularum, & pro eo, quod est, rependere, ut aliquid officij reponam, nec me ingratum esse hominem cognosces, & quod ab Horatio dictum est ad Pisones;*

Fabula quæ posci uult, & spectata reponi: qui hæc, & similia his ignoret, necesse est eum paupertate sermonis infinita laborare. Affi-
Afficere. *cere dicimus aliquem uoluptate. Num uoluptate sola? non alijs rebus etiam infinitis? Quota enim quęque res est, qua non affici dicamur? Neq; ego ingredior, ut explicare uelim, quæ sũt nota omnibus, sed immensam vnius uerbi commoditatem nos cogitare uolo. Sed quia con-*

iunctus est hic locus non nihil cum translatione, fieri non potuit, vt nullum omnino ex translatis hic posuerim. Illud enim memoria tenendum est quod Aristoteles in tertio de arte dicendi libro scripsit;

καὶ ὡς ὠκίνας, καὶ εἰς μεταφορὰς ἔξεσι λέγειν.

Sed hinc transeo, ut si modo possim, (quemadmodum supra, quum de nominibus tractaremus, feci) quædam translata, nulla prorsus adiuncta similitudine, paucis exponam; Transitus fit ad translationes.

Mediam mulierem amplectitur, propriè Terentius dixit: amplecti remp. amplecti studia, literas, philosophiam, uel ius ciuile, translatione figurata sunt, ut illud etiam tametsi paulò diuersum; Breuiter, aut pluribus uerbis rem amplecti, quorum loco omnium complectendi uerbum esse potest. Amplecti. Inflammare tædas, vel inflammare classem, uel naues, & quæ similia sunt, ut etiam accendere lampadas, naturale est, sed inflammare odium, animos, populum, uel improbos ad seditionem, ad scelus, ad latrocinia, ad cædem faciendam, consuetiora sunt, quàm propria. Inflammare. Florere, stirpium est, & eorum, quæ nascuntur è terra, nescias tamen utrum sit magis usu tritum florere thymbram, rosas, lentiscũ, an quod est loco illius, quod est ἀκμάζειν, uel quod nos dicimus esse in honore, uel quoquo modo splendere, ut florere Italiam ingenijs, potentia, opibus. Florere. Auspicari, vsum habet

enim confirmare corpus,& confirmare milites dicatur,illud tamen ad uires,hoc ad animos militum pertinet. Itaque pacem confirmare, uel amicitias,uel familiaritates,uel ciuium animos, uel cætera huiusmodi,magis vsitatè dicimus. Est etiam apud oratores,uel dialecticos,aliquid rebus,testimonijs, rationibus, aut argumentis probare: vnde est confirmatio vna ex partibus orationis. Non erat quomodo M.Tullius Verris cupiditatem, aut Pisonis libidinem plenius, euidentiusque diceret, nisi ad alienum uerbum, & equis proprium confugisset,quod est adhinnire ad pecuniam,ad frumentum, ad furta omnia. In Pisonem uerò; Itaque admissarius iste simul,atque audiuit, à philosopho uoluptatem tantopere laudari,nihil expiscatus est, sic suos sensus uoluptarios omnes incitauit, sic ad illius orationem adhinnijt, ut non magistrum uirtutis, sed auctorem libidinis à se illum inuentum arbitraretur. Extirpare, intendere, continere, erigere, frangere, erudire, offendere, & mille sunt in quibus noluimus vsu tantùm illo, quem habent à natura,esse contenti,& à rebus cæteris ad animum,atque animi partes trãslulimus; quemadmodum influere,& effluere. Exprimere,uel extorquere ueritatem, & animi sensa ratione exprimere,aut rem uersibus, aut Pompeium,& clarißimos uiros arte pingendi, à trãslatione accepimus. A' similitudine autem Terentius,& nostri omnes dixerunt;

Adhinnire.

Extirpare cum multis.

Extorquere.

Quæ à similituaine ducuntur.

Oratio hæc me miseram exanimauit metu:
à similitudine etiam Virgilius;

Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.
Hic enim, quod hominum erat gementium, propter similitudinem uocis, cantui auium, ibi, quod mortis est, perturbationi, ac timori tribuitur.

Impone-re. *Ceruici imponere nostræ:*
& onus imponere, aut exponere, ita proprium fuit, ut cætera ad transferendum pertineant omnia, ut imponere vulnus, plagam, dominum, leges, uectigal, seruitutem, partes, iniuriam, contumelias, laborem, nomen. Immò adeò maximè translatum est illud in sermone frequens, onus alicui esse impositum administrandæ prouinciæ, aut gerendi belli, non minus, quàm esse impositam necessitatem: nec translatione caret, quoties pertinet ad fallendum, ut; legibus perniciosissimis obsistitur, maximè Catonis, cui tamẽ egregiè imposuit Milo noster. Non persequar hic plura, nec necesse est, & satis esse arbitror, si intelligatur, plurima verborum milia, & maximã sermonis copiam nobis perire si, quæ hactenus exposita sunt, negligantur. Maximè danda opera est, vt quæ propria sint, quæue transla ta recipere conueniat, ne ignoremus. Quæ semper translata sunt. *Plurima sunt enim, quæ dubites, vtrum ex proprietate, an ex translatione dicantur: multa præterea quæ uidentur esse propria, quæ tamen sunt alicũde translata, nec ijs unquam propriè sumus usi.* Abunda-re. *Abundare enim pecunijs, abundare otio, abundare*

dare audacia dicimus. Quid cõmune habet abundare cum pecunijs, cum otio, cum rebus cæteris? An ignoramus quid propriè sit abundare, nec id ab undis eſſe ductum ſcimus, ut etiam affluere à fluxione aquarum? Vtimur hoc quidem propriè aliquando, at abundare omnino proprietatem reliquit, ſolam trãslationem retinuit. Iam negligendi uerbo, ſi propriè utendum ſit, relinquamus neceſſe eſt, illa vſu quotidiano trita, negligere vitam, negligere opes, amicitiam, facultates, ut ſolùm (quæ nemo hactenus in hãc ſententiam dixit) negligere literas, epiſtolam, libros, uel picturam dicamus. Mille huiuſmodi per ſe quiſque inueniet, quorum ſi etymologiam ſpectes, unde uera, & antiqua proprietas cognoſcenda eſt, nihil propriè dictum videbimus. Sanè lubricus eſt hic locus etiam, quòd rebus quamplurimis, eiuſmodi nomina data ſunt, quibus nominibus ipſa rerum proprietas non eſt expreſſa. Pauca enim ex M. Varrone uideamus. Nam iuuencus ab eo dicitur accepiſſe id nomen, quod iuuare ad cultum agri poſſit. Alia tamen ſunt multa, quæ ſimiliter proſunt, iuuenci nomine carentia. Verumtamen illa hic proprietas eſt, quòd nulla res eſt alia, quæ iuuencus dicatur. Quare & ſi plura etiam pedes lædant, ſatis proprium tamen eſt, quòd lapis tantùm, à læſione pedum nomen acceperit. Aliæ quoque ſunt beſtiæ, quæ à pedum leuitate aut à pedum uolatu quodam nomen habere potuiſſent, ſed pro-

Neglige-re.

Multa nõ propriè à maiorib. etiam di-cta ſunt.

propriè, lepores, vulpesque ita nominari placuit. Esto igitur proprietas illorum nominum, aut uerborum, quæ unas tātùm res significare possunt; quorum vis ad rem aliam si deriuetur, eam esse translatam dicimus. Porro quæ transferuntur, iudicium, & ualde consideratam rationem requirunt, vt quemadmodum nomina, quemadmodum uerba noua, & insolenter facta uitamus; nec sine ueterum, doctissimorumque hominum auctoritate recipimus, & eorum exemplo, qui necessitate adducti, aliquid nouarunt, sic translationes uitandæ sunt omnino, quas non ratione simili inductas eße uideamus. Nouandi enim, & transferendi uenia non temerè omnibus, sed quibus dictum est, & ubi neceßariò fit, permittenda est. Illud præterea uidendum, ut ne durè nimis aliquid transferatur, id quod ne antiquitati quidem Cicero concessit, vt; Nolo morte dici Africani castratam esse remp. Nec remotas à doctorum consuetudine translationes, sed communi etiam, diuturnoque vsu tritas amplectemur, & quas plurimorum, atque eruditorum consensus mollierit. Nobis uerò perfecta sermonis latini scientia, rationeque summa adhibita, ipsam necessitatem uolo esse transferendi magistram. Illud hic postremum sit, hanc partem, & omne genus translationum minimè negligi oportere. Triplex est enim ratio locupletandi sermonis: una est analogia, quùm formamus noua, similia ueteribus: altera ὁμωω-

Est quoq; translationum proprietas quędam.

Triplex uia est locupletandi sermonis.

μία, quoties vno uerbo plurima significare possumus, tertia posita est in translationibus, & huiusmodi in loquendi figuris. De prima satis arbitror duobus prioribus libris disputatum, secundam & tertiam deinceps vsque ad hunc locum sumus persequuti. Non leui coniectura ducor, ut credam Varroni solam, quæ ex analogia, est, copiam fuisse propositam. Moueor enim quòd libros hac de re suos inscripsit de copia uerborum. Ego uerò quum translationes &, ac figuræ, de quibus dictum est, loquendi, immensam, neque analogia minorem afferant opem sermoni, quamquam ijs uerborum numerus maior non fuit, meos libros esse uolui potius de copia latini sermonis, utramque partem complexus, ut & studiosis nouitate verborum infinita prodessem, & eos ad alias etiam æque magnas, & splendidißimas loquendi opes excitarem, quæ omni in genere transferendi, uarietate tractandi, ac significandi innumerabilium sine dubio, locum uerborum tenent, cupio ex his cognosci, me, quod Varronis ingenium, atque doctrinam assequi non poßim, nec satis fortasse librorum illius ὑπόθεσιν diuinare, illa saltem addere prætereain hos libros uoluisse, quę (nisi coniectura sum falsus) ille sibi tractanda non putauit, & profectò etiam, magna ex parte, alia nostro, alia Varronis seculo necessaria fuerunt. Nam sermonis latini doctrina, atque usus tum erat illustrior, & nunc (ut sæpe iam docui) propter mutatas leges,

Iterũ, cur non de copia uerborum, ut Varro, sed de latini sermonis, hos libros inscripserit.

Cur hoc seculo necessarium sit, sermonis de lati ni copia scribere.

leges, cerimonias, religionem, ius Pontificium, & res nouas, quas esse natas plurimas, necesse est: fieri non potest, ut non uerba etiam noua desiderentur. Itaque fortassis nostra, & Varronis tractatio prorsus eadem esse non potuit. Συνώνυμα autem illa, quorum exempla Quintilianus attulit quædam, sciens prætermisi; quòd hic, non multa uerba, unum ad sensum coeuntia, querenda sunt, sed quę singula rebus plurimis accommodentur. Qui enim συνώνυμα colligit, eodem loco præsertim orationis simul frequentata, ambitiosè id quærit, ut superuacaneis uerbis abundare uideatur: qui ὁμώνυμα autem, id studet, quod maximè necessarium est, nequa res uerbo careat. Fateor illum prodesse aliquid suo loco, ut in oratione tota fastidium leuet, nimis crebra unius repetitione uerbi natum; sed hic maximè curat, uerba ut noua, aut quæ uicem teneant uerborũ, deesse minimè poßint. Illa enim quærenda copia est, quæ singulis rebus necessaria, non quę uni rei superuacanea tribuit nomina, & impropria. Nam copia nulla est ea, quæ nihil de rebus lumine uerborum carentibus cogitat. Quod autem ad proprietatem attinet, frequentia sunt illa, ensis, gladius, mucro. Sint hæc tria unius loco uerbi: quid cætera? Quota enim quæque sunt, uel tria, uel duo, quæ significando idem prorsus efficiant? Num porta, ostium, ianua? Num ager, uilla, aruũ? Riuus, flumẽ, amnis, fluuius? Pelagus, mare, salũ, pontus?

Cur συνώνυμα contemnenda esse uideantur.

Q. MARII CORRADI VRITANI,

De copia Latini sermonis,

AD CAMILLVM PALAEOTVM,

Liber Quintus.



Vemadmodum latini sermonis copia adiuuanda sit, uel nouatione, uel translationibus, uel formis quibusdam loquendi, uel multiplici notione, varioque usu uerborum, satis arbitror iam quatuor superioribus libris explicatum esse. Nunc sequitur, ut antiquissima persequar illa etiam, quibus non sæpissimè accidit, ut posteritas vteretur, moneamq; rerum nouarum, si qua uel docti homines, uel nos ipsi noua faciamus nomina, aut verba, ea pro latinis esse oportere. Quando igitur, his in libris omnibus proposita semper nouitas est, quam libentissimis animis amplecti debeamus, nec defuturi sunt, qui nobis repugnent, his profectò,

De antiquissimis uocibus.

Disputat auctor cōtra obtrectatores linguæ latinę.

leges, cerimonias, religionem, ius Pontificium, & res nouas, quas esse natas plurimas, necesse est: fieri non potest, ut non uerba etiam noua desiderentur. Itaque fortassis nostra, & Varronis tractatio prorsus eadem esse non potuit. Συνώνυμα autem illa, quorum exempla Quintilianus attulit quædam, sciens prætermisi, quòd hic, non multa uerba, unum ad sensum coeuntiã, querenda sunt, sed quę singula rebus plurimis accommodentur. Qui enim συνώνυμα colligit, eodem loco præsertim orationis simul frequentata, ambitiosè id quærit, ut superuacaneis uerbis abundare uideatur: qui ὁμώνυμα autem, id studet, quod maximè necessarium est, nequa res uerbo careat. Fateor illum prodesse aliquid suo loco, ut in oratione tota fastidium leuet, nimis crebra unius repetitione uerbi natum, sed hic maximè curat, uerba ut noua, aut quæ uicem teneant uerborũ, deesse minimè poßint. Illa enim quærenda copia est, quæ singulis rebus necessaria, non quę uni rei superuacanea tribuit nomina, & impropria. Nam copia nulla est ea, quæ nihil de rebus lumine uerborum carentibus cogitat. Quod autem ad proprietatem attinet, frequentia sunt illa, ensis, gladius, mucro. Sint hæc tria unius loco uerbi: quid cætera? Quota enim quæque sunt, uel tria, uel duo, quæ significando idem prorsus efficiant? Num porta, ostium, ianua? Num ager, uilla, aruũ? Riuus, flumẽ, amnis, fluuius? Pelagus, mare, salũ, pontus?


Cur συνώνυμα contemnenda esse uideantur.

Q. MARII CORRADI VRITANI,

De copia Latini sermonis,

AD CAMILLVM PALAEOTVM,

Liber Quintus.



Vemadmodum latini sermonis copia adiuuanda sit, uel nouatione, uel translationibus, uel formis quibusdam loquendi, uel multiplici notione, uarioque usu uerborum, satis arbitror iam quatuor superioribus libris explicatum esse. Nunc sequitur, ut antiquissima persequar illa etiam, quibus non sæpissimè accidit, ut posteritas vteretur, moneamq; rerum nouarum, siqua uel docti homines, uel nos ipsi noua faciamus nomina, aut verba, ea pro latinis esse oportere. Quando igitur, his in libris omnibus proposita semper nouitas est, quam libentissimis animis amplecti debeamus, nec defuturi sunt, qui nobis repugnent, his profectò,

De antiquissimis uocibus.

Disputat auctor cõtra obtrectatores linguæ latinæ.

fectò, quæ postremo huic libro mandata sunt, maximè omnium explodenda esse uidebuntur. Nam, quia sic disputant, qui nostram hanc linguam rebus humanis omnibus defunctam uolunt, non posse arefactis radicibus plantam nouo germine frondescere, nolunt stulti, atque ignari homines usquam, aut, ne in cœlo quidem, esse amplius, quo uitam esse latinitati aliquam, uel nasci posse quid ex mortua putemus. Stultos omnino homines, qui ineptißima vnius uerbi translatiuncula, ut radices arefactas dicant, confectum contra nos esse negocium omne suæ disputationis arbitrantur. Scilicet nulla maior est æternitas linguæ nostræ, neque causa grauior, nec difficilius toto ex orbe terrarum euellitur, quàm uel rubus, uel vrtica paululum radice uitiata. Quæ (per fidem) sententia, quæ ista disputatio est? Quæ cætera in hanc linguam pueriliter ab omnibus, insulseque iactata? Feci equidem stultè aliquando, vt istorum disputationes legerem, quas ut leuitatum omnium plenas cognoui, nihil magis apud literatos me pudet confiteri. Istorumne tanti sit futilitas hominum, vt à quoquam legi, à nobis autem ut refelli debeat? Ego mehercule erubescendum puto, istis aliquid respondere, & nunc, minimè refellendi, sed potius gratulandi nobis felicitatem sermonis, immò adeo etiam apud mortales omnes gloriandi causa dico, nihil in rebus humanis

nis omnibus, Romana lingua esse præstabilius, & hanc nullis ante seculis, ne stante quidem adhuc Romano imperio ita, vt superioribus his quinquaginta annis, & nostro potissimum æuo floruisse. Hæc, nostra, & patrum nostrorum memoria, poetas, hæc oratores eloquentissimos tulit, hæc non dico ex Italia, Hispania, Gallia, sed tota etiam ex Europa scriptores in disciplinis omnibus dedit, quotidieque doctißimos parit eos, quorum gentes omnes exteræ doctrinam sequentur, omnis posteritas nomen, & gloriam admirabitur. Quòd si cum istis barbariæ patronis ita insaniam, ut latinæ linguæ radices aliquas nominare uelim, illud interrogarem stultos homines, utrum ex arefactis radicibus tanta semper quotidieque augescens viriditas, tanti odores, tanta omnis generis fructuum ubertas ad nationum omnium, totiusque generis humani commoda venire poßit? Quare non intelligo equidem putidiusculas indoctorum hominum translationes, quibus nostro sermoni radices tribuunt arefactas, quando etiam in iure ciuili, & Pontificio, in historia, in mathematicis, in Philosophia, in scientijs omnibus, in cerimonijs, ritu sacrorum, & ingenijs omnium Europæ doctissimorum hominum, & illorum præterea qui de religione scribendi auctores, primi fuerunt, ita radices altè fixit, ita sursum ramos egit, ut ipso in cœlo etiam frondescere,

In rebus humanis nihil præstabilius lingua latina.

Longe lateque diffusa est lingua latina.

scere, ac fructus uberrimos ferre uideatur. Quamobrem non me illa in sermonis latini felicitate noua iactabo amplius, vt solebam, quòd is cum religione, sacrisque omnibus ad oras ultra Auream Chersonesum, & extimos auroræ terminos, uel quòd Oceani Atlātici insulas: terrasque ab omni æternitate abditas penetrarit, quum sit illud multò excellentius, quòd, quamquam hæc ita non forent, necesse tamen est hunc in terris omnibus cum religione esse sempiternum. Tanta'ne impudentia igitur poterit esse cuiusquam, tanta obstinatio, uel fatuitas, ut nullam sermonis latini uitam esse dicat, nouaque ex eo uerba ferri non oportere existimet? Equidem nullos vsquam uolo terminos esse necessariæ nouitatis; quid igitur in hoc libro uelle debeam, ubi in tanta nouitate rerum nominibus carentium, nulla relicta est libertas deliberandi, quid uelle, ac statuere pro nostra uoluntate debeamus, & undique imperium cogit necessitatis? Illud stultißimè adhuc iactabunt exaruisse iam diu nescio quas nostræ linguæ radices, nec ramos ferre nouos posse, nec frondes. Nolo eiusmodi cum hominibus disputare. Etenim quia semel sum confessus, legisse me, quæ isti in nos scribunt, legi equidem omnia, uel eorum, qui linguæ latinę cultum non ferunt, uel eorum qui latinitatem esse nullam uolunt; qui sic agunt nobiscum, ut si respondendum

dendum sit, non dialecticum, non oratorem, sed scurram è petulantissimis aliquem in eos pro causa latinitatis aduocandum putarem. Ego enim, qui fieri potest, ut quæ in religionum libris uerba noua sunt, non probem, à uiris præsertim sanctissimis, doctissimisque inuenta? Vbi nomina desunt, quamplurimis nostro, aut superiore seculo natis rebus, pœna mihi, uel doctis hominibus ignoscenda est, qui necessarium latinitati uerbum inducunt? Quæ uidentur apud Catonem, Plautum, & antiquissimos obsoleta, (si necesse sit) renouare & à Græcis transferre metuam? Cur enim deesse querimur ea, quibus ipsi nos carere uolumus? Cur splendorem uetustatis illum negligimus? Nam qui fraudibus, mendacijsque uteretur, uulpinari eum ueteres dicebant. At, sunt, inquiunt, huius loco alia, & quidem vsitatiora. Non eo inficias: & illa magis cupio probari, sed nunc ego genus tantùm cognosci volo eorum, quæ nostri quondam reliquere, & sunt multa, quibus aliud nihil substituimus. Nam tuburcinari verbum non habuit postea, quo dicialiter posset. Exenterare autem, cognoui ante nos à doctis viris esse reuouatum, & cui necesse erit, is poterit nihilo minus, quàm illud quod exequiari dicebant, quasi postliminio recuperare. Verbum frequentabatur olim mulierandi, cui subiecta uis erat nefandissima.

Meridiare in usu tantùm fuit veterùm, sed non displicuisse id M. Tullio inde cognosci potest, quòd is meridiationibus uti se cœpisse scribit, quod argumentum ualere etiam in verbo succussandi potest. Nam, vel suo, vel antiquorum est vsus iure, vt succussum diceret. Verminare autem, aut vermiculàri vsum habet necessarium. Eliminare etiam, aut elixare, non multùm à longinquo reuocari possunt, vt nec lupari, cuius loco tamen, sunt scortari, vel meretricari. Quod olim fuit auerruncare, magnos quoque auctores habuit post seculum Varronis. Nam antea Cicero, & Liuius id non rarò vsurpabant. Conuasare elegantissima Græcorum imitatione dixerunt, quod apud illos est συσκευάζειν, nec ratio subest vlla, qua id vitare debeamus. Nec aspernandum est quod Plautus, atque alij veteres pro δισκοκιμάζειν eluere dicebant. Februare etiam fortasse à Romanorum ad nostræ religionis vsum transferre poterimus. Mærare apud illos fuit, quòd nunc est mærore afficere, illo modo, quo beare, & infelicitare dicere solebant. Iam cur nitidare fastidiendum sit, vel recentare, vel sospitare, causa dici vehemens non potest. Nam adorare qui tantùm poetis & historicis relinquendum putant, ij nos in religione mutos esse volunt, sin colere satis esse pro illo credunt, vim uerbi utriusque minimè intelligunt. Var-

ronis est uerbum clupeare, deglubere, & alia quæ mirere. Duplicare, triplicare, quadruplicare, multiplicare à nemine uitata sunt. Præsentare quidam dixerunt, alij absentare, Plautus incomitiare, inforare, oscillare, quadruplari. Si pauimentatam Cicero porticum dixit, is profectò nec pauimentandi uerbum timere debuisset, ut nec proximandi, decuriandi, centuriandi, procrastinandi, diloricandi, timuit. Mihi quidem Varro sępissimè, M. Tullius, & C. Cæsar animum faciunt ij, quos in eò sunt omnes eruditi homines postea imitati, ut se se una tantùm causa à uerbis nouandis continerent, si necessitas nulla omnino subesse uideretur. Quid ergo non recipiatur quod emarginare, obscænare, congenulare, dicere quibusdam placuit, uel quod fenestrare, quod æruscare, quod discuneare, quod picare, quod exarmare, quod ferrare, quod ignominiare, quod illatebrare, quod fistulare, & medicis suppurare, dicere necesse fuit: sed non persequar longius hunc locum. Illud cognosci tantùm uolo, si uerba non desint, quibus uti commodè possimus, tentari antiqua, nisi interdum elegantiæ, & uarietatis causa, non oportere: sin egere nos contigerit, & suppeditet antiquitas necessaria, ijs ualde contentos nos esse debere. Quę enim uel superbia, uel amentia est Catonem auctorem, uel Plautum, uel Teren-

tium, uel Decemuiros legum ferendarum contemnere? Illos, qui latinæ linguæ parentes fuerunt, ita magno etiam cum incommodo nostro repudiare audebimus? Ego uerò diligenter, quæ apud illos uerba sunt, cognita esse & notata, & in locum eorum, si qua nobis desunt, censeo reponi debere. Atque etiam, ne uidear nimis magnam alijs ueniam hactenus dare, aut mihi ipsi petere uoluisse, aliud est multò maius, quod petam, quodque necessariò concedatur. Nam vt nomina etiam hic verbis adiungam, ad eaque reuertar, quorum infinita copia superioribus libris demõstrata est, omnium generum auctores peruolitandi nobis erunt, vnde ex his plura cognoscamus. Quanta manus ætate etiam nostra doctorum hominum esse cœpit, eorum qui stirpium nomina docerent, uel piscium, uel eorum, quæ sunt abdita in uisceribus terræ, uel rerum cæterarum? Illa, qui ignoret, non est, quòd se abundare multùm existimet. Aegritudinum quoque appellationes, & corporis humani, & membrorum, & articulorum, & uiscerum, unde nisi ex medicorum libris habere cognita poterimus? Nam & corporis humani sectiones minutissimas, quam uocant ἀνατομὴν illi exercent, & Oribasius, nullam, uel minimam, uel indiuiduam prætermisit in eo partem, cui non suum, ac proprium nomen aßignarit.

Voces diuersarum rerũ à professoribus artiũ sunt petendæ.

Cæli

Cœli partes, ac sidera, & stellæ, quibus quæque nominibus distinctæ sint, non aliunde, quàm ex astrologorum disciplina cognoscemus. Vrbium quoque, regionum, montium, syluarum, maris, litorum, fluminum, & partium orbis terræ nomina, ignoremus necesse est, nisi ex antiquis geographiæ auctoribus petantur; nec dicere aliquid ex iure ciuili quisquam, forensibusve actionibus potest, qui à iurisconsultis loqui de his non didicerit. Neque tamen offendamur, quoties eueniet id, quod sæpißimè eueniat necesse est, ut nouè quædam omnibus in disciplinis dicantur. Orationem enim aliud grammatici, aliud oratores uocant. Ratiocinationem uerò, & συλλογισμόν, dialectici sibi quasi propria uendicarunt, nec eadem περίοδος est, quam medici habent in ore, & quam rhetores, & ἐντελέχεια tantùm à philosophis nominatur. Plurima sunt huiusmodi, quæ uel singulis tantùm seruiunt disciplinis, uel ad unam ex ijs, mutata ratione transferuntur: & à Zenone & antiquißimis philosophorum accepimus, nomina etiam inaudita suis in quæstionibus esse excogitata, ut ne miremur, quòd ij de medio sumpta, ad philosophicas scriptiones traducta, philosophorum esse propria uoluerunt. Decem sunt rerum prima genera, quibus nomina ex

usu communi dederunt, substantiæ, quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, perpessionis, loci, temporis, & quæ sequuntur. Quid propositiones dicam, sumptiones, conclusiones? Quid mille, quorum aperta proprietas, quo iam dixi modo immutata, obscuratur? Nec de architectura, de cultu agrorum, de genere uestium, nauigiorum, uasorum, rerumque cæterarum omnium hoc loco dicere necesse est, quæ proprium ad locum uolui reseruare. Nunc illud monendum est, omnibus ex partibus copiam nobis augendam esse, ut semper docti homines fecerunt. Illi enim hanc tanti faciebant, ut etiam à Græcorum sermone (cum quibus hac de re certabant) uerba mutuari eos minimè puderet. Nec ignorat quisquam, scalpere, sternere, lingere, ferre, prouidere, errare, gignere, strangulare, tingere, malaxare, potare, domare, mulgere à Marco Varrone inter Græca esse numerata. Hæc iudicio uoluntateque tantùm sua illi ueteres ad nostram linguam transtulere, quid putandum est, si (quemadmodum nos) religione etiam coacti essent? Illi profectò neque ἐκκλησίαν, neque εὐχαριστίαν neque βαπτίσματα, neque illa, unde nata hæc sunt, uel insolentiora uitauissent. Necessitati enim,

Ex omnibus partibus copia latini sermonis augenda est.

rebus ipsis, & religioni seruiendum fuisset. Dixerunt illi præterea angere, exantlare, induere, algere, duplicare: nec transferre nomina timuerunt, & cænæ, & latronis, & brachij, & generis, & pænæ, & epistolæ, & domus, & scholæ, & formæ, & agri, & necis, & rerum plurimarum ijsdem à Græcis acceperunt. Quid? non eadem ex Græcorum lingua sunt ephebus, epigramma, historia, metaphora, & omnium nomina figurarum? Nonne chirographa etiam nominamus, & hebdomadam, & ergastulũ, & hemicyclos, & chordas, phalangẽ, emblemata, characterẽ, symphoniacos, etesias, zonam, dibapham, syllabas, diadema, chorum, phaleras, ephippium, phaselos, dicam, tyrannos, cataphractum equitem, hyperboreos montes? Tympanum, lyra chelys, cithara, & quæ sunt huiusmodi musicorum nomina, ijsdem ex Græcis auctoribus ad nos uenerunt. Nec dicere nymphas necesse est, uel stomachum, uel zelotypiam, uel piratas, uel singrapham, uel architectos, uel philosophiam, uel cætera, quæ sunt profecto infinita. Nam prima illa duo ex rebus omnibus, quæ puri infantes dicere conantur, quum primùm mouere linguam, & ingredi, farique incipiunt, pater uidelicet, & mater de sermone Græcorum accepimus. Cur ergo nobis ueterum exempla non imitanda esse videantur? Cur nobis licere nolimus, quod maioribus licuit? Quod

Quædam ex Græcis mutuati fumus.

Quod maioribus licuit, etiã nobis conceditur.

enim

enim ad auctoritatem attinet, ut nobis ēt liceat, hanc nobis uolo esse cum illis parem: necessitatem uerò, propter nouas res, aut postea cognitas, nemo dubitat esse maiorem. Quamobrem nulla causa est, ut egere malimus, quàm auctores tantos, in re tam facili & necessaria (si modo necessaria sit) imitari? Res accidit, quæ suò apud nos uerbo careat? Stultè facimus, si carere patiamur, & maiorum exempla, atque auctoritatē uitemus. Quapropter inspiciamus hunc locum, & exempli tantùm causa ex Græcis non multa trium generum tractemus. Aut enim græca omnino vsurpanda nobis erunt, ut illa, quæ ne literis quidem nostris olim dicta sunt, quale, est, si ἀριστοκρατίαν, vel si ἐριαύχενας, vel id genus plurima dicere uelimus, aut recipienda erunt similia ijs, quæ sunt ut rhetorica, syllogismus, epicherema, aut prorsus latina ex græcis facienda erunt, vt quum συλλογισμὸν ratiocinationem, ἐπιχείρημα aggreßionem diximus. Tria hæc genera paucis hoc loco absoluam, quę tamen quando iam sic à me, pro eo ac uisum est, distributa sunt, memoria teneri quidem hanc distributionem uolo, sed promiscue tamen tribus his de generibus tractabo. Ac primum non ita curiosos esse nos oportet, ut quoniam Βατραχομυομαχίαν dicere non possumus, dolendum credamus. Hoc sit unum ex ijs, quæ solum Grecè dicantur. Quis præterea inuideat αὐτότατον

Trib. modis Græca nomina usurpamus.

illud

illud, quod pueri ex Aristophane dedicerunt? Nec absunt ab his illorum, ne oratores quidem. Demosthenis enim illa sunt, εἶναί τε τὸν φίλιππον αὐτὸν, ἡράκλεις, ἑλληνικώτατον ἄνθρωπον, δεινότατον λέγειν, φιλαθηναιότατον. Iam φιλογνώστας, πλατυγάστορας, χρυσοκλέπτας, plurimaque huiusmodi, & quod attinet ad uerba, καταμαρτυρῆσαι, ἐγγαμίσαι, νηπιάζειν, μακαρίζειν, γαστρίζειν: qui nostris uerbis dici posse neget, equidem ne multis disputem, & largiar quæ fortasse non debeam, esto sanè, ut uolunt, modò illud nolint. Græcos uicißim concedere nobis altera tanta non oportere. Hæc igitur, & quæ numerare longum esset, quoties necesse sit, ita dicamus, quemadmodum Græci dixerunt, & latinè dum loquimur, vt quondam Romani plurima, sic nos quædam esse græca nostro in sermone patiamur, vt φιλαυτίαν, ἀρεσκείαν, ῥοδοδάκτυλον, aurotam, ἀδωροδοκίαν, & similia ponamus. Nolo tamen hic nimium nos esse timidos, ut quæ nouare aptè poßumus, prætermittere uelimus: nec tamen, si idem omnino uerbum nõ fiat, quod apud Græcos est, cedendum putemus. Nam φιλογνώστην antiquo nomine, studiosum dicere, non in locis omnibus uerendum erit, χρυσοκλέπτης etiã aurifur à Plauto nominatus est. πλατυγάστορας autem, uel antiquitatis more, uentriosos, uel Põtani auctoritate, uentriculosos, uel ex analogia eorum, quæ secundo libro dicta sunt, uentrones

Romani plura, sic nos quædam esse Græca in nostro sermone patiamur.

vt dicamus, permittẽdum nobis erit, ut Frontones, Labeones, Capitones, Lurcones. Pro eo uerò, quod ἐγγαμίζειν est, despondere nostri dixerunt, nec maritandi uerbum omnino uitauere. Si repuerascere dicatur nõ idem esse, quod νηπιάζειν, tractatione tamen fieri potest, ut alterum poni alterius loco possit, vt μακαρίζειν, & beare, γαστρίζειν, & obligurire. Non enim displicet, quod nobis consilium Quintilianus dedit, vt si cubi à Græcis copia vincamur, dandam esse operam, vt ingenio vincamus. Et si repugnet hic auctor, & contra rectissimam M. Tullij sententiam existimet plura deesse linguæ latinæ, quàm græcæ, ubi tamen difficultas esse parum doctis uideatur, illius hanc præceptionem ualde profuturam sciamus. Poterunt ergò docti homines adhibito studio, plurima latina facere, quæ nemo antea sit ausus, uel fortaße maioribus non accidit, ut nouarent. Ατεκνία, pro locis, atque vsu uario, uel orbitas, uel infæcunditas, vel sterilitas dicenda est ex eo, quod Poeta dixit;

Sterilemque tibi Proserpina vaccam.

Αδωροδοκίαν, Cicero, non uerbum, sed quod efficitur ex uerbo sequutus, integritatem dicere consueuit. Dolent mihi, quod ἀβασίλευτα dicere non possimus, quasi uerò non tantum hæc efficiant, quantùm ea, quæ libera ciuitas, populus, prouinciaque dicitur. Non enim illa, nomi-

nis

nis græci ratio sequenda fuit, uel (quod fieri sæpius necesse est) aliam, & occultiorem ad sermonis latini uim respiciendum erit. Nam Græci (quod exempli vim habere volo) apertissima uoce βλαψιγονίαν *dicunt, &* ἀρτοποιὸν, & φιλογυνίαν, & τυμβογέροντα *de quorum ratione, vix tā rudis græcæ linguæ potest esse quis, dubitare ut possit. Apud nos uerò alia, & magis abscondita ratio est, ad quam adhibere non nullam cogitationem oportebit, nec statim, ut aliquid nacti sumus tale, desperandum putemus. Ex his enim quatuor, illud primum neglecta illa* γονῆ *sermonis græci, neglecto etiam* βλάπτειν, *abortum nostri, abortionemque dixerunt: quod secundum est, uoluimus, non pinasicem, (vt illi) sed pistorem esse. Tertium ratione illa, quæ nostra est, mulierositas fieri potest. Quartum esto, si placet senex capularis, esto, (nisi doctiores nolint) silicernium. Græcā præterea copiam sequimur, non græcam uocem imitamur; in his excordes, uecordes, socordes, uecordiaque, ac socordia pro ijs, quæ* βαρυκαρδίαν βαρυκαρδίους, *& huiusmodi cæteris dicere solemus, ut nec uoces eędē, nec eadē ratio uerborū est, quum Terentius mulierem temulentam dixit, & quum Achilles apud Homerum illud Agamemnoni exprobrauit;*

Tectiora sunt latina Græcis.

οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων.

βωλοκοπίας, *aperta rō est, occationis obscurior,*

ut

ut inter δυσήλιον, & opacum, φιλοδοξίαν, & ambitionem, βαλαντιοτόμον, & saccularium, φιλανθρωπίαν, & humanitatem, γλυκυθυμίαν, & mansuetudinem aut lenitatem, δυσόμιλον, & difficilem, ξυσσοδομάοντα, & cogitabundum, δωροδοκίαν, & largitionem, uel corruptelam, in uerbis autem βασιλεύειν, & parere, γιγαντιᾶν, & sæuire βοτανίζειν, & runcare, γαλακτοτροφεῖν, & lactare: quid simile (quod ad uoces attinet) hic in re nostra & illorum? Profectò aliqua etiam ē dissimilitudo, ut non tam prorsus eadem quæri à nobis debeant, quàm ea, quæ ponere illorum loco possimus. Occurrat igitur fortaßem ibi hic aliquis, obijciatque inopiam latini sermonis me indicare, qui fatear eadem omnino cum ijs, quæ sunt apud Græcos, non eße quæ iam ostendi. Hoc parum acutè, imprudenterque diceretur. Nam si hæc nostra, Græcorum uerbis non respondent, nonne fit etiam uerba esse illorũ, quæ nostris paria esse non queant? Cur enim ratio hęc mihi potius obsit, quam tibi? Hęc eò dicuntur, ut uerba neque illorum ad nostræ, nec nostra ad illorum sermonis consuetudinem, atque vsum facta esse cognoscamus, & esse plurima, quæ plus habent, uel minus in alterutra, nec omnia mutuas omnino sibi notiones reddere, ita ut μέλας, & niger, ἄνθρωπος, & homo, quibusdam uerò nos, aut illos carere. Quamobrem nunc illud ago, ut ab ijs mutuemur, quæ nobis

desunt,

desunt, aut imitando, ex nostra ipsorum lingua, eruamus, quę oportet, ut à κληρονομεῖν, hęreditare, αἰχμαλωτεύειν, captiuare, si necesse sit, & captiuitatē ne formidemus, χηρεύειν illi, uel χηροῦν dicunt, quare nec Horatio quidem, aut Virgilio uiduare metuendum fuit. Talia nouandi nullum uidetur mihi quidem esse debere finem, ijs dumtaxat, quibus perfectissimè cognita latinitas est, ut ueterum doctissimis, qui ὀδοντιάζειν, & ὀδοντίασιν quum apud illos uiderent, ipsi quoque dentiendi uerbum, dentitionisque nomen aptissimè fecerunt. Incommodū Theodoro uisum est, quòd linguæ nostræ generale nomen deesset, cui thymbrū, serpyllum, thymum, & stirpes huiusmodi subijceremus, quæ maiores, quàm herba sunt, & minores quàm frutex, Gręci φρύγανα hęc uocant. Placuit homini utriusque linguæ doctissimo plantis eiusmodi nouum suffruticis nomen dare. Non pudeat nos Latinos homines à Gręco doctore aliquid latinè discere. Et profectò nominum hęc nouatio Gręcis hominibus consuetior est, quàm nostris. Nihil enim apud illos tam vulgare est, quàm uel nomina alia ex alijs facere, uel quæ de se ipsis orta sunt proferre, & noua prorsus, & nondum audita in medium adducere, nec est ex ijs, qui uerborum crebra nouatione interdictum sibi esse patiatur. Egregiè tenent hanc partem, iureque in ea etiam gloriantur, seseque felicissimè exercent.

suffruticis nomen à Theodoro nouatum.

cent. Quare equidem, nihil tam cupio, quàm de Græcis auctoribus hanc nouandi rationem arripere. Theodorus quidem, (vt me offenderit, quòd falsò inopem eße latinitatem scripserit) in eo tamen latinitati profuit multum, quòd nos ad uerba nouanda excitauit, idque nostro in sermone pulcherrimè fieri posse docuit. Hic τραγίζειν, *apud nos caprire eße uoluit: pro* κοκκύζειν, *cuculire traditum à veteribus quibusdam probauit, & pro* ἱππομανεῖν *equire, quod Horatius* περιφραστικῶς *dixit;*

Solet matres furiare equorum.

Vermipara etiam animalia, ouipara, & viuipara apud Aristotelem, & Theophrastum dicere est ausus. Quemadmodum verò αἰγοθήλας *poeta Catullus caprimulgos, ita etiam* ἱπποθήλας *hic equimulgos fecit.* ὠδῖνας *præterea, ut secundo libro docuimus, parturigines uertit,* ὑποχόνδρια *subcarthilagia. Animal autem, aliud fissipes fecit. Quid enim aliud,* σχιζόπουν *vel* μώνυχον *faceret? Quæ autem* κακόποδα *apud illos erant, ea depeda nominauit.* ἱππομανὲς *illud apud Virgillium;*

Plura, & rectissimè Theodorus nouauit.

Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus;

Et matri præreptus amor;

pullium dixit, vt apud suos Græcos, ἀπὸ τοῦ πώλου πώλιον. *Iam forceps, & triceps, vnum à capiendo est, alterum à capite. Hinc ab eo, quo-*

niam

liam αἰγοκέφαλος à Græcis dicitur, & βουκέφαλος, buceps ductum est, & capriceps. Vt σκυζᾶν illi, & κιττᾶν, sic non dicere voluit canire, & picare, cuius in secundo prima syllaba sit longa. Nam picare à pice, correpta est. Auem χρυσαλίδα latinè aureliam fecit. Denique plurima hic, & pulcherrimè nouauit, & cum Aristotelis, & Theophrasti libris ad Nicolaum V. Pont. Max. misit. Vetus autem est orata, συνεκδοχικῶς dicta, quæ χρύσοφρυς nominatur, quoniam in parte sola capitis, auro insignis videatur: vetus peniusula, quæ à nomine χερσόνησος aptius latinè dici non potuit. At Peloponnesi, quia nō generis est nomen, mutari non debuit, vt nec (exempli causa) maris Aegæi, Mæandri fluminis, Strymonij lacus, Olympi montis, Platonis philosophi. Quæ enim ad res personasue singulas referuntur nomina, semper eadem esse in linguis omnibus oportebit, vt sunt Roma, & Corinthus, Virgilius, & Homerus; nisi quòd maiores nostri Deorum nominibus ita sunt usi quibusdam, ut sunt à Græcis inuenta, ut Iapeti, Apollinis, Ledæ, Nerei, Charontis, quibusdam prorsus latinam in uocem conuersis, ut Vulcani, Mercurij, Neptuni, Iunonis: quibusdam paululùm immutatis, ut Latonæ, Plutonis, Proserpinæ, Esculapij. Hominum uerò sunt apud nos uerecundiora, apud illos expreßiora. Marij enim, Antonijque, vnde nomen sit, for-

tasse quærendum esse uideatur, ac Clytomachi, Zenonis, Polybij, Theodori, nemo est quin uideat. Nihil insolens in nostris, immò adeò infra modestiam sæpe, ut in Porciorum, Hortensiorum, Lentulorum, & Fabiorum nominibus, quædam originis historiam notant, vt Sergiorum, & Cluentiorum. Græci sua laudis plena alicuius esse voluerunt. Nam Αριστόβουλος, & Αριστοφάνης, id uoce ipsa promittunt, forma, & consilio excellens, ut eorum nominum Romanos puderet. Quid verò θεόφραστος? Quid Αριστοτέλη? Et si fines hic bonorũ, & philosophiæ, ille dicendi suauitatem Dijs immortalibus parem teneat, nostri tamen erubescendum crederent, id nomine etiam ipso profiteri, numquam sine diuinis laudibus nominari possent. Age, non repudietur Αριστοφάνης, & uiro etiam formæ laudem dari non turpe credatur, θεοφάνης autem, qui dici uoluit, aut nomen id non inuitus tulit, eum non credimus humana forma, quæ potuit esse præstantissima non contentum, diuinæ etiam formæ laudem tacitum quæsiuisse? Διογένης appellatio ea est, vt si nobilitas vniuersi generis humani, uel bonorum uirorum omnium uirtutes vnum in hominem conferantur, eum decere nomen id non poßit. At sunt (ut iam dixi) Græcorum hæc expreßiora, & bonarum significatione rerum, nominata rectius, & suauitate coniunctionis dulcia. Nolo hic esse longior, & quũ

amauerint nostri latentiora, significatione tamen obscura, atque (uti iam dixi) uerecunda eadem penè, quæ Græci suis in nominibus esse uoluerunt. Theopompos illi suos fecere, nostri occultius primùm, deinde modestius Pompeios, illi Theophrastos, illi Chrysostomos, nostri Liuios, aut Lepidos, illi Chrysippos, & (quod superbissimum est) Chrysogonos, nostri Aurelios dixerunt, & profectò suauitate pronunciandi nihil potest esse præstantius. Redeo tamen unde sum digressus, ut Græcam linguam plurimi faciamus, & illius auctores imitemur, & quemadmodum illi solent, nullum nostræ linguæ uerbũ deesse patiamur. Atque hactenus id actum est, ut uias docerem plurimas, uel à me ipso quæsitas, uel à Theodoro, uel ab alijs, tum ueteribus, tum nouis, mihi demõstratas, quibus aut omnino græca usurpemus, aut ea in latinam declinandi formam uertamus, aut Græcorum loco uerborum, quæ desunt nostro de ipsorũ sermone eruere noua sciamus. Illud hic postremum sit, ut plura, uel duo coniungendi incommodum, atque asperitas uitetur, nec dura nobis permitti uelimus, ut uetus est illud, incuruiceruicũ pecus, nec minus durum; Terrigenam, herbi gradam, domiportam, sanguine cassam. Duo hic priora, nemo reprehendit, sed quod Hesiodus, cochleam φερέοικον dixit, nimis durè domiportam dixere. Fecerunt etiam aliquando, ut græco nomini,

aliud à Græca lingua nomen daret, & quæ apud eos γήρια, pappi à nobis dicerentur. Accidit nonnunquam, ut illorum ὁμώνυμα distinguamus. Illi enim à superiore mundi parte nomen transferunt ad partem oris, & hanc etiam οὐρανὸν dicunt, quorum nos illud cælum, hoc palatum dicimus. Significauit etiam Cicero in libris de natura Deorum, de nostris quosdam antiquissimos sic loquutos esse; Epicurus inquit, dum palato quid sit optimum iudicat, cæli palatum (vt ait Ennius) non suspexit. Nil tam commodè, ac tam de proximo transferri potest, quàm quos fætus auricomos poeta nominauit, ut mutuò sibi respondent, aurifer & χρυσοφόρος, pontifex, & γεφυροποιός, noctiluca, & νυκτολαμπὶς, pennipes, & πτερόπους, itemque breuia, & βραχέα, vt;

In breuia, & syrtes urget.

Difficilia animaduerti uisa esse veteribus illa medicorum uerba γαργαρίζειν, & ἀποφλεγματίζειν, quamuis medicina magnam partem Græca sit, personam tamen si maiorum nostrorum induere, & auctoritatem assumere doctissimi homines uelint, nullum erit uerbum in scientijs, nullum in rebus omnibus, quod latinum facere non queant. Sed redeo ad quæ nostra sunt, & à parum doctis hominibus vitantur. Pacificare non est quòd raro fuisse in vsu olim credatur, quando & pacificatio sæpius, & pacificatores

Pacificare

res leguntur. Contrarium est inimicare, quod grauissimos etiam habet auctores. Suppurare medicorum est, unde suppuratio, & suppuratoria medicamenta sunt: & verbum pauimentandi ad ædificationes pertinens, & palare apud rusticos est, uitem, arboresve palis fulcire, & alia uoce, palari hominum est, aut pecudum, huc, illuc errantium, ut illud poetæ;

Siculis errant in montibus agnæ.

Causificari Plautus etiam in re seria est usus, ne uerbis ludere existimetur, ut in Persa, barbarum hominem iocans induxit, qui uerba se cõtortuplicare diceret. Illud autem, quod est participandi, sanè quàm uetus fuit, boni tamen sunt auctores, qui etiam post Ciceronem eo sunt usi. Supinandi non est qui non legerit: contrarium uerò, quod pronandi fuisset, repudiare nulla ratio posset, nisi modo quodam eius loco pandare esse videatur. Differunt inter se aliquid spissare, & condensare, sed ita, vt pro locis alterum dici pro altero interdum poßit, & hinc spissum, & spissamentum fecerunt, itemque spissationẽ, & spissescendi verbum. Erat in vsu ueterum pandiculari, quod est propter imminentem accessum febris, uel somni, uel propter laßitudinẽ ex nimia quiete natam, toto corpore distendi. Hoc si non recipiatur verbum, non erit aliud, quo dicere id possimus. Tumultuandi est auctorum omnium: Non ita autem vt superiora,

Pausare.

ra, necessarium est pausare à græco τοῦ παύειν; sed auctoritatem habet uetustatis. Dixerunt idem veteres etiam dapinare: nec tam mirum, quod pelliculandi uerbo sunt usi, quàm quod etiam obturare id esse uoluerunt. Pernoctare usitatum est, sed fecere etiam una tantùm discrepante litera, perennare, & perannare ad res perpetuandas utrumque pertinens. Nec verminandi, nec verandi, nec rumiferandi, aut resibulandi, reditandi, rebitandi, nec reculcandi, plumandi, pellincendi, præceptandi, pustulandi, satullandi, procrastinandi, vel strigillandi uerba timuerunt, nec abstinuit Liuius à recellendi, nec alij auctores à potionandi. Regenerare consuetum in sacris, ex usu reijci non debet, quod auctores etiam grauissimi probarunt. Pipire alij auium pullis, & pipillare Catullus paßeribus dedit; sed elegia extat antiqua, ita elegans, vt Ouidij credatur, in qua uerba ad plurimarum cantus auium commoda dicuntur. Nec uolo contemnat quis reciprocare, regelare, rotundare, quadrare, restipulari, replumbare à bonis auctoribus inuenta, probata, in usum recepta. Nã aut his utare necesse est, aut afferas, quæ magis probem. Vbi enim vsitatiora sunt, non sequor minus usitata. Quare non reprehendo, quod rurandi Plautus verbum fecit, & illo potius utor, quod fuit apud omnes rusticandi. Pilare ea ratione dicitur, qua dentire paulo ante diximus,

Pipire, & pipillare.

Vbi sunt usitatiora, non debemus sequi minus usitata.

ximus, qua etiam capillare, uerminare, verrucare, carbunculare, spicare, stagnare, stillare. Id quod est ruspari, à ruspatu gallinarum ad cogitationes, indagatusque hominum veteres transferebant. Eadem à præpositione, aut similitudine sunt innumerabilia, subridere, quod nemo uitauit, sufflaminare, quod morosiores putant Senecæ, & illius ætati concedi non oportere, suffriare, quod utrum latinè dicatur Ciceronis indices, tamquam fastos esse consulendos credunt, suggillare, quod unde natum sit cumque, nihil esse uoluerunt, si auctores mille receperint, modò id suis in fastis quesitum inuenire non possint. Contraria à præpositione sunt superbire, & superstitare. His carendum erit, vt stultæ indoctorum hominum superstitioni gratum fiat? Immo etiam & illud, quod est superficiare bonis auctoribus concedendum puto. Iam uanare cur, aut olim amisimus, aut nunc esse neglectum patimur, nec restituimus? Contrarium huic fuit uerare quod ἀληθεύειν esse diximus. Nec idem prorsus est uanare, & mentiri, quæ differant necesse est, quemadmodum coniugata nomina, uanus, & mendax, quæ duo rectè poeta discreuit, ut;

Superbire & superstitare.

> Nec si miserum fortuna Sinonem
> Finxit, uanum etiam, mendacemque improba finget.

Tintinnire,& tintinnare.

Tintinnire, & tintinnare à sono vocis dicta sunt, vt mugire, vt coaxare, vt plurima. Et cur nos, ut lapidare, vt arietare, vt simili ratione multa, non sagittare etiam dicamus? Pro Græcorum illo ῥαθυμεῖν, pigrandi verbum Cicero etiam esse uoluit, nec Virgilius, & boni auctores quidam fœcundare timuerunt, nec fucare, filare, interlucare, sarcinare, dapinare, atque ut dealbare, denigrare, candidare, sic etiam infuscare. Non feramus Virgilium, quod sine auctoritate Ciceronis inspicandi uerbum illo præsertim sensu usurpauit, ut;

Ferroque faces inspicat acuto.

Inforare & incomitiare.

Inforare etiam, & incomitiare, aliud alio ex principio natum, efficiunt, quod est in foro, aut in comitijs infamem reddere. Hanc nos copiam sermonis tantam, atque (vt ego quidem statuo) infinitam, facimus imprudenter, si negligendam putemus. Quod si quis mihi idem obijciat, quod in meis scriptis, nihil, aut paucissima soleam nouare, huic referam, quod uerum est, numquam accidisse, quod nouandum esset, nec omnino placet mihi nimia, & superuacanea, à meque sæpius iam reprehensa nimium audax nouandi licentia. Nouitas enim esse ulla non debet, nisi quæ necessitati pareat, quæ si necessitas cogat, apud eos, qui rite, ac prudenter hoc faciant, nullum esse finem cupio nouitatis. In meis autem, uel quorumcumque

cumque doctorum hominum scriptis, rem nullam esse uolo nouam, cui uerbum deesse nouum patiar. Noua sunt apud nos tintinnabula ex ære campano primùm facta, quibus dierum statis horis populum ad sacra, ad rem diuinam, ad conciones in templa conuocamus. Hæc porrò unius sunt generis, rectéque omnes, campanas uocant. Sed machinæ similiter æneæ, quibus utimur ad subruendas munitiones, displosu pilarum; ex diuersitate uel magnitudinis, uel formæ, nominibus multis dicuntur. Vno generis nomine inuẽtores primi bombardas dicere uoluerunt. Miror cur id nomen vitatum postea sit à doctis quibusdam. Ipsi certè aptius nihil dixerunt. Ego autem Romanos ausim affirmare, nomen, quo palàm nunc utimur, non grauatè fuisse accepturos. ita enim eleganter ignis, & fragor, ea nominis etymologia expressus est, vt nihil neque expressius, neque sonantius potuerit. Sub illo genere, species fecere plurimas. Has quum opus erit, homines docti scrutabuntur, & unicuique nomen accommodabũt, quod ipsis uidebitur, & quod maturè, prudenter, doctè, & considerata ratione uisum erit, id latinissimum putabunt. Ego enim uias tantùm aperire institui, unde per se quisque inueniat, quod oportet, non singulis rebus nomina inuenire. Nam quod in præceptiones cadere potest, hoc mihi solùm retinui, quod autem erat infinitum,

Ad noua, trãsitus fit nomina rerum nouarum.

Auctor uias tantũ aperit in libris istis.

Nomina tormentorum bellicorum.

iudicio doctorum hominum reliqui. Mihi tamen hic scloporum non displicet nomen, uel canonum, uel colubrinarum. Quasdam basiliscos dixerunt, quasdã præteruolantia, quasdam mortaria, seu propter similitudinem aliquam, seu quia omnino carere nominibus minimè debuerunt. Hic ego cæteris, quæ nomina docti, ac latini homines fecerint, ea doctè, ac latinè facta esse iudicabo. Difficilior fortasse textilium nominatio erit, & vestium, quas non vidit antiquitas Romanorum. Inuenere tamen hæc nomina à genere nendi, texendi, tingendi, aut à lanæ, liniue nobilitate, aut à locis, vnde ad nos afferuntur. Aliud enim panni, uel telæ genus filo tenuissimo conficitur, aliud crasso, vnde leuidensia extitere. Telam uerò illo more dictam uolo, quo Terentius dixit;

Lana, & tela uictum queritans.

Varia nomina telarum.

Semper genus aliud, aliud nomen habeat necesse est.

Sedi ego sæpe cum textoribus, atque ab ijs lentè, & fastidiosè genera cognoui plurima telarum. Illi me discrimina docebant, etiam ex uaria liciorum forma, atque pectinum. Licia monstrabant, pari numero, bina, quaterna, sena, octona, ac deinceps. Mouebat me igitur, quod apud Poetam est;

Loricam consertam hamis, auroque trilicem.

Ternis

Ternis ergo ex licijs, uel quinis, uel septenis, uel pluribus quid fieret ostendebant. Illud etiã, formas uidelicet rerum quasdam, textu, ac filorum ordine, uel suis in textrinis, uel Mediolanensibus; uel etiam extra Italiam repræsentatas. Nam spicarum modo plurium fila intexunt, quæ spicę in laneis uestibus propter uillos minus apparent; nisi iam usu detritis, folijs etiam quasi roris marini, idest λιβανώτιδος, quædam se contexere dicebant: itemque longa, & continuata serie quadrangulorum, eaque subijciebant oculis omnia. Virgatas quoque, aut binis quincuncibus, ac multiplici decusse telas monstrabant, longißimè decussatas, aut orbiculis, aut rerum figuris aliarum plurimis distinctas. Multo plura his, nisi à textoribus demõstrata, non puto me cogniturum fuisse. Illud addebant præterea, ut alio motu pedum, idest in ilium alterna depressione, alijs figuris tela distingueretur. Tramæ filijs lentissimè intextis fiebat, ut neutra ex parte stamen appareret: ijsdem insertis filis in pectinum dentes singulis, uel binis, uel pluribus, aut ex interuallo, binis, pluribus ve simul, aliud fieri telæ genus necesse est. Quin & à filorum numero deno, uiceno, septuageno, octogeno, centeno, texturæ quædam nomen acceperunt. Denique ex his, quæ dicta sunt, quæque possunt obseruari subtilius, multæ, uariæque nominum possunt esse causæ, quæ non solùm nobis, uerum

ipsis

ipsi etiam inter se textoribus vsui esse possent; quibus multo maior nominandi varietas in suis officinis necessaria est. Quod autem ad infectores attinet, sunt ex purpurarum, uel muricum, uel ostreorum, vel coccini succo uestes, etiam indoctis hominibus cognitæ, nec illarum, uel dibaphæ nomen ignoratum. Alia à similitudine colorum, aut à floribus nomen accipiunt, vt ianthina, & à uillorum copia holosericum uillosum diximus: tonsum uerò, quod lenißimum est, facillima uerò nominatio est sumpta à locis, unde uestes afferuntur, nec dicere opus est Florentinas magno hodie in usu, aut Venetas, aut undecumque ex regionibus, ac locis extra Italiam allatas. Postremo tamen eo redeundum est, ut multa ex his, quæ dictæ sunt, rationibus uestium nomina eruamus infinitarum. Nec mihi de copia sermonis latini præcipienti, aut uestium nomina quærentibus negligendum est, quod homines docti, rem (ut ipsi uocant) uestiariam accuratè literis mandauerunt, & præter cæteros philosophi quoque nonnulli de coloribus disputarunt, à quibus circa uestium genera nonnullam opem petemus. Musicam, & musicos cantus cognoscere, & latinè dicere puto quidem esse difficilius. Mutata est enim artis illius tota ratio, nec ferè multum habet, quæ more ueterum dicantur. Nam si de instrumentis etiam agatur, nulla omnino hæc cithara,

Musicæ ratio mutata.

thara, aut lyra eſt ad eam, qua Orpheus apud Virgilium utitur;

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina uocum.

Hic enim imitati ſunt ueteres concentum, qui ex ſeptem fit orbium conuerſionibus, ut ſeptem chordis illum repræſentarent. Nec ſilentio (ut cum Cicerone dicam) tanti illorum motus incitari poſſunt, & ſeptem efficiunt diſtinctos interuallis ſonos, qui numerus, rerum omnium ferè nodus eſt. Chordarum nomina fuerunt, ſi à luna ſurſum aſcendatur, hypate, parhypate, lichanos, meſe, trite, paranete, nete, multò magis illa differunt;

Iamque eadem digitis, iam pectine pulſat eburno.

Quid enim eſt hodie, quod illo modo pulſari ſciamus? Phrygios uerò modos, Lydios, & quos in libris antiquorũ ſępe legimus, niſi à pręſtantiſsimis muſicis Italiæ, ac doctiſsimis minimè cognouiſſem. Hos tamen extra concentus muſicos & canendi uſum intelligere quis poſſet magis, quàm docere: ſed hic, & ſimilib. in reb. diligẽtiã ei, qui latinè, & copioſè loqui uolet, neceſſariã putamus. Non maximi momenti, nec doctrinæ exquiſitionis illa ſunt, quæ non muſici tantùm, ſed ne grammatici quidem omnes ignorare poſſunt, quę in cantib. & ſaltatione ſunt πυῤῥιχίζειν, τροχαΐζειν, δακτυλίζειν, σπονδείζειν. Nemo

enim

enim tam hebes est, quàm pyrrichius, trochæus, dactylus, vel reliqui pedes latere poßint, siue singuli, siue plures continuati, siue alijs pedibus commixti, quoties in sermonem, in saltatiunculas, vel in cantus musicos incurrant. Ipsos mehercule pueros documentum capere à tubarum sono, uel à tympanis cognoui, in quibus, quoniam tertio, uel summùm quarto quoque pede sit reditus ad primum, ista multò est facilius cognoscere. Omnino autem apparet, quanta sit in rebus nouis, aut mutatis, uerborum difficultas, quæ tamen sit facillimum inuenire. Nec laborandum nobis est, quòd ignari homines, & barbariẹ defensores exprobrant, quæ non intelligunt. Abundamus enim uetere copia, ac tanta certè, quanta olim apud maiores nostros fuit: abundamus his, quibus dictum est uberrimis fontibus analogiæ, vnde infinita etiam copia nascatur. Superant nobis mille viæ, quibus vel ipsarum usu rerum cognito, uel caúsa, uel materia, uel effectionibus notatis, uel etymologia, & his, quibus opus est animaduersis rebus omnibus, ipsi mediusfidius Oceano aquas deficere necesse sit potius, quàm latinitati copiã uerborũ. Caremus tantùm quib. ipsi uolumus, uel quib. ij, qui scriptis religionẽ stabiliuere Græcis, quã latinis uti, in sacris maluerunt. Sed quid dicas tamen, si paucorum loco, plurima sunt in promptu, quibus rectissimè utamur? Vias modo te-

παῤῥησία. Abundantia latini sermonis.

neamus,

neamus, quæ sunt hactenus demõstrata. Illud etiam seruemus, ut quæ noua sunt ad similitudinem uetustatis aliquam, atque vsum conformemus. Accidit enim apud nos, ut propter contumaciam, scelusue commissum aliquod, homini ipsa legis, aut Pontificum uoluntate, ac sententia ingressu templi, sacrorum vsu, & communione hominum interdicatur, eaque labes, more antea fortasse inaudito, hæreat in animis. Cum ijs, qui sermonem communicare sciens audeat, eodem scelere tenebitur. Hos, diros homines, qui latinè loquuntur, dixerunt, alij detestatos, alij, non malè abominatos, alij sacros, alij aliter. Primum certè, quod posui, nomen a diris fuit: hinc est diris illigare, diris obligatum esse, diris soluere. Facile hic iuuentu fuit nomen ex recta latini sermonis scientia, & res ipsa olim similis, aut penè eadem ex historia, & C. Cæsaris commentariis est apud exteras nationes cognita. Fuere in ueterum libris religionum, qui futura prædicendo, huius nouę religionis omnem statum, nobis ante multa annorum milia ante oculos ponerent. Nihil simile fuit vnquam in Romanorum libris, uel Græcorum? Immò adeo nimis etiam erãt multi, quibus falsa quoque prædicentibus credebatur. Quanta uel populorum quorumdam, uel Druidarum ubique historia est? Quanta uel in Troia Heleni, & Caßandrę, uel Thebis Tiresiæ, uel in Syria,

Erãt olim diræ, ex iure Pontificio earum quoque gentium, quę nostrã religionem ignorabant.

Syria, & Aegypto Babyloniorum, qui nō diui no tamen instinctu, sed arte obseruationeque siderum de futuris iudicabant? Quanta in Hetruria, aruspicum, extispicum, augurum? Quanta vbique ariolorum? quanta alijs in orbis terrarum partibus mentio Sibyllarum? Ex illorum hominum nominibus factum est, vt nostri etiā quemadmodum illi vates dicerentur. Vtrum uerò Pontifices, vtrum sacerdotes dicere non debuimus, quoniam hæc extra religionem sunt nata nomina? Minimè inquam. Si enim hoc timendum esset, nihil nostris de rebus, nihil de religione dice re latinè possemus. Quamobrem, ut à Romanis uetera illa sanctissimi homines acceperunt, ita nos posteritati noua, à nobisque inuenta relinquemus, uel dubia, & nondum recepta probabimus, vt ostiarios etiam, lectores, adiuratores, admissosque non barbarè, & necessariò dici putemus. Fuerunt qui urbes, & hominum cœtus, ac frequentia veriti sunt, ne sibi ad cœlestem in terris agendam vitam obeßent, & montes habitare, solitudines, desertaque loca maluere. Hos Græcorum doctissimi, quòd soli uiuerent, aut in solitudine, μοναχοὺς dixerunt, et receptum hoc nomen à nostris est, illis videlicet, quibus accidit aliquando, ut hoc de genere hominum latinè scriberent. Quis hoc audeat reprehendere, nec recipiendum esse credat? Res quidem ipsa minimè leuis est, nullumque tēpus,

Nomina corū, qui sacris ini tiantur in ecclesia.

donec

(donec erunt homines,) futurum est, quum in literis, & in ore omnium quotidie non versetur. Quid igitur eius rei nomen repudiandum sit, cuius neque vsus vitari potest, neque elegãtia, uel auctoritas hominum, qui id inuenere contemni debet? Equidem exuere nos cupio superstitionem, quæ necessariò exuenda est, huiusmodi nomina uitandi. Illi ipsi, quos dixi homines, qui in locis desertis vitam agunt, & illi, qui in vrbes postea reuerterunt, & omnium ordinum sacerdotes in more, & in legibus positũ habent, ut quotidie in templo rem diuinam faciant: hãc septenas in cuiusque diei, certasque horas habent distributam. Hic, non Romanorum exempla, quæ nulla esse potuerunt, sed ingenium, & ratio sola, nos ad loquendum adiuuare possunt. Nec ego legem alijs ponam, ut meam rationem sequantur, nec mihi interdictum uelit quisquam, vt nihil dicere meo arbitratu iudicioque poßim, qui alios tamen impedire nolim, & potius gaudeam, si multi studeant inuenire meliora. Sic enim persuasum volo studiosis, me uehementer cupere, non tantum præceptis, quàm tùm consilio, hortatuque, & ratione, ac uia patefacienda, efficere, ut literati homines per se ipsos uerba inuenire noua sciant, poßint, uelint, quoties oportebit. Nunc mea quidem ratio illa est, ut quando res diuina, quæ dicta est, precibus tantùm, & summi numinis, ac diuorum lauda-

Ingenium & ratio ad loquẽdum adiuuant.

tione, & gratiarum actionibus constat, quæ concept is uerbis fiunt, ne uereamur preces nocturnas dicere, quibus noctu operam damus. Alteræ circa auroram sunt, & ortum solis, quas non fortaße nolim matutinas dicere. Hora diei tertia, & sexta sunt, quibus ipsi etiam diuini auctores, à numero horarum nomen dederunt, ut tertias sextasque preces dicerent. Horarum tamen ratio cognoscenda est ueterum. Siue enim æstiuo, siue hiberno solstitio, totoque anno, semper duodenis horis dies, totidem noctes constant, ut sunt horæ æquinoctiales. Est hora igitur, ut in aſſe, duodecima pars longiſſimi, uel breuiſſimi diei, uel noctis, quæ fuit ratio in religionum libris, at diuinis etiam in scriptis obseruata antiquitatis. Binæ sunt præterea, quarum unas antemeridianas, mihi quidem, placuit nominare, alteras eadem ex ratione temporis pomeridianas dicere. Denique peracto iam die, ad vesperam quæ fiunt, nemini vespertina dicere, vsurpareque uerendum erit. Hebdomadæ nomen ex Græcorum sermone accepimus. Hanc nostri septimanam dicere sunt ausi, qui etsi non sanè multi sunt, illos tamen uehementer laudandos, & imitandos puto. Quæ tamen hoc loco dicuntur, sic accipi à religiosis hominibus uelim, quasi pueros doceam, quid latinitas postulet, & quomodo uel in historia, uel scriptione librorum, loqui Romanè oporteat, & in templis

Horarum uetus ratio.

plis tamen, quæ à sanctissimis quondam viris constituta sunt, cupiam esse sempiterna. Hebdomadæ septem diebus è siderum nominibus nomina dederunt. Nihil erat præstabilius, vnde sanctissimos dies nominarent, quibus hic honos certè haberi debuit, vt ijs non à terrenis rebus nomina darentur. Itaque luminosissimis desideribus, & ipsius cœli orbibus cogitatum est à doctis, vt opera diuina appellari deberent. Primus enim à sole, secundus à luna dies nomen accepit, rectè hoc inquam, nec pietas est læsa. At verò tertius à Marte, quartus à Mercurio, quos impiè quondam esse Deos credebant. Non assentior istuc equidem, nec Martem ipsum, vel Mercurium, sed illa siderum, & mundi lumina, summi artificis, atque imperatoris dei manibus facta, cogitari hic volo. An fortasse nunc cœli partes, resque tam diuinas ideò nominandas esse non putabimus, quia hæc nomina, cum illorum, quos dixi, & cum Iouis etiam, & Veneris, & Saturni nominibus ὁμώνυμα habentur? Nihil enim obesse putandum est ὁμωνυμία, quæ vel casu, vel necessitate, uel doctorum hominum consilio accidit rebus etiã plurimis, & grauissimis. Nam ipsis quoque in uatum prædictionibus, & sacrorum libris dij plures nominantur, quos detestandum nefas est habere pro Dijs, ὁμωνυμία tamen caueri non potuit. Esto, falsum est illos quidem esse Deos,

Dierũ nomina, magis pie à siderbus, quàm à Dijs translata putabimus.

quibus tamen alijs nominib. dici possent; primi rerum diuinarum illi scriptores non inuenerunt, quando iam impiè receptum erat, ut pro Dijs colerentur. Nec illa ratione vtor, qua olim Sadoletus, è collegio summorum antistitum vir pietate, & doctrina singulari. Is in eo libro certè aureolo, quem de liberis educandis fecit, consuetudinem se, & proprias Romanæ linguæ figuras sequi scripsit, vt non ualde reprehendendum putaret, alia quædam, & Deos etiam immortales, quoties accidisset, nominare. Sequebar & ipse quodam tempore summi viri auctoritatem, & iudicium. Nunc verò nihil postulo, ut mihi concedatur, & Romanæ linguæ formas, quæ profectò flecti, quo volumus vix possunt, cedere tamen cupio hic summæ tantùm religioni. Sed redeo, vt ὁμωνύμοις dicam nihil sacra, aut vllam veritatem lædi posse. Atque, vt à rebus hominum exempla sumantur, Adrastia Mysiæ quædam regio nominata est. Quid nomen hoc esse ducimus? Profecto quale sit cumque, malè ominatum creditur. At rectius existimare si velimus, non id à nemesi, vltione, inuidia, fortuna, vel ab eo, quod ἀδρασεία est, quæ (nisi doctis vehementer displicet) inefficacitas dicatur, sed à rege potius Adrasto, qui rex optimus etiam esse potuisset. Nec Pontifices Maximos, quorum summa, & augustissima potestas est, pudere debuit, quod credi posset à Romulo

Cardinalis Sadoletus.

Nomen Romani Pontificis à Romulo inceptũ est.

Romanos Pontifices nominari. Illi enim uel à Roma potius, urbe omnium clarissima, sic dicti sunt, vel (quod ferè accidit) res maximæ, & etiam cælestes à rebus vilissimis nomen acceperunt. Cur enim cæli pars alia Perseus, alia Andromeda, alia Calisto, à miserarum nominib. personarum, & mundi orbes à Ioue, & à Marte carnifice Deo nominati sunt? Sed profectò, seu casu ita accidit, vt fieret, seu prisci illi mortales, à rebus cognitis, uilibusque, nomina ad res incognitas, & maximas transferre debuerunt, non est, quod ratio hæc mutari amplius poßit. Nostra tamen est causa melior, qui nomina ad hos dies non à Dijs, quos olim falsò immortales dicebant, sed ipso à cælo, ac cæli partibus tra ducta existimamus, vt maximæ, diuinæque res nomen à maximis, diuinisque rebus acceperint. Illud hic præterea paulò diuersum est, quod nomina ab antiquorum falsis, inanibusque rebus, uel personis ad nostras, quæ ueræ sunt, & nobis à cælo sunt allatæ, plurima transtulimus. Quales enim, aut quid illi erant Pontifices Maximi Romanorum? Nomina tantùm, certè inania, quibus nulla subiecta res esset. Vnde enim illi Pontificatum, vnde sacra, unde aras, unde holocausta acceperunt? Quis Romulo, & Herculi, quis Ioui, & Saturno cælum dare, aut illos conditione peiore natos, quàm ulli mortales, in Deorum numerum recipere potuisset? Nihil er-

go aliud hæc apud illos, quàm nomina fuerunt, quibus tamen nos, uel unum Deum fabricatorẽ vniuersi, uel nostros heroas, nostros Diuos, nostros (quod fas dicere est) uerè Deos immortales, Paulo & Bartolemæo, Clementi, & Laurentio, Francisco, & Hilario, Cæciliæ, & Iustinæ æquales, nominare possimus. Illi denique veteres non tam sibi, quam nobis laborarunt, ut sacrorum, ut Pontificum, ut hostiæ, ut rerum omnium, quæ ad religionem pertinent nomina inuenirent, & orbes mundi, ac cœli partes, ijs quibus dictum est, nominibus distinctas esse uellent, & nomina eadem à cælo, ipsaque Dei sede, atque templo ad dies transferrent; quæ omnia cum ijs, quæ ante iam dixi, minimè, ne sanctißimi quidem homines uitare potuissent. Atque hactenus quidem id actum a nobis est, ut non à Dijs, hæc dierum nomina, sed ipsis à sideribus esse sumpta uideantur. Sed profectò etiam alia feruntur à bonis uiris, & ferantur necesse est, quæ mutari non possunt. Esto enim, ferri Narcißi floris nomen debuerit à puero natum, qui castißimus interijt: nec a Tyberino, Tyberis uitari, at Iacynthi fuit a puero, quem nimis ab Apolline amatum accepimus. Inter mille etiam, quæ afferri possunt, urbs Athenæ à Minerua, & tertia pars orbis terrarum a puella constuprata nomen accepit, ut Europa diceretur. Quòd si hæc ferri necesse est,

Nomina dierum à sideribus, sumpta.

quæ turpitudinis habent plurimum, cur ea non ferantur, quæ ipso à cœlo nomen traxerunt? Valeant igitur illi, quos dixi, cum doctrice sua diuinitate Dij, & nos dierum, religionis, atque siderum inuenta à doctis nomina teneamus, quæ si vitentur, obscuratio maxima astrologiæ præterea consequatur. A septimana, seu hebdomada uenio ad fastos. Apud nos puri fasti sunt, quibus tantùm quaternæ mensium singulorum septimanæ, festorumque dierum nomina, continentur. Pleniores illi sunt, qui rem diuinam totius anni, ante demostratam, conceptas precandi formulas, dies festos, Dei, vel Diuorum laudationes, remvè aliquam ab illis gestam diuinitus, vel festorum causas amplectuntur. Tertium genus fastorum esse voluimus eorum, qui sacra omnia singulorum dierum continent. His utimur, duntaxat ad aras, quum præter cætera crustulum tenue, ipsum in Christi corpus mirabili trium verborum carmine in manus nostras euocati conuertitur. Dies autem erant olim fasti, nefasti, comitiales, intercisi, quos endotercisos uocabant. Immò fuere etiam, qui fasti primò, & nefasti primo dicerentur. Nunc festos tantùm habemus, & profestos. Nefastos autem apud nos dicere necesse non erat, quòd festis diebus nunc illi continentur, & magis auspicato festorum nomine contenti esse debuimus; festi, & religiosi dies ita differunt, ut sacra, &

De Fastis

Dies anti-qui dicun-tur.

religiosa loca. Nam cinerales dies, quibus aliquid simile Plautus esuriales ferias nominauit, religiosos dicere potius, quàm festos oportebit, si constituamus festum diem propriè dici illum debere, quo opus facere prohibemur. Intercisi dies hodie, nulli sunt, quorũ horis quibusdã, id est quũ hostia cæderetur, fari olim, ac ius dicere non licebat. Ergo nihil fortasse ad illum pertinet morem, quod fieri consueuit apud nos, ut quibus religiosis diebus Pontifex iussit, mane, sacrorum ipso tempore, tabernæ clausæ sint, & nihil omnino operis fiat. Nunc verò nulli sunt, nisi indicantur, quibus indictis nihil agi fas est. Potest, qui velit, ad nostrum morem transferre, quos dies eo loco poeta intellexit;

Diuum templis indicit honorem:

& in secundo;

Nos delubra Deum miseri; quibus vltimus esset

Ille dies, festa uelamus fronde per urbem.

Sunt enim hæc nostri etiam moris, & nundinæ omninm gentium, atque temporum. Aliud seruatur genus festorum, quoties urbanum opus tantùm facere prohibemur, rusticum permittimur. Atros dies nominare, aut quouis modo habere, non fuit quod religio probaret. Illi notati olim in fastis erant propter insignem cladem, quam Pop. Rom. ab hostibus accepisset, vt si nos diem, quo Turcarum superstitio nata

Dies atri, qui dicantur.

est,

est, uel religio ex Africa, aut Aegypto amissa, uel Mahometes natus, uel à nobis in Germaniam ius imperij translatum, uel Roma postremis temporibus direpta, & sacrilegijs polluta, inter dies atros numerari velimus. Eorum, quæ hactenus dicta sunt omnium, generis loco ferias dicimus, quarũ si unde id nomen fuerit non satis constet, ex eo certè uerbo, quod à feriarum nomine ducitur, nemini dubia uis esse potest. Siue enim à ferẽdis epulis, siue à feriẽdis uictimis olim dictę sint, nullum ad quæ volumus affertur lumẽ. Quod aũt à ferijs est, quodq; feriari dicimus, ad cessãdũ refertur, ut à studijs à labore, negotijsue publicis. Quare ita statutũ ueteres habebant, ut feriarum, festorumque dierum ratio in liberis requietem haberet litium, & iurgiorum, in seruis operum, & laborum. Nullum hic operæ pretium arbitror de partibus mensium, kalendis, Nonis, & Idibus admonere. Transeo igitur ad festorum dierum nomina, quorum apud nos duplex ratio est. Vt enim de ijs, quæ indicuntur nihil dicã amplius, uel de ijs, quæ stata sunt, aut errorem lunæ sequuntur, de ijs quæ postrema sunt, primum dicatur, quo loco non uererer equidem dicere, Prid. Paschalia, aut ipsis Paschalibus me accepisse à Trebonio literas. Quinquaginta hinc diebus interpositis, illa sunt, quæ Iacobus Sadoletus, homo

Duplex ratio dierũ festorum.

mo e Cardinalium collegio sanctißimus, priore libro de laudibus philosophiæ sic latinè protulit, ut Floralibus manè se in hortos Galli uenisse scriberet. Hoc si ab ijs dumtaxat qui latinè discunt, receptum sit, & summi uiri iudicio, & auctoritati detur, ne illi quidem fortaße errauerunt, qui medium inter priora duo festum diem reducis uidelicet in cœlum Christi, doctorum hominum exemplo Ambarualia dixerunt. Esto hoc tamen ut uolet quisque, ego quidem sic inuenio à doctis hominibus scriptum aliquando fuisse. Ambarualis enim hostia, & Ambarualis sacrum erat, quod pro frugibus quotannis fieri solitum erat. Ad illius enim rei speciem, atque vsurpationem aliquid in consuetudine mansit quibusdam in locis, vsque ad hodiernum diem. Siquid tamen hic non placeat nouari, nomen saltem à me uetus, & relictum antiquitati commemoratum esse credatur. Relinquo cætera doctis hominibus. Nam panis in Christi corpus, & uinum in sanguinis naturam uertiuertitur. Diem, quo id fieri cœpit, festum esse religione sempiterna uolumus. Festi diei nomen illius latinum videtur literatis hominibus uix posse fieri, quod plura nomina in unum conflata nomen ea forma, qua Terminalia sunt, & Compitalia non rectißimè simul coire poßunt. At ego non uno de hoc nomine, quod liberum

omnibus

omnibus relinquo, sed quibuscunque de alijs omnibus responsum uolo, qui sic existimant, eos falsò existimare. Nam plurimas habet etymologia in nominibus componendis uias. Rarò enim addendo, sæpius mutando, detrahendo, & in angustum plurima cogendo munus conficit suum: sæpe etiam vix relinquit, unde agnoscas quibus alijs ex nominibus nomen ductum sit. Quis enim uideat linteum (quando Varroni credendum est) à terendo esse nominatum, quod corpore teratur, & peregrinum à pergendo, quasi uerbum hoc solos ad peregrinos pertineat, nec cætera, quæ induimus terantur? Vides ergo quàm longè repetita in his ratio est, & obscura? Nos uerò nimis morosi in fingendis nominibus, tractandaque analogia, etymologiaque sumus. Quòd si tamen hæc forma nominum, ad quæ uolumus, interdum non satis idonea esse uideatur, sunt etiam aliæ, quibus uti possimus. Nam & Quinquatrus etiam dicebantur, & Regifugium, & ferias in Sicilia in C. Verris honorem institutas, Verrea scribit Cicero esse nominatas. Sunt præterea, ut Caprotinæ, Latinæ, Sementinæ, sunt ut Dionysia, ut Lemuria, sunt ut opeconsiuæ, ut Quinquertium, ut Armilustrum, ut Fordicidia, Septimontium. A Iano pręterea, à Mercurio, à Venere, à Diana, à Ioue, & à multis nimium esse dura nominum forma uideretur, qualis ea est Termi-

Etymologia habet plurimas uias in cōponendis nominib.

Obscura sæpius etymologia.

nalia

nalia, Fontanalia: nec prorsus hoc loco alienum est quod Apollo, nihil simile his, quæ dicta sunt; sed ludos tantùm habuit Apollinares. Plures nominum formas posui, quò retinere ex ijs commodißimam quamque possimus, & minus aptas reijcere. Kal. Nouembr. dies agitur festus Diuorum omnium, seu minorum gentium, seu maiorum. Postridie eius diei Parentalia sunt, quibus defunctorum omnium manibus iusta facere solemus. Deinde ad eumdem Lunæ cursum, nouem septimanæ religiosorum dierum Paschalia antecedunt: quatuor ex ijs retrorsum eundo numeramus à septuagesima; ad quadragesimam verò ubi uentum est, numerandi finem facimus. Sex reliquæ suo, rectoque ordine à prima ad quartam ueniunt: quinta à tormentis Christi, & morte nomen accepit: postrema, ipsoque die solis memoria illius agitur diei, quum is puerorum acclamante multitudine, cum palmis, est in urbem Hierosolymam ingressus. Hunc ego diem rectissimè à doctis Palmaria dictum esse arbitror. Statæ feriæ, ac religiosi tantùm dies præterea illi sunt, qui à Decembri ineunte, usque ad viij. Kal. Ian. idest, natalem Christi diem interponuntur. His diebus literati homines, & qui præter latinissima, candidißimaque ferre non possunt, nomen inuenient, aut formæ illius, qua Liberalia sunt, aut Quinquatrus, aut Regifugium, aut Verrea, aut Quinquertium,

Parentalia

quertium, aut Sementinæ, aut quod nunc est, nomen esse patiantur. Necesse mihi non est omnia dicere, & meum esse uolo tantùm, quid fieri poßit admonere. Pauca, unde via se aperiat ad infinita, & ea quæ duritatis aliquid habent, studeo mollire. Quę maximè in promptu sunt, ea probare ipse, & exempli loco alijs esse uolui. Nam post illos dies qui dicti sunt, Natalia sequuntur. His nomen è re ipsa natum est, quod loco, & aptè positum ferri magis debet, quàm illa sanctißimi uiri Sadoleti, quæ dicta sunt, Floralia. Tametsi hæc non ferri modò, sed laudari etiam debent omnia. Non postulo enim, ut hæc in rei diuinæ, & sacrorum libris reponantur, sed quando uetus, & perfecta latinitas restituta est, quæ Romanorum fuit, & quamplurimi hac ætate omnis Italiæ, & Europæ homines doctißimi, literas omnino relinquere malunt, quàm non Romanè scriberè, illud ego prouideo, ut in epistola tantùm, historia, & rerum eiusmodi tractatione aliarum, ijs ratio non desit latinißimè scribendi. Nec religionum solos, uerum etiam rituales libros, & quæ sunt in templis, omnia cunctis mortalibus sacrosancta cupio uideri. Tantùm ago, ut ijs nunc faueam, qui humanis de rebus quibuscumque, ut sunt plurimi ad solam nati elegantiam, nisi candidè, & latinißimè scribere non possunt. Subinuideo etiam Romanis, qui suis de rebus luculen-

tißima oratione scribunt. Cupio non eos tantùm qui pro religione mortem libentißimis, & ultrò accurrentibus animis appetiuere; sed etiã tenella ætate uirgines, quæ pro ijsdem sacris pietate, & Christi nomine, nulla Principum odia, nullos cruciatus, nullum genus exitij uitauere, non minus, quàm Atilios, quàm Decios, Lucretiasq́; oẽs, nostris in scriptis, & ma estate quadã orationis triũpharet. Cupio nostros homines existimare, nihil esse, quòd sibi, uel copiã deesse sermonis, uel artificia componendi, uel splendorem dictionis, uel formulas, quas dixi dierum festorum, vel ornamenta Romanæ antiquitatis, ad perfectè sanctißimis, nouisque de rebus conscribendum conquerantur. Itaque nunc ea uideamus, quæ sequuntur. Octauo post Natalia die, nomen si quæri debeat, is tantùm uiderit, cui latinè scribendo id usurpare neceße sit. Ego mihi uideor non ualde neceßariam præstare operam, si omnia, aut etiam si multa uelim dicere. Formas, & rationes ostendi nominum, unde iter patefiat ad quæ non dicuntur. Illud moneo solùm, auctores esse quibus placeat à munerum consuetudine, quę tum agitantur, illum diem nominare: muneri porro, strenæ uocabulum dedisse. Hic me doctis hominibus ęquum præbere debeo. Cur enim id non latinum esse credam? Non eo Romani ueteres stante adhuc rep. sunt usi? Hoc si concedam, commodi

peri-

periculo unius uerbi copiam discamus. Ego enim, qui permitti nobis uolo noua, alijs, tametsi non perfectißimis auctoribus, concedi nõlim? Et negem alijs, quæ mihi noceant, si negentur? Gratiam potius habendam ijs fateamur, qui pro lingua latina, commodisque nostris sese in reprehensiones conijciunt indoctorum. Qui autem idibus Ian. dies festus est, eius nomẽ uitandũ non esse decet, quod ex latinis poetis quidam nomen ἐπιφανείας fabulæ in Theatro dedit. Romanam uocem siquis malit, ei ratio multiplexque uia, qua id faciat iam deesse non poterit. Ante cinerales dies, nec legitimi, turpesque sunt ludi, quibus propter nimiam omnis lasciuæ licentiam nemini laborandum est, quod nomen ijs honestum inueniat. Credo propter licentiæ similitudinem Lupercalia hæc nonnulli dixerunt, quidam Liberalia, quidam rectius nomine etiam turpiore. Sanctißimos cognoui homines, ac doctißimos, qui dicerent, uideri sibi illorum dierum licentiam occulto furiarum instinctu inductam esse, quo se de cineralium proxima religione ulciscerentur. Honestiores animi exhilarationes circa iij. idus Nouemb. compotationibus tantum fiunt. Hæc Saturnalia fuerit, quæ non timuit Pontanus, uel cæteri Martinalia dicere. Nam ea, quæ Vinalia Romani dicebant, quum bina essent, priora mense Aprili, altera Quintili agebantur. Differunt etiam,

Lupercalia ante dies cinerales.

quòd

tantum hinc capere licebit, ut securi, & alieno quòd illis hæc erant loco sacrorum, nobis uerò hæc tantùm voluptatis. Liberum tamen relinquere volui, siquid hic docti audendum putent. Illud quoque est in more positum religionis, vt ineunte, Februario inauguratum eo die à sacerdote in sacris cereum quisque accipiat. Eius diei religionem, apud Romanos vsitatam, aiunt, quum auferri non posset, in Virginis matris bonorem à nostris Pontificibus esse mutatam. Februa hæc olim dicebantur, quod eo tempore februaretur populus, similiter atque nos, quum dolenter patefacta sacerdoti malefactorum conscientia, ab eòque absoluti, infecta in animis labe liberamur. Dies autem festos Diuorum, ut qui iam dicti sunt, nominabimus. Veteres enim, vt Compitalia, sic Laurentalia etiam dixerunt. Possumus ergo hinc nostra facere Laurentalia, nostra Petrilia, nostra Paulilia, nostra quæcumque volemus, quęcumque oportebit. Quòd si non omnia Diuorum nomina eiusmodi sunt, vt ferre hoc aptè possint, meminerimus, quod ante iam testati sumus, ne Romana quidem omnia Deorum nomina, ferre potuiße. Quamobrem non aptissimè dici à Fabiani, Antonij, Valentini, cæterorumque Diuorum nominibus plurimorum, ne miremur, & alias, quas diximus, ad nominum formas reuertamur, uel Fabiani, Antonij, Valentini diem festum

Cereũ inauguratũ quando dant sacerdotes.

stum dici contēti simus, tametsi Fabianas etiam, Antonias, & Valentinas ferias dicere possimus, ut Sementinas, Caprotinas, Latinas. His tamquam minorum gentium Dijs sacra, vel singulorum dierum, vel plurimorum sunt constituta: Quare esse potest à dierum numero, ut illa quondam fuerunt Septemdialia, Nouemdialia, Decēdiales Nundinæ, Nouemdiales hostię, Decendialia sacra, vel (nisi durum videatur) Octodialia, ut Nouendiales feriæ. Duram fateor esse vocem, sed possunt molliri etiam duriora. Nec sunt reprehensi quidam è nostris sanctissimis viris, æque numero Diuorum, quòd Nudipedalia, Hierosolymorum sacra quædam nominarunt. Quod nisi audendum, & necessitati parendum non sit, quindecimdiales nundinas, & Quadragintadiale, vel Quinquagintadiale ieiunium dicemus, & Septemdiales, vel Decemdiales agere vigilias ad ædes Diuorum immortalium. In templis autem obscura esse poterunt nomina, quibus dicuntur vasa, vestes, magistratus, ordines, rei diuinæ, & sacrarum partes. Verumtamen ego commonitione hic breui agam potius, quàm subtili expositione rerum. Hæc enim omnia ijsdem ferè nominibus dicenda sunt, quæ à principio fuerunt; Prudentia modo, & iudicium non desit, nec siquid in vestibus præsertim latinius dici possit, aut illustrius, negligatur. In libris quidem, quos anti

Septēdialia.

Prudentia & iudiciū non debet deesse in nouandis uocibus.

quissima, primaque de religione Moses, ipso au-ctore summo Deo, fecit, crebra mentio est propitiatorij, tabernaculi, candelabrorum, arcæ, veli, altaris, tentorij, mensarum, ignis perpetui, hostiarum, expiationum. Iisdem in libris ritus est, & ratio rerum plurimarum, olei, & thymiamatis conficiendi, sacerdotis inaugurandi, sacras uestes subtilissimè distinguendi, thure, incensisque odoribus, templi, & altaris suffiendi, mulieris à partu expiandæ. Hinc uasorum nomina, & uestium plurima discemus. Quæ ex ijs aliena erunt à nostris, ea sic nominabimus, ut consuetudo fert communis. Non enim barbarè nos loqui putemus, quod necessitati, cōsuetudini, & maiorum quoque auctoritati paucà illa quædam concedamus. Præterea etiam antistitum, seu ordinum quæcumque nomina aliter dici, quàm in templis consueuit, non prorsus licebit. Iure enim Pontificio, sua cuique munera ijs distributa sunt, suæque partes, quorum si noua creetur in nominibus obscuritas, ipsius etiam iuris Pontificij perturbatio, confusioque nascetur. Rei diuinæ principium semper à numinis inuocatione facimus, quo circa religione illa saltem affecti esse debemus, qua in principijs magnorum operum poetæ, à cælo opem implorando. Deinde quasi præsentissimis in uitæ periculis positi, opem differri non patimur, & festinatione Deum properare uolumus, ut; Cætera

Nomina Ecclesiasticorum ordinum nō debēt mutari.

ra diuinis canticis, uotis, conceptisque precationibus aguntur, inuocatione, laudationeque Diuorum. Tremendum uerò sacrum illud, quo numinis præsentiam è cælo deducimus, oblatione constat, consecratione, obsecratione, nullæq; sunt in eo partes quibus docti aptissimum nomen dare non queant. Certa enim his sunt omnia, atque à diuinis auctoribus constituta. Quamobrem redeo, ut cæteris etiam de rebus admoneam. Omnino autem sunt plurima, quibus nomina excogitare noua oportet. Sed qui rectissimam de sermone latino sententiam teneat, qui antiquitatem omnem, qui Latinos, qui Græcos auctores legerit, obseruarit, notarit, qui uerba, qui loquendi formas norit, qui latinam linguam scientia, & exercitatione multa sit cōplexus, ei se se omnibus ex partibus, qui dicti sunt, uerborum fontes, & infinita copia ostendet. Sic enim & uetera cognoscentur, & multiplex ratio innumerabilesque uiæ noua faciendi apparebunt. Ac primùm illud hoc loco dicatur, fuisse à Deo mentes illas sempiternas à principio mundi procreatas, quibus, nisi mentium uel commune aliquod nomen antiquitas Romana dare non potuit. Nostri uerò diuini auctores primùm, deinde magistri religionis à sermone Græco his nomen eiusmodi fecere, ut ἀγγέλους nominarent, illa ratione, quà Homerus; [illegible]

Sunt plura, quibus nomina excogitare noua omnino oportet.

χαίρετε κήρυκες Διὸς, ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Cur nobis in sermone Latino Homeri illa uox, & Græcæ antiquitatis barbara esse uideatur? Quòd si barbara non est, uitari profectò non debet: & his uiliora quondam Romani acceperunt, quibus libentissimè nos utimur. Sunt etiam ordines illarum, quas dixi, mentium, quos antiquissimi theologorum, diuino spiritu afflati, ijs nominibus distinxere, quæ ab illorum sunt proprietate naturæ. Hæc nos uitabimus illo tantùm nomine, quia à Romanis cognita non fuerunt? Aperire ergo cœlum se se non debuit, nec generi humano communicari dona cœlestia oportuit, nec illorum scientiam diuinitus traditam nos cognoscere, quoniam ijs nominibus ea dicuntur, quæ Grammatici scilicet non latina esse, & ijs latinam linguam contaminari putant? Veruntamen multò pauciores, aut nemo etiam ita insaniret, si non plus quinquaginta annis ante primum consulatum C. Cæsaris hæc omnia, & apertum cœlum uidere homines cœpissent. Profectò enim M. Tullius, M. Varro, & cæteri ἀρχαγγέλους, & θρόνους *Græco nomine, dominatusque, & principatus Latino, hilariter etiam, & cum uoluptate dixissent, & loqui se latinè, ac splendidè putauissent. Nos uero stultos homines audiendos esse nobis arbitramur. Age uero illud uideamus, quod parum experti æquè durum iudicabunt. Fuere quondam in fabu-*

Stulti homines nō sunt audiendi.

lis,

lis, qui ἀλάστορες, uel quę furiæ, Erinnyes, Diræ, Eumenidesque dicebantur, Alecto, Tisiphone, Megera. Hæ supplicium apud inferos de sceleratis hominibus sumere, & uiuis perniciosas cogitationes, scelerata consilia, & malæ conscientiæ pœnas, & furorem immittere putantur. Qui spiritus nequam apud nos hæc agunt omnia, Græcè διαβόλους dixerunt, nec abest ab eo uerbo, ne Christi quidem ipsius auctoritas, qui διαβόλων ijs nomen dedit. Nos tanti auctoris uocem non sequemur? Soleo equidem furias nominare præsertim, in epistolis, & consuetudine quotidiana loquendi, & quibus in locis necesse non est, nimium de his distinctè dicere. Homerus quidem Ἄτην Dijs immortalibus infestam scribit à Ioue, Deorum concilio, habitationeque cœli fuisse mulctatam. Simile quiddam, ac multo maius ijs accidit, quos iam dixi διαβόλους esse nominatos: quorum ex genere sunt etiam Laruæ, Manes, Empusæ, Striges, Genij, Lemures, Lamię, Lares, Satyri, Fauni. Accepimus enim de sanctissimorum hominum libris in desertis Aegypti Satyrum numine diuino coactum, ex ijs unum se confessum esse, qui nutu Dei cęlo eiecti fuerunt. Nam Theologi etiam nostri minimè negant, eos partim aliqua in regione aeris, partim inter homines, aut in locis desertis restitisse, partim ad centrum terræ cecidisse illud, qui inferi

Demones furiæ dici possunt.

uocantur. His antiquitas illa religionis expers, Manium, Satyrorum, Lemurum, & quæ dicta sunt, nomina attribuit. Nobis uerò ex Dei benignitate, atque oraculis accidit, ut quæ sunt uerißima teneamus, quæ si constantissimè rata sint apud animos nostros, non multum de uerbo laborandum erit, nec aliquid sanè interest, utrum his, an illis nominibus utamur. Res modo sit eadem, nec dicere nos aliud uelimus, nisi quæ sanctißimi olim homines tradidere. Nec poetæ nostri ueteres, qui hæc rectißimè scirent, Ausonius, Claudianus, uel postea sequuti Iuuencus et Sedulius, uel qui patrum nostrorũ memoria uixerunt, Actius Sincerus, & Hieronymus Vida, non uehementer laudati sunt, quod ille clarißimorum uirorum consilio, hic Maximorũ auctoritate Pontificum, suis tantùm verbis, idest ex Romana lingua lectißimis, rem sacram omnem tractauerunt. Hi profectò nec ullo verbo pietatem læsere, & magnitudine carminis heroi res diuinas, non auxerũt illi quidem (quis enim, aut quibus artificijs hoc poßit?) sed quod in se fuit, operam dedere, ut cantus dulcedine auribus infusa, quemadmodũ obiectu etiam aliquo speculorum ante oculos, esse maiores viderentur. Veruntamen, ego ad rem vt reuertar, similia quędam sæpius confero, nostra, & antiquitatis, quo ex ijs eligere poßimus, elegantiora, magis propria, latiniora, tritiora,

tiora, aut si uariare interdū oporteat, modo hæc, modò illa vsurpare. Pergo nunc igitur alia, si possim, similia dicere, vnde verborum aliquid eruatur. Erat filij loco apud Romanos olim quæstor suo prætori, & augurijs, à quibus in augurum collegium cooptabatur. Apud nos etiam, qui pueri infantes lustrantur, filiorum loco sunt lustratoribus. His enim verbis vti nos aptissimè potuissemus: & lustrare, lustratores, lustratricesque dicere, & lustricum diem, & lustralem aquam propriè, & sine piaculo nominare, & quod verbum hic voce græca dicimus, latinè dici poterat ex latini proprietate sermonis. Verùm esto sanè in templis, vt sanctißimorum hominum seu ratio, seu arcana scientia sacrorum, seu uoluntas tulit. Mei enim huius instituti, uolo esse tantùm de copia rudes admonere. Quoniam uerò in hunc incidi locum, ut hoc de genere cognationis dicerem, filij quoque illorum sacerdotum dicimur, quibus ex instituto Christi, & religionis, non malefacta solùm, sed etiam cogitata confitemur; filij pontificum, à quibus in fide confirmati, uel ad sacra initiati sumus, filij pontifices ipsi aliorum, per quos pontificali potestate etiam diuinitus aspirante cælo donantur. Nouum inter plurima est, quod non multis abhinc annis picturæ, imagines, literæ, resque aliæ huiusmodi in ære, aut aliquo genere metalli, aut etiam ligno insculptæ, atramento-

Lustrati, lustratoribus, sunt loco filiorum.

Nomen filij multiplex.

que litæ in carthas transcribi cœptæ sunt, unde libri etiam innumerabiles fiunt. Hinc libraria tota in Europa immensæ constitutæ sunt, & impressoriæ tabernæ, aut officinæ à literis imprimendis, artificesque ipsi impressores nominati. Hæc nomina, & imprimendi uerbum, non est quod vitare debeamus à doctissimis inuentum, usitatum, receptum. Qui ex hominibus in cœlum propter sanctissimum uitæ genus, uel mortem pro Christi nomine oppetitam recepti sunt, & publicè in Diuos relati, eorum siqua apud nos remanserunt, ut ossa præsertim ex corporibus, magna religione in templis colere, diuinisque honoribus afficere solemus. Hæc ab illis relicta, nolo pœniteat nos reliquias nominare. Probo enim quod in templis consuetum nomen est, & latinum puto. C. enim Plinius iunior quadā in epistola ad Traianum principem scribit, à se proconsule in Asia petiuisse quosdam, ut sibi transferre defunctorum reliquias liceret. Nos autem, quæ sunt nobis relicta à Diuis nomine aptissimo, & multis ante seculis nouū hunc in religionis vsum recepto, reliquias dicere uerebimur? sæpe, quum statis temporibus, uel iussu pontificum publicè supplicandum est, omnium ordinum Sacerdotes in summum templum vrbis conueniunt. Inde alia ad templa, quæcumque libitum sit, uel quæ sint pleniora sanctitatis, bini omnes dispositi, cum solenni

Tabernæ impressoriæ, & imprimere.

Reliquiarum nomen, ut à nobis acceptū est, etiam ipsi veteres accep erūt

lenni cantu procedunt. Peracto alicubi summo sacro, in domos collegiaque sua redeunt. Hoc vel propter metũ belli, vel propter intemperiem cœli, & maiorem uim aliquam, uel creationem magni principis, uel magistratus, uel propter gratiarum actiones facere solemus, vel quia stato religionis tempore iubemur. Has, uel simile quiddam Romani supplicationes publicas uocabant, de quibus poeta intellexit;

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant

Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant

Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis.

Hinc supplicatio decem dierum Cn. Pompeio, confecto Mithridatico bello, decreta est: & in Catilinam Cicero supplicationes ad omnia puluinaria; & in oratione de prouincijs consularibus, quindecim dierum C. Cæsari scribit esse decretas. Illud præterea dicendum est, sanguine, & morte Christi humanum genus ex furiarum dominatu crudelissimo redemptum esse. Sanguis eiusmodi, & mors, totum genus humanum, ipsumque mundum, & mundos etiam infinitos seruare potuisset. Immensa ego vis illa mortis, quanta vni humano generi seruando superest, in thesaurum quemdam est reposita cælestem, ac sempiternum. Virginis quoque matris, longè plus uirtutis, & meritorum fuit, quàm ut assequi

Publicæ supplicationes.

sequi in cœlo vitam posset. Qui in locis desertis uixere, qui tormentis, & crudelißimo interitu gradum sibi in cœlum fecere, quæ prima ætate virgines forti animo pro sacris patrijs crucia-tus, & mortem tulere, qui infra diuinas leges, quæ sunt in vita, omnia putauere, ij similiter, quod ipsorum saluti superfuit, eundem in thesaurum contulerunt. Nimis hæc magna sunt, & mens humana tantas illas opes non modò recensere dicendo, sed ne æstimare quidem potest aliqua ex parte cogitando. Harum igitur opum, ac thesauri, quem dixi, Pontifex Maximus non claues modo in terris, verùm etiam distribuendi tenet, quoties uelit, potestatem. Accidit ergo sæpius, vt velit, aut potius necesse sit: quapropter mißis in totum orbem terræ literis, nunciat se Thesauri partem cunctis mortalibus, certo tempore, ipso Deo, ac Diuis auctoribus, distributurum esse. Tum populi, & quisque per se, triduo ante actam sibi vitam ante oculos ponit, commissa dolenter cogitat, precibus, & votis dat operam, bene de pauperibus mereri studet. Denique sacerdoti, Deoque supplex malefacta, maleque cogitata prodit; quasi de se ipso quæstiones habet, & lacrymans nihil inconfessum relinquit: ei mox absoluto condonantur omnia, quorum pœnas dare sibi in vita uel Deo, uel Furijs apud inferos necesse erat. Expiationes hæ publicæ dicuntur, quoties agente Pontifice

Expiationes publicæ.

Maximo,

Maximo, nobis, quæ dixi, merita sic Deus impertitur, vt velit non minus esse nostra, quàm Diuorum, qui in ijs elaborarunt. Expiamur quidē sæpius: at sine hoc solenni ritu, & Pontificis Maximi auctoritate, commissorum pœnas dare aliquandiu apud inferos cogemur, extra quàm si a nobis in vita, lacrymis iam lotum, & suspiratio excoctum scelus, & purgatum erit. Hoc illis etiam cognitum fuit, quibus ignorata hæc religio erat, vt;

> Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
> Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
> Suspensæ ad ventos; alijs sub gurgite vasto
> Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Quod si neutra expiatio fiat, nec suspiratum sit, nec de commissis lacrymatum, nec sacerdoti patefacta, quæ commisimus, eorum caussa pœnas in Tartaro sempiternas luere necesse erit, id quod ne illos quidem, qui dicti sunt, prorsus latuit ex testimonio poetæ;

> Castigatque, auditque dolos subigitq; fateri,
> Quæ quis apud superos, furto lętatus inani
> Distulit in seram commissa piacula mortem.

Quotidiana igitur confessio scelerum, atque expiatio, & in sacris libatio nos, à Tartari solùm cruciatu sempiterno tutos reddit. Annum

hæc seruata si non erit, & ipsis etiam Paschalibus neglecta, & is qui neglexit moriatur, ei mortuo sepulcrum inaugurati loci iure Pontificio tollitur. Verbosius hæc dicta sunt, quòd Romana etiam intelligere, quum volumus, cerimonias quoque, morem, ac ritum in rebus intelligere consuetum debemus, quo dilucidiora nobis fiant. Nam triumphare, seséque pro patria deuouere, Deos ex vrbibus hostium euocare, de cælo seruare, non singulis ex uerbis, sed cognito ex more triumphandi, sese deuouendi, euocandi, de cælo seruandi, & plena historicorum descriptione cognoscimus. Quid enim breuius dicitur, quàm; Videant consules nequid resp. detrimenti capiat? Res tamen ipsa, non perplexitate verborum, vel orationis, sed ignoratione vetusti moris fit obscurior. Itaque Sallustius hanc dignam putauit, quam ipse multis verbis exponeret. Quare optandum est, Romanè dum loquimur, satis aperta esse omnia apud nos, quū duobus tantùm verbis confessio libatioque nominatur: nec ad ea, quæ dicta sunt, aliud prętere a nomen, quàm publicarum (vt iam dixi) expiationum desiderari, dubitationemque esse nullā, quoties dicendum sit; Cētesimo quoque anno in religione quōdam expiationes publicas esse datas, deinde, quinquagesimo, nunc deniq; vigesimo quinto. Sunt viciniarum quoque templa singularum. Has nunc παροικίας dici posse quidam

arbi-

arbitrātur. Per me quidē esto, ut uolet quisq;, optandum est enim ita esse, vt volūt. Erāt olim curiones, qui sacra in ijs templis facerent, quorum summus omnium, vt Pontifex, ita ēt curio maximus dicebatur. Hæc ita à me dicta sint, quasi nostra hæc, aut eadem sint, quæ Romanorum, aut nonnullam propter similitudinē, nostri etiam curiones, curiales vè flamines dici posse uideantur: curias quidem certè, nō vicinias fuisse illorum scio. Quare si non est res omnino eadem, at ratio saltē valeat similitudinis. Quoties enim propria desunt, ita occurrimus, vt nomen, alterius loco nominis, quod est translationis, & figurarum, aut rē aliam pro alia ponamus, quod vel similitudo permittat, uel ipsarum usus rerū. De similitudine iam sæpius dictum à nobis est. Vsum verò sic accipio; ut quoniam stipite aliquo interdum, aut palea vti cogimur ad scribēdū, impropriè tamē loquemur, nisi calamū sumere, aut calamū deponere dicamus. Fœnū ergo lecti, arca, mēsę, noua lucerna, aut vetus cucurbita, scyphi noīe, ita si accidat, carere non debebit. Mihi quidē, & multis mecū iuuenib. cōsueta res accidit in litore Brundusino, vt in cœna ex mali medici sępius cortice biberemus. Hic, siquis ex uino ægrotare cæpisset, vt medico exponi rē oporteret, plus viginti illū scyphos potasse dicēdū erit. At si ex cōgio, uel urna, uel amphora, lagena uè bibatur, his ꝑfectò ciathi, aut scyphi loco nō

Vel nomen pro nomine, uel rē pro re ponimus.

utimur. Diuerso modo alia pro alijs idem efficientia necessario ponimus, quum aut Latina Græcè, aut Græca Latinè uertimus. Non modò enim propria; sed ne figurata quidem nostra, & illorum semper inter se conueniunt. Quapropter alia proprietas, aliæque translationes quærendæ nobis erunt. Nec de poetis hoc loco dicendum, quibus maior licentia est, & necessitas, nec, ut historicis, exactissima fides præstanda, vt;

Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει,
ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει·
τὴν μετὰ χερσὶν ἔχων πέτατο κρατὺς ἀργειφόντης

Tum virgam capit: hac animas ille euocat Orco
Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat
Nubila.

Vetus præterea in malum oratorem epigramma est, ineptissimè quædam uana colligentem, nihil de statu causæ laborantem;

Ἄλλα λέγει μεγακλῆς, ἄλλα τὸ χοιρίδιον.

Noster easdem ineptias, idemque stulti hominis uitium, non uerbis modo, & oratione, sed rebus etiam diuersis irridet;

Res pro rebus.

Iam dic Posthume de tribus capellis.

Esto ille etiam Demosthenis locus;

Εἰσὶ μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τοὺς λέγοντας ἅπαν-

τας ἐν ὑμῖν μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα, μήτε πρὸς χάριν· ἀλλ' ὃ βέλτιστον ἕκαστος ἡγεῖτο, τοῦτ' ἀποφαίνεσθαι.

Ridiculum putabit quis fortasse, quod statim prima quinque uerba transferre uolens, non satis inueniam, quid Romani oratoris consuetudine, & elegantia in principio præsertim orationis, dignum esse credam. Sed non dubito ei, qui rem tentare uolet, similiter, atque mihi uisum iri. Sit igitur latinè illud, quod ne mihi quidem placet; Maximè prouidendum erat, Athenienses, ne uestri oratores omnes, odio uel gratia permoti uenirent ad dicendum. Rationem uideo illam à M. Tullio, & à ueteribus obseruatam, ut plenam sententiam eruant ex uerbis, & hanc ita proponendam, quasi non in Græco lectam, sed à se ipsis inuentam suo iudicio, suisque uerbis Latinè dicant, & nullo de Græci sermonis uerbo nimium laborent. Proponat igitur sibi, aut ubicumque, aut hoc Demosthenis loco is, qui suam, uel alienam sententiam interpretatur, illud modò, ut corruptis de oratorum sententijs conqueratur. Hoc animo comprehensum, more suo nostri, suo Græci aptè, & planè, ita exponant, ut nihil Græca oratio nostram, nihil nostra Græcam orationem olere uideatur. Ad copiam denique sermonis pertinet, scire non solùm uerba aliorum loco uerborum, sed etiam translationes, & res ipsas pro alijs translationibus,

nibus,

nibus, alijsque rebus necessario poni solere. Sæpe enim accidit, ut quæ ornatus gratia alio in sermone dicuntur, sermo alius ferre nullo modo poßit. Nondum est nouorum finis, nec finem tamen quæro, sed perlustro quàm fieri potest plurima, quibus nomen aliquod accommodem, uel si ipse non possim, alios excitem adiutores ad causam: alijs iter ostendam ad quæ oportet: aut si omnino res occurrat ea, quæ propter aliquam vim nouam, & occultam, nomen ferre proprium non possit, illud saltem erimus assequuti, vt extra culpam esse videamur, quod efficere ea non poßimus, quæ fieri non possunt. Neque tamen ferendum est nominib. carere ea præsertim, quæ assiduo in sermonis vsu uersantur. Nunc uerò sciunt pueri, quid ea sint, quę dicimus precari, imprecari benè, & malè precari, ut;

Effigiem Xanthi, Troiamque uidetis,
Quam uestræ fecere manus, melioribus opto
Auspicijs, & quæ fuerint minus obuia Grajs.

Simile, sed multò maius est, quum faustis acclamationibus personam, uel factum aliquod prosequimur, uel rei, aut personæ salutare aliquod, & insigne facinus aggredienti, bona omnia, felicesque exitus ominamur. Hinc Romani omnibus reb. agendis, quod bonum, faustum, felix,

felix, fortunatumque esset, præfabantur. His contraria sunt, quæ pertinent ad imprecandum, qualis ille est poetæ locus;

At bello audacis populi vexatus, & armis;
Finibus extorris complexu auulsus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera, nec quum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.

Longius hæc Regina persequitur, & Troianorum capiti, vel Romanorum potius illa etiam imprecatur;

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor
Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos,
Tunc olim, quocumque dabunt se tempore vires,
Litora litoribus contraria, fluctib. undas
Imprecor, arma armis pugnent, ipsique nepotes.

Hæc tamen apud antiquos benè, aut malè ominandi tantùm causa dicebantur. Nulla in his religio erat, nihil quod in cœlo, uel apud inferos, nihil quod intus in anima illi ageretur, cui quis malè precatus esset. Nunc uerò si hæc

Excõmunicatio passim dicitur.

parentes filio faciāt, malè futurum illius capiti creditur, si Pontifex subiectis hominibus, vel quicunque alijs iure Pontificio praeest, populo uel ciuitati publicè precetur malè, & legibus ea res gesta sit, sacrorum loco hominum eos religio habebit, qui donec ipso à Pontifice, illo scelere soluantur, omni religionis fructu carēt. Quibus autem hominibus, aut populis illi ipsi solenni ritu benè precari uolent, seu palàm in templis hoc faciunt, peracto summo sacro, seu ad finem rei diuinę, seu intra domesticos parietes, seu vbicunque illis obuiam fiamus, magnam in ijs precationibus uim inesse religio summa uoluit; Notata etiam crucis imagine, aut in nos ipsos, aut in alios, resve alias quibus bene precamur, & summae imploratione Trinitatis haec facimus. Aliam tamen imploratio, vim, & sententiam habet, quoties puer lustratur, confessus absoluitur, furijs, laruisque imperatur, omē pessimum repellitur, vel quoties ad rerum initia fauor numinis inuocatur. Priora enim illam ferè uim habent, quasi dicamus, non hominum, sed ipsius Dei nutu, siue imperio, uel auctoritate ea fieri velimus, quae fiunt. Aliquid verò inchoantes, ijsdem omnino uerbis utimur, quib. ad superiora, sed ea perinde habentur, vt quę maiores ita praefari solebant; Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset. Nostra tamē, (uti iam dixi,) religionem habent ueram, quae

nulla

nulla est in ueterum rebus Romanorum. Minora autem piacula his Pontificum, vel Sacerdotum precationibus tolluntur, quemadmodum aspersione lustralis aquæ, & multis præterea rebus fieri solet. Piacula enim illa maiora septem, vnde cætera nascuntur omnia, furijs, hominem astringunt: quare ex ijs dolor opus est ille, quam pœnitentiam vocamus, cui adiuncta confessio est, & libatio, quamuis vno pœnitentiæ nomine duo hæc, & plura etiam amplectamur. Ex his nostra sunt auspicia, quibus utimur ad initia rerum omnium. Sunt illa etiam res diuinæ, preces, uota, summi libamen sacrificij. Verum quæ ad imprecandum pertinent, voce latina quidem, & vsitata, sed minus propria tamē, & subinuita, maledictiones dicuntur. Quare etiam precationibus, quæ cum Trinitatis imploratione fiunt, nec benedicendi uerbum, nec benedictionum deesse debet. Quæ si duræ uoces, tamen & receptæ sunt olim in templis, & nihil antiquius habendum est in literis, quàm uerba, quę necessaria sunt usu mollire. Significatum ante à nobis est aspersione etiam aquę lustralis piacula minora tolli: nunc mihi venit in mentem dicere antiquissimi illam fuisse moris, & ijs, qui nostra hęc sacra ignorarent, consuetam, vt;

Septē piacula maiora.

Me bello ex tanto digressum, & cæde recenti

Attrectare nefas, donec me flumine uiuo
Abluero.

Sed ille est locus illustrior, & nostræ consuetudini similior;

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Antiquum est nomen αἱρέσεως, & olim Romanis quoque, sine illa, quæ nunc est nota impietatis in usu habitum. Quare sic loquebantur, ut M. Tullius; Cato autem perfectus mea sententia, Stoicus est, & ea sentit, quæ non sanè probantur in uulgus, & in ea est hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis. Hodie uerò capitalissimum in religione crimen est, αἱρέσεως aliquem insimulatum esse, uel αἱρετικὸν, idest male de religione sentientem dici, aut haberi. Accipere ἐλεημοσύνας, ne apud ipsos quidem Græcos proprium est, & nos, idest Romani, stipem rogare, petere, colligere, dare, aut erogare, corrogareque dicimus. Nec illud prætereundum quod ferè omnibus consuetum est, conceptis precibus sexagies ad calculos frequentandis uti, uel quadragies Matrem Virginem salutare. Vno hac uerbo dici non possunt, immò uix etiã paucioribus, quare diligentiores esse cupio, quàm me, siqui hæc legerint. Exagitati quondam, & afflicti à Romanis Principibus sub nascentis initia religionis Christiani fuerunt. Ad hæc uerbum

bum fuit à Græcis, τὸ διώξαι, & hinc factum nomen διωγμός: sed magis proprium est uisum, quod est affligendi, aut exagitandi, aut sæuiendi, ut Liuianum illud est exemplum; Iam primum omnium satis constat, Troia capta in cęteros sæ uitum esse Troianos. Simile apud poetas est agendi uerbum, ut;

Quos illi bello profugos egere superbo.

Quibusdam in oppidis circa Hydruntem in Salentinis, ut olim in Africa, & nunc alijs etiã in regionibus Italiæ, aut Europæ familiæ sunt, quæ uim habent in serpentes, in phalangios, animaliaque cæteraa, quæ uenenato morsu, uel aculeo nocent. Ii quondam (ut accepimus) in Africa psylli dicebantur, nec dubium est, his etiam tẽporib. qui idem possunt, nominari psyllos debere. Phalangios habet Apulia, qui æstate aculeo pungentes, mirandum in modum punctos afficiunt. Nam ut puncti sunt, ilicò aut parua interiecta mora temporis, corruunt, & cruciatu uario torquentur. Non multam aut sæpius nullam ijs alleuationem afferunt ea, quibus uenena à medicis curantur. Denique illud remedium est solùm, plurimo saltatu, ad sonos tibiarum, adhibito etiam tympano diebus aliquot sudando laborare. Ad aquam, ad fontes, ad ramum uiridem, ad umbras, ad amæna omnia rapiuntur: colores alios appetunt, alios oderunt, alij splendore ferri delectantur. Itaque etiam mulie

Psylli.

Hos uulgus tarantulas uocat.

que litæ in carthas transcribi cœptæ sunt, unde libri etiam innumerabiles fiunt. Hinc libraria tota in Europa immensæ constitutæ sunt, & impressoriæ tabernæ, aut officinæ à literis imprimendis, artificesque ipsi impressores nominati. Hæc nomina, & imprimendi uerbum, non est quod vitare debeamus à doctissimis inuentum, usitatum, receptum. Qui ex hominibus in cœlum propter sanctissimum uitæ genus, uel mortem pro Christi nomine oppetitam recepti sunt, & publicè in Diuos relati, eorum siqua apud nos remanserunt, ut ossa præsertim ex corporibus, magna religione in templis colere, diuinisque honoribus afficere solemus. Hæc ab illis relicta, nolo pœniteat nos reliquias nominare. Probo enim quod in templis consuetum nomen est, & latinum puto. C. enim Plinius iunior quadã in epistola ad Traianum principem scribit, à se proconsule in Asia petiuisse quosdam, ut sibi transferre defunctorum reliquias liceret. Nos autem, quæ sunt nobis relicta à Diuis nomine aptissimo, & multis ante seculis nouũ hunc in religionis vsum recepto, reliquias dicere uerebimur? sæpe, quum statis temporibus, uel iussu pontificum publicè supplicandum est, omnium ordinum Sacerdotes in summum templum vrbis conueniunt. Inde alia ad templa, quæcumque libitum sit, uel quæ sint pleniora sanctitatis, bini omnes dispositi, cum solenni

Tabernæ impressoriæ, & imprimere.

Reliquiarum nomen, ut à nobis acceptũ est, etiam ipsi veteres acceperũt

lenni cantu procedunt. Peracto alicubi summo sacro, in domos collegiaque sua redeunt. Hoc vel propter metũ belli, vel propter intemperiem cœli, & maiorem uim aliquam, uel creationem magni principis, uel magistratus, uel propter gratiarum actiones facere solemus, vel quia stato religionis, tempore iubemur. Has, uel simile quiddam Romani supplicationes publicas uocabant, de quibus poeta intellexit;

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant

Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant

Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis.

Hinc supplicatio decem dierum Cn. Pompeio, confecto Mithridatico bello, decreta est: & in Catilinam Cicero supplicationes ad omnia pulvinaria; & in oratione de prouincijs consularibus, quindecim dierum C. Cæsari scribit esse decretas. Illud præterea dicendum est, sanguine, & morte Christi humanum genus ex furiarum dominatu crudelissimo redemptum esse. Sanguis eiusmodi, & mors, totum genus humanum, ipsumque mundum, & mundos etiam infinitos seruare potuisset. Immensa ego vis illa mortis, quanta vni humano generi seruando superest, in thesaurum quemdam est reposita cælestem, ac sempiternum. Virginis quoque matris, longè plus uirtutis, & meritorum fuit, quàm ut assequi

Publicæ supplicationes.

sequi in cœlo vitam posset. Qui in locis desertis uixere, qui tormentis, & crudelißimo interitu gradum sibi in cœlum fecere; quæ prima ætate virgines forti animo pro sacris patrijs cruciatus, & mortem tulere; qui infra diuinas leges, quæ sunt in vita, omnia putauere, ij similiter, quod ipsorum saluti superfuit, eundem in thesaurum contulerunt. Nimis hæc magna sunt, & mens humana tantas illas opes non modò recensere dicendo, sed ne æstimare quidem potest aliqua ex parte cogitando. Harum igitur opum, ac thesauri, quem dixi, Pontifex Maximus non claues modo in terris, verùm etiam distribuendi tenet, quoties uelit, potestatem. Accidit ergo sæpius, vt velit, aut potius necesse sit: quapropter mißis in totum orbem terræ literis, nunciat se Thesauri partem cunctis mortalibus, certo tempore, ipso Deo, ac Diuis auctoribus, distributurum esse. Tum populi, & quisque per se, triduo ante actam sibi vitam ante oculos ponit, commissa dolenter cogitat, precibus, & votis dat operam, bene de pauperibus mereri studet. Denique sacerdoti, Deoque supplex malefacta, maleque cogitata prodit; quasi de se ipso quæstiones habet, & lacrymans nihil inconfessum relinquit: ei mox absoluto condonantur omnia, quorum pœnas dare sibi in vita uel Deo, uel Furijs apud inferos necesse erat. Expiationes hæ publicæ dicuntur, quoties agente Pontifice

Expiationes publicæ.

Maximo, nobis, quæ dixi, merita sic Deus impertitur, vt velit non minus esse nostra, quàm Diuorum, qui in ijs elaborarunt. Expiamur quidẽ sæpius: at sine hoc solenni ritu, & Pontificis Maximi auctoritate, commissorum pœnas dare aliquandiu apud inferos cogemur, extra quàm si a nobis in vita, lacrymis iam lotum, & suspitio excoctum scelus, & purgatum erit. Hoc illis etiam cognitum fuit, quibus ignorata hæc religio erat, vt;

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos; alijs sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Quod si neutra expiatio fiat, nec suspiratum sit, nec de commissis lacrymatum, nec sacerdoti patefacta, quæ commisimus, eorum causa pœnas in Tartaro sempiternas luere necesse erit, id quod ne illos quidem, qui dicti sunt, prorsus latuit ex testimonio poetæ;

Castigatque, auditque dolos, subigitq; fateri,
Quæ quis apud superos, furto lętatus inani
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Quotidiana igitur confessio scelerum, atque expiatio, & in sacris libatio nos, à Tartari solùm cruciatu sempiterno tutos reddit. Annum

hæc

hæc seruata si non erit, & ipsis etiam Paschalibus neglecta, & is qui neglexit moriatur, ei mortuo sepulcrum inaugurati loci iure Pontificio tollitur. Verbosius hæc dicta sunt, quòd Romana etiam intelligere, quum volumus, cerimonias quoque, morem, ac ritum in rebus intelligere consuetum debemus, quo dilucidiora nobis fiant. Nam triumphare, seseque pro patria deuouere, Deos ex vrbibus hostium euocare, de cælo seruare, non singulis ex uerbis, sed cognito ex more triumphandi, sese deuouendi, euocandi, de cælo seruandi, & plena historicorum descriptione cognoscimus. Quid enim breuius dicitur, quàm; Videant consules nequid resp. detrimenti capiat? Res tamen ipsa, non perplexitate verborum, vel orationis, sed ignoratione vetusti moris fit obscurior. Itaque Sallustius hanc dignam putauit, quam ipse multis verbis exponeret. Quare optandum est, Romanè dum loquimur, satis aperta esse omnia apud nos, quũ duobus tantùm verbis confessio libatioque nominatur: nec ad ea, quæ dicta sunt, aliud pręterea nomen, quàm publicarum (vt iam dixi) expiationum desiderari, dubitationemque esse nullã, quoties dicendum sit; Cẽtesimo quoque anno in religione quõdam expiationes publicas esse datas, deinde, quinquagesimo, nunc deniq; vigesimo quinto. Sunt viciniarum quoque templa singularum. Has nunc παροικίας dici posse quidam

arbi-

arbitratur. Per me quidē esto, ut uolet quisq;, optandum est enim ita esse, vt volūt. Erāt olim curiones, qui sacra in ijs templis facerent, quorum summus omnium, vt Pontifex, ita ēt curio maximus dicebatur. Hæc ita à me dicta sint, quasi nostra hæc, aut eadem sint, quæ Romanorum, aut nonnullam propter similitudinē, nostri etiam curiones, curiales vé flamines dici posse uideantur: curias quidem certè, nō vicinias fuiße illorum scio. Quare si non est res omnino eadem, at ratio saltē valeat similitudinis. Quoties enim propria desunt, ita occurrimus, vt nomen, alterius loco nominis, quod est translationis, & figurarum, aut rē aliam pro alia ponamus, quod vel similitudo permittat, uel ipsarum usus rerū. De similitudine iam sæpius dictum à nobis est. Vsum verò sic accipio; ut quoniam stipite aliquo interdum, aut palea vti cogimur ad scribēdū, impropriè tamē loquemur, nisi calamū sumere, aut calamū deponere dicamus. Fœnū ergo lecti, arca, mēsę, noua lucerna, aut vetus cucurbita, scyphi noīe, ita si accidat, carere non debebit. Mihi quidē, & multis mecū iuuenib. cōsueta res accidit in litore Brundusino, vt in cœna ex mali medici sępius cortice biberemus. Hic, si quis ex uino ægrotare cæpisset, vt medico exponi rē oporteret, plus viginti illū scyphos potasse dicēdū erit. At si ex cōgio, uel urna, uel amphora, lagena uè bibatur, his pfectò ciathi, aut scyphi loco nō

vti-

Vel nomen pro nomine, uel rē pro re ponimus.

utimur. Diuerso modo alia pro alijs idem efficientia necessario ponimus, quum aut Latina Græcè, aut Græca Latinè uertimus. Non modò enim propria, sed ne figurata quidem nostra, & illorum semper inter se conueniunt. Quapropter alia proprietas, aliæque translationes quærendæ nobis erunt. Nec de poetis hoc loco dicendum, quibus maior licentia est, & necessitas, nec, ut historicis, exactißima fides præstanda, vt;

Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ᾽ ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει,
ὧν ἐθέλει, τοὺς δ᾽ αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει·
τὴν μετὰ χερσὶν ἔχων πέτατο κρατὺς ἀργειφόντης.

Tum virgam capit: hac animas ille euocat Orco
Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat
Nubila.

Vetus preterea in malum oratorem epigramma est, ineptißimè quædam uana colligentem, nihil de statu causæ laborantem;

Ἄλλα λέγει μενεκλῆς, ἄλλα τὸ χοιρίδιον.

Noster easdem ineptias, idemque stulti hominis uitium, non uerbis modo, & oratione, sed rebus etiam diuersis irridet;

Res pro rebus.

Iam dic Posthume de tribus capellis.

Esto ille etiam Demosthenis locus;

Ἔδει μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τοὺς λέγοντας ἅπαντας

τας ἐν ὑμῖν μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα, μήτε πρὸς χάριν· ἀλλ' ὃ βέλτιστον ἕκαστος ἡγεῖτο, τοῦτ' ἀποφαίνεσθαι.

Ridiculum putabit quis fortasse, quod statim prima quinque uerba transferre uolens, non satis inueniam, quid Romani oratoris consuetudine, & elegantia in principio præsertim orationis, dignum esse credam. Sed non dubito ei, qui rem tentare uolet, similiter, atque mihi uisum iri. Sit igitur latinè illud, quod ne mihi quidem placet; Maximè prouidendum erat, Athenienses, ne uestri oratores omnes, odio uel gratia permoti uenirent ad dicendum. Rationem uideo illam à M. Tullio, & à ueteribus obseruatam, ut plenam sententiam eruant ex uerbis, & hanc ita proponendam, quasi non in Græco lectam, sed à se ipsis inuentam suo iudicio, suisque uerbis Latinè dicant, & nullo de Græci sermonis uerbo nimium laborent. Proponat igitur sibi, aut ubicumque, aut hoc Demosthenis loco is, qui suam, uel alienam sententiam interpretatur, illud modò, ut corruptis de oratorum sententijs conqueratur. Hoc animo comprehensum, more suo nostri, suo Græci aptè, & planè, ita exponant, ut nihil Græca oratio nostram, nihil nostra Græcam orationem olere uideatur. Ad copiam denique sermonis pertinet, scire non solùm uerba aliorum loco uerborum, sed etiam translationes, & res ipsas pro alijs translationibus,

nibus, alijsque rebus necessario poni solere. Sæpe enim accidit, ut quæ ornatus gratia alio in sermone dicuntur, sermo alius ferre nullo modo poßit. Nondum est nouorum finis, nec finem tamen quæro, sed perlustro quàm fieri potest plurima, quibus nomen aliquod accommodem, uel si ipse non possim, alios excitem adiutores ad causam: alijs iter ostendam ad quæ oportet: aut si omnino res occurrat ea, quæ propter aliquam vim nouam, & occultam, nomen ferre proprium non possit, illud saltem erimus assequuti, vt extra culpam esse videamur, quod efficere ea non poßimus, quæ fieri non possunt. Neque tamen ferendum est nominib. carere ea præsertim, quæ assiduo in sermonis vsu uersantur. Nunc uerò sciunt pueri, quid ea sint, quę dicimus precari, imprecari benè, & malè precari, ut;

Effigiem Xanthi, Troiamque uidetis,
Quam uestræ fecere manus, melioribus opto
Auspicijs, & quæ fuerint minus obuia Grayis.

Simile, sed multò maius est, quum faustis acclamationibus personam, uel factum aliquod prosequimur, uel rei, aut personæ salutare aliquod, & insigne facinus aggredienti, bona omnia, felicesque exitus ominamur. Hinc Romani omnibus reb. agendis, quod bonum, faustum,

felix,

felix, fortunatumque esset, præfabantur. His contraria sunt, quæ pertinent ad imprecandum, qualis ille est poetæ locus;

At bello audacis populi vexatus, & armis;
Finibus extorris complexu auulsus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera, nec quum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.

Longius hæc Regina persequitur, & Troianorum capiti, vel Romanorum potius illa etiam imprecatur;

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor
Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos,
Tunc olim, quocumque dabunt se tempore vires,
Litora litoribus contraria, fluctib. undas
Imprecor, arma armis pugnent, ipsique nepotes.

Hæc tamen apud antiquos benè, aut malè ominandi tantùm causa dicebantur. Nulla in his religio erat, nihil quod in cælo, uel apud inferos, nihil quod intus in anima illi ageretur, cui quis malè precatus esset. Nunc uerò si hæc

Excõmunicatio passim dicitur.

parentes filio faciãt, malè futurum illius capiti creditur, si Pontifex subiectis hominibus, vel quicunque alijs iure Pontificio praeest, populo uel ciuitati publicè precetur malè, & legibus ea res gesta sit, sacrorum loco hominum eos religio habebit, qui donec ipso à Pontifice, illo scelere soluantur, omni religionis fructu carēt. Quibus autem hominibus, aut populis illi ipsi solenni ritu benè precari uolent, seu palàm in templis hoc faciunt, peracto summo sacro, seu ad finem rei diuinę, seu intra domesticos parietes, seu vbicunque illis obuiam fiamus, magnam in ijs precationibus uim inesse religio summa uoluit; Notata etiam crucis imagine, aut in nos ipsos, aut in alios, res ve alias quibus bene precamur, & summæ imploratione Trinitatis hæc facimus. Aliam tamen imploratio, vim, & sententiam habet, quoties puer lustratur, confessus absoluitur, furijs, laruisque imperatur, omē pessimum repellitur, vel quoties ad rerum initia fauor numinis inuocatur. Priora enim illam ferè uim habent, quasi dicamus, non hominum, sed ipsius Dei nutu, siue imperio, uel auctoritate ea fieri velimus, quæ fiunt. Aliquid verò inchoantes, ijsdem omnino uerbis utimur, quib. ad superiora, sed ea perinde habentur, vt quę maiores ita præfari solebant; Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset. Nostra tamē, (uti iam dixi,) religionem habent ueram, quæ

nulla est in ueterum rebus Romanorum. Minora autem piacula his Pontificum, vel Sacerdotum precationibus tolluntur, quemadmodum aspersione lustralis aquæ, & multis præterea rebus fieri solet. Piacula enim illa maiora septem, vnde cætera nascuntur omnia, furijs, hominem astringunt: quare ex ijs dolor opus est ille, quam pœnitentiam vocamus, cui adiuncta confessio est, & libatio, quamuis vno pœnitentiæ nomine duo hæc, & plura etiam amplectamur. Ex his nostra sunt auspicia, quibus utimur ad initia rerum omnium. Sunt illa etiam res diuinæ, preces, uota, summi libamen sacrificij. Verum quæ ad imprecandum pertinent, voce latina quidem, & vsitata, sed minus propria tamē, & subinuita, maledictiones dicuntur. Quare etiam precationibus, quæ cum Trinitatis imploratione fiunt, nec benedicendi uerbum, nec benedictionum deesse debet. Quæ si duræ uoces, tamen & receptæ sunt olim in templis, & nihil antiquius habendum est in literis, quàm uerba, quę necessaria sunt usu mollire. Significatum ante à nobis est aspersione etiam aquę lustralis piacula minora tolli: nunc mihi venit in mentem dicere antiquissimi illam fuisse moris, & ijs, qui nostra hęc sacra ignorarent, consuetam, vt;

Septē piacula maiora.

Me bello ex tanto digressum, & cæde recenti

bum fuit à Græcis, τὸ διώξαι, & hinc factum nomen διωγμός: sed magis proprium est uisum, quod est affligendi, aut exagitandi, aut sæuiendi, ut Liuianum illud est exemplum; Iam primum omnium satis constat, Troia capta in cęteros sæuitum esse Troianos. Simile apud poetas est agendi uerbum, ut;

Quos illi bello profugos egere superbo.

Quibusdam in oppidis circa Hydruntem in Salentinis, ut olim in Africa, & nunc alijs etiā in regionibus Italiæ, aut Europæ familiæ sunt, quæ uim habent in serpentes, in phalangios, animaliaque cætera, quæ uenenato morsu, uel aculeo nocent. Ii quondam (ut accepimus) in Africa psylli dicebantur, nec dubium est, his etiam tēporib. qui idem possunt, nominari psyllos debere. Phalangios habet Apulia, qui æstate aculeo pungentes, mirandum in modum punctos afficiunt. Nam ut puncti sunt, ilicò aut parua interiecta mora temporis, corruunt, & cruciatū nario torquentur. Non multam aut sæpius nullam ijs alleuationem afferunt ea, quibus uenena à medicis curantur. Denique illud remedium est solùm, plurimo saltatu, ad sonos tibiarum, adhibito etiam tympano diebus aliquot sudando laborare. Ad aquam, ad fontes, ad ramum uiridem, ad umbras, ad amæna omnia rapiuntur: colores alios appetunt, alios oderunt, alij splendore ferri delectantur. Itaque etiam muliē

Psylli.

Hos uulgus tarantulas uocat.

res, nonnullæ gladium sibi dari uolunt unum, aliæ, ut Casina Plauti duos, quorum sese splendore, tamquam in speculo saltantes, intuentur: Hos altè iactant interdum in aera, & iterum (quod miremur,) numquam læsa manu excipiunt. Hęc si prorsus negligātur, nulla sperari salus potest, sin plenè, & quantùm opus est, illo modo saltatum non sit, ijs ęgrotatione eiusmodi anniuersaria laborandum erit. Quosdam scimus, ingressu, usúque pedum amisso, alios fracta spina, breui denique esse mortuos. Huic malo, incommodoq; omni sic medētur, ut Lydio more potißimum inflata tibia, musicisque organis, & saltatione utantur. Itaque maximè pyrrichio, anapęsto, dactylo, ac tribracho saltatiunculas eorum constare scimus. Aut morsus animalium, & noxam ueneni cauent, ut psyllorum, quos dixi, medicamentis, & carminibus, aut sibi ab ijs communicata ui, mysterijs quibusdam se se tutos reddūt. Verum de psyllis non rara mentio est in monumentis quoque ueterum. Nec moris antiqui fuit, quod hodie nimis usitatum est, ut eos, qui impudica uxore, uel mulierib. coniunctißimis adulteris utantur, cornutos nominemus. Medici omnes, quos quidem ego rogauerim, negant scire se, quibus olim rebus aciem, aut senectute deficientem, aut à natura imbecillam, aut laborib. detritam, adiuuarent. Qui enim Isocrates, Plato, & Hesiodus, qui Græci omnes, & Romani

ni, Cato Senior, Plautus, & studiosi literarum vsque ad longissimam senectutem legebant, & subtilissimis in artibus, minutissimisque in reb. versabantur? Admirabilium præterea rerum, quas memorant, ut quadrigarum ex ebore, quę muscæ, & nauis, quęapiculæ alis tegi poßet, non solus Myrmecides is, qui illa fabricatus erat, spe ctator fuit. Quatuor & viginti libros Homeri litera minutissima scriptos, ita vt nucis cortice clauderentur, non is tantùm, qui illos scripsit, le ctitauit. Hæc denique miranda numerant & quamplurima, vt ex monte Lylibęno cognitas à Strabone singulas naues de portu Carthaginen sium exeũtes: à Callicrate formicas etiã ita par uas, ut illarũ partes cerni ab alijs nõ poßent. Ve rùm potuerint hæc paucißimi hoĩes, aut fuerint hęc falsa omnia, certè omniũ seculorũ, atque gẽ tium aurifices, gemmarij, pictores, & literati ad quinquagenos, aut centenos annos ætatis in gẽ mis, pictura, literisque omnibus uersabantur, nec inuenio equidem, nec mihi respondent me dici, qua ratione, aut medicamentis aciem tue rentur. Ignoratum est hoc post Hippocratis, Ga leni, & recentiorum ætatem, vel ab omnibus, vel à plurimis. Itaque ad specula itum est vi trea, aut crystallina, quibus ad oculos admotis, iam pridem vti cœpimus. Nec docti quidam ho mines hodie sciunt, quod nam ijs dari nomen cõ ueniat, nemoque audet specula dicere, vel no-

Quædã ad mirabilia.

De homi ne longissimo acumine ocu lorũ prædito.

men aliud nouare; itaque pendent animi, tamquam si ipsis à Romanis antiquis hodie noua lex ea de re non feratur, nullo tempore, nomen ea res habere debeat. Hoc stultitiæ genus est illius, quam ego his in libris omnibus volo esse reprehensam. Nouis præterea egent nominibus Diuorum templa, quæ fuerunt olim ædes Concordiæ, Telluris, Virtutis, templum Castoris, & Pollucis, templum Romuli, Saturni, Iouis Statoris, templum Veneris, vt;

Vbi templum illi centumque Sabæo
Thure calent aræ.

Splēdidè suis de rebus, suisq; præsertim de tēplis, suaq; de religione veteres loquebantur, vt;

Templumque apparet in arce Mineruæ,
&;
Formidatus nautis aperitur Apollo.

Quanto splendidius hoc nos & possumus & debemus, qui vera, & sanctissima religione imbuti sumus? Itaque, aut à summo cultu, ædes nomen accipit, vbi per se ipsum Pontifex sacra, & rem diuinam facit, idque summum templum, vt summa ara, & summum altare dicitur, aut à nominibus diuorum, quibus dicatum est, ut, templum Hieronymi, Apollinaris, Cæciliæ, vel Diuorum omnium, quale M. Agrippæ templum πάνθεον fuit, uel à meritis ipsorum, vt Christi seruatoris, Mariæ sospitæ, sospitalis, piè meritæ, misericordis, aut

ex

ex ijs, quæ Diuis acciderunt, ut Christi Nascentis, Virginis, Puerperæ, salutatæ, aut à locis, vt Montanæ, Syluanæ, Transtyberinæ, Esquilinæ, Transpontanæ, Tarpeiæ, Vaticanæ: item à Ciuitatibus, vt Byzantiæ, Lutetiæ, Lauretanæ. Nec difficile omnino est his causam nominis aliquam inuenire. Nec illud est nouum, quòd Vigiliarum crebra, & fermè quotidiana apud nos mentio est. Erat enim in Romana, & vetere etiam religione illarum vsurpatio, quum Vigilias agerent in Castris, vel ad templa Deorum immortalium. Translatus deinde ille mos est ad nostræ consuetudinem religionis, qui tamdiu viguit apud nos, dum inualescente licentia, corruptisque moribus, compertum est obesse illum religioni. Itaque pro vigilijs ieiunia esse placuit. His enim domari sanguinis petulantiam, illis verò turpem dari occasionem iuuentuti existimatum est. Mansit in vsu tamen uetus appellatio, ut pro ieiunijs vigiliæ potius dicerentur, quarum abolitionem Romæ etiam à senatu, quodam tempore, ex Bacchanalibus, nocturnisque sacris omnibus factam esse legimus. Illud hic tamen differt, quòd Vigiliæ, ijs tantùm noctibus agebantur, quæ festos dies, & solenne sacrum antecederent, sed nunc ieiunia, religiosis etiam diebus, ut Cineralibus, & quaternis triduis ad quatuor singula anni tempora Hiemis, Veris, Aestatis, autumni. Nec dicere oportet, quæ priuatæ

Vigiliæ sanctorũ.

uatę religionis, aut quæ uoti causa fiunt. Nec vitio uertant Latinæ linguæ illi, quibus cum sępius, quàm volo, mihi disputatio fuit, indocti, effæminatique homines, qui suos meretricios cantus, & nouam barbariem defendere conantur, nec mihi gaudeant, quod nobis tanta copia adhuc uerborum quærenda est. Nam primum non tam ea quæro, quæ desunt, quàm ostendo potius quæ supersunt. Deinde si quæ nobis deesse videantur, ea plerumque sunt eiusmodi, quibus olim Romani, & Græci, & omnes omnium gentium linguæ caruerunt. Memoriæ enim scimus esse traditum ab ijs, qui rusticis de rebus scripserunt, Macedones arborum genera magnam partem sine nominibus narrauisse. Rogo hic, num sola Macedonum lingua ijs nominibus caruit? At solent eiusmodi auctores nō Græcis tantùm, sed barbaris vndecumque rerum vti nominibus, nec tlaspi modò, & arami, & piper, sed Indorum lingua, machir, brechmasin, & malachram, & infinita similia his dixerunt. Carent omnes linguæ, & careant necesse est ijs nominibus, ad quæ neminem de nostris hominibus volo esse timidum, & quod in me est, vias ostendo, aut omnes, aut certè plurimas ad inuenienda quæ desunt, ad confirmanda quæ timentur, ad eruenda quæ latent. In plantis quidem & ijs, quæ nascuntur è terra, & è mari, infinita gignit natura, aut animantia, aut vitę expertia, quæ quoniam ad

com-

communes vsus non venerunt, laborandum non est, quibus dici nominibus oporteat, quę ignorantur. Nec pręsumptione utendum nobis est, qua poetę sępius utuntur;

Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi collatinas imponent montibus arces,
Pomerios, Castrumqne Inui, Bolamque, Coramque.

Octo hic urbium nomina facta dicuntur, antequam urbes essent.

Quamobrem, illud postremum esse uoluit Anchises;

Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.

Sed profectò, ex ijs etiam quæ orta iam sunt, in vsuque hominum uersantur, nec mihi nec latinæ linguæ turpe est, si qua ego nesciam, quæ etiam tu, etiam omnes omnium gentiũ linguæ ignorent necesse est. Dicat enim aliquis mihi ex doctoribus, ficorum genera, & pirorum suis expressa, ac distincta nominibus, dicat pomorum, & uuarum. Hæc enim, ut omittam quòd insitione, cultu, arte etiam uaria, studioque hominum plura quotidie fieri possunt, accidit præterea, quòd infinita sunt etiam à natura. Ac de vuis quidem certè, infinita esse illarum genera, sic ad Mæcenatem Virgilius docuit;

Sed neque quàm multæ species, nec nomina

quæ ſint,
Eſt numerus, neque enim numero compre-
hendere refert;
Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris
idem
Dicere, quàm multæ Zephyro turbentur
arenæ,
Aut vbi nauigijs violentior incidit Eurus,
Noſſe quot Ionij veniant ad litora fluctus.

Horum tamen omnium ſi genus aliquod nobis incipiat eſſe familiarius, nihil tam facile eſt, quã illi media ex latinitate nomen dare. Maximæ enim, & infinitæ ſunt opes latini ſermonis: infinitæ, & apertæ ſunt viæ ad nouanda nomina, quoties velimus, & oporteat. Hic tamen leuis præceptio eſt, ut obſeruetur, alia ex his nomen accepiſſe quondam à Lucullo, Sergio, Dolabella, Appio, à cæteris, qui ea primi norint, inuenerint, ſeuerint, aut in Italiã importarint: alia à forma, rotunda, orbiculata, oblonga: alia à ſimilitudine, quam alijs cum rebus habent, ut à cucurbita, uel ab ijs animalibus, quæ ad ea affecta ſunt, muſcis, apibus, & ſiqua ſunt huiuſmodi cætera: alia à tempore anni, quo matureſcant, aut à locis, ubi præſtantiora naſcuntur, Creta, Chio, Lesbo, Melita, Cruſtumino, Præneſte: alia ex terris vnde adducta ſunt, Perſica, Cydonia, Punica. Neque tamen horum ſimplex, & vnũ genus eſt, & ſunt in pomis dulcia multorum ge-

nerum, sunt acida certè plurium. Haud simplicior fortasse olea est, vt;

Nec pingues vnam in faciem nascuntur
oliuæ:

Vuarum nomina postquam poeta idem nos multa docuit, illa etiam adiunxit;

Quo te carmine dicam
Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt etiam Aminneæ uitis firmissima vina,
Tmolus, & aßurgit quibus & Rex ipse Phanæus,
Argitisque minor, cui non certauerit vlla,
Aut tantùm fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te mensis à Dijs accepta secundis
Transierim Rhodia, & tumidis bumaste ra cemis.

Quædam sunt alia, non ipsa quidem noua, sed necessario alijs nunc adiuncta nominbus, quàm erant olim consueta, quòd ipsum genus est quod dam nouitatis; quod qui teretes habent aures, tantumque ad Romanæ antiquitatis morem exercitatas, durum esse iudicabunt. Nam vasa olim Samia dicebamus, nunc tenendum nobis est, quibus alijs in partibus orbis, aut Italiæ, aut Europæ vrbibus, præstantißimum eius rei artificium sit, vt vasa nunc Fauentina potius dicantur.

Quædam adiuncta recentib. nominib.

cantur. Proxima Fauentinis hodie Neriti fiunt, quæ vrbs eſt antiqua Salentinorum. Hic non durè, aut parum Latinè eum loqui putem, qui ſe Fauentinis, aut Neritinis uaſis cœnatum eſſe dicat. Nec eò dura hæc eſſe uideantur, quòd paulo ſint à conſuetudine antiquitatis diuerſa, quando etiam neceſsitate ipſa probantur, quæ poſt rationem, & vetuſtatis vſum, tertia eſt loquendi magiſtra. Specula erant olim Brunduſiña, quæ valde laudabantur, ſicut lana etiam Tarentina; at nunc his duabus clariſſimis in vrbibus nulla earum rerum artificia ſunt, & ſolam ex antiquitate bonorum virorum ſeruant exiſtimationem. Ne Tyria quidem purpura eſt, quam dicere poſſimus. Nec Sycione oliueta, quæ Salentinis præſtent, nec Pæſti roſa, quæ Salernitanæ, uel Athenarum doctrinæ, quæ Bononienſibus. Viciſſitudo enim eſt rerum omnium, & ea quoque mutari ſolent, quæ ſimul ipſo cum mundo victura eſſe crederentur;

Tantum æui longinqua ualet mutare uetuſtas.

Nec opera ſolum Corinthi, ſed ipſa Corinthus, ipſaque Græcia nunc deſideratur, nec de iis hodie poeta diceret;

Excudent alij ſpirantia mollius æra
Credo quidem uiuos ducent de marmore vultus.

Multo plura hic, multoque maiora cogitare

nos volo, quàm ea, quæ Horatius monere Pisones voluit;

Debemur morti nos, nostraque: siue receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet.
Regis opus, sterilisque diu palus, aptaque remis,
Vicinas urbes alit, & graue sentit aratrum,
Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius, mortalia facta peribunt.

Verùm ego de rebus nouis, & earum nominibus arbitror satis dictum esse, non quòd saltem plurima collegerim ex ijs, quæ sunt infinita, sed quòd pauca hæc iter faciant ad plura, accuratiora, meliora. Docere enim omnia, ne si fieri quidem posset, velim. Quare transeo, vt illa quoque ostendam, non debere difficile videri, noua formare nomina rerum nouarum. Non enim antiqui, & auctores primi uerborum, arcana mysteria quædam sequebantur, quum rebus nomina accommodarent. Nam sunt alia à translatione, ut; Plurimæ nominũ causæ.

Iam læto turgent in palmite gemmæ.

alia à similitudine, ut;

Classique immittit habenas.

Alia ex contrarijs, ut in Parcarum nomine &

Eumenidum fecerunt. Alia ex causis rebus ve effectis, ut quum tristitia morti, aut pallor tribuitur. Alia sumpta ex multis, ut quum plura esse nomina alia potuissent. Alia ex casu, ut quum afferre aliquam nominis causam nemo potest. Alia à Græcis, ut nox, pœna, clauis, & quę sunt à nobis ante demonstrata. Alia ex nationibus, ut ammi, tlaspi, gesa, pelta, esedum, reda. Alia remotissimis ex causis, nec ut à scuto scutatus, sed ut puluinar, bidental, quorum altiusculè repetenda ratio est. Nunc igitur cognosci leuissimas nominum causas uolui, ut ijs cognitis, appareat quàm aliena, longeque accersita nostri, uel Græci, rebus nomina sæpius dederunt. Ac primum duo hic Varro fecit genera uerborum, unum uocat primigenium, ut lego, scribo, sto, sedeo, & quæ non sunt alijs ex uerbis nata, sed suas habent radices: alterum uult esse declinatum, ut legis, legit, legam, & sic itidem hinc permulta, quæ sunt analogiæ omnia. His tamē addere nos possumus, quæ etymologiæ sunt, hoc est, ex alio genere declinandi alia orta ex alijs, ut meminisse à mente, compitalia à compitis, nutus ab annuendo. Hoc de secundo genere dicatur, nec illa tamen scrutanda erunt, quæ ex alijs proxima ratione, coniunctissimaque nascuntur, ut à currendo cursor, à moriendo moribundus, & à uento uentosus, sed occultiora quædam ac remotiora. Vt enim concedatur Varroni, & meher-

Obscure nominū origines.

Fruges à fruendo dictæ sunt

mehercule nobis etiam ipsis, à fruendo fruges esse nominatas, rationem tamen dicere, qua id factum sit, nemo potest. Antamnas uerò urbem, quasi ante amnē sitas, nemo esset nostrum, qui dicere auderet. Interamnam prorsus, ut μεσοποτομίαν *fecimus. Auentini collis unde nomen sit, origines multę afferuntur, & plus una, uera esse non potest, & fortasse nulla ex ijs, quæ sunt allatę ad uerū accessit. A nobis porrò quid affirmari pōt, ipso ēt Varrone dubitante? Hoc ipso tamen, quod incerta sæpe ratio in his est, fit, quod maximè interest, ut uereri non oporteat, siquando necesse sit, nouorum quoque uerborum subobscuras etymologias, & nominum formationes ferre, modo ueri antiquitatis imitatores simus, ne uerba nobis deesse patiamur. Velabri autem minus obscurum nomen, & nominis ratio minus desueta, sed hanc metuendam esse tamen hodie putaremus. Suburram, quod fuerit sub antiqua urbe, nominatam esse scriptoribus nobilissimis assentior, sed ultimam syllabam prorsus intelligere non possū. Nihil enim habet, quod urbem significet. Cur tu igitur imitanda hæc censes? Non respondeo, & contra scire à te cupio, cur censere hoc non debeā. Si multa milia fortasse huiusmodi maiores nostri fecerunt, non debes dubitare, utrum latinè facta sint, & fieri similia à nobis oporteat. Pagum Succusanum scribunt esse dictum, quòd*

succurat carinis, uerùm hic succurendi uestigium uix ullum est, carinarum ne uix quidem. carinis etiam ipsis antiqui auctores nomen à Græco datum esse scribunt, Exquilijs à Regis Tulli Hostilij excubijs; utrumque obscurum nomen, integritate non apparente syllabarum. Venti flamē rectè extitit à flando, at Quirinalis flamen elegantius una detracta syllaba dicitur. Est enim à filo, & hinc, non satis magna ratione filamen, vnde postea flamen. Si à me quæratur, quid ex his velim; industriam ostendo maiorum, elegantiamque, & studiū splendoris, vt ex detruncata uerborum etymologia doceam, ne nobis quidem, detruncationum eiusmodi esse metuendam. Vaniè enim grammaticus hæc reprehendat omnia, quòd suas non uideat in his leges esse seruatas, at miretur potius magna prudentia quæsitam in uerbis pronunciādi suauitatem. Hunc nos morem, quoties nomen aliquod faciendum est, reiectione literæ, aut syllabæ unius, uel plurium, insuauitatis, aut lōgitudinis, aut incommodi cuiuspiam fugiēdi causa imitabimur. Non quæram igitur miles vnde, & qua ratione dicatur, nec est cuia valde intersit scire, nec multi ignorant, & si qua tamen obscuritas est, ea cum cęteris, mihi quidem, elegantissima videtur. Iam nec lactucam dicimus, quod sola, sed quod pręcipua ex oleribus lacte abundat. Ex hominum quoque aliorum nominibus quędam nascuntur

Lactuca unde dicta

unde

unde salacones, ut Gnathones, Ardeliones, Thrasonesque, dicti. Sunt his affines, quę μετωνυμίαι figuræ dicuntur, ut;

Sine Cerere, & Libero friget Venus.

Mihi tamen sermo cępit esse de ijs, quæ obscuritatem habere nonnullam uidebantur; quæ obscuritas, & commoditatem fingendi, & uenustatem nominandi affert plurimam, cognita mature, & adhibita prudenter. Et iam de nominum, ac uerborum formis, de translationibus, varioque usu partium orationis, quæ, infinitam sine dubio afferunt copiam latinitati: postremò etiam de nominibus, & uerbis ad res, actionesque nouas accomodandis, uidetur mihi hactenus dictum satis. Arbitror enim ex paucis, quæ breuiter his quinque libris sum cōplexus, uiam esse patefactam ad ea, quorum non sit finem aliquando inuenire. Quare nunc transeo, ut à principio institui, ad si qua mihi de aduerbijs dici utiliter posse videbuntur. Ac primum sunt aduerbia, quorum nulla est analogia, nihilque simile ijs gigni potest, itemque alia unde nasci aliquid minimè neceße est. Numeris enim (ut hinc incipiam) omnibus, sua data sunt aduerbia, ut semel, bis, ter, quinquies, decies, quinquagies, centies, millies, ut nullus hic esse locus nouitati poßit: nisi quid simile fiat illis, bipartitò, tripartitò, ut huiusmodi aduerbiorum formas, in cęteris numeris, aut omnibus, aut quibusdam non

Postremus est ad uerbiorū locus.

Bifariam, & Trifariam dicere possumus.

pertimescas. Bifariam quoque, trifariam, quadrifariam, & multifariam aliquid habent præterea, quod audere possimus, ut illa, primum, secundum, tertium, quartum, quintum, sextum, septimum, usque ad centesimum (si necesse sit) & millesimum. Nihil ex se pariunt quæ ad ordinandum pertinent, Tum, Deinde, Dehinc, Deinceps, Postea, Preterea, & quæ loci sunt illius, ut nec iurandi Aedepol, Castor, Hercule, Medius fidius. Sterilia similiter sunt affirmãdi, ut Quippe, Nempe, Scilicet, item negandi, dubitandi, interrogandi, hortandi, eligendi, prohibendi, intendendi. Ac ne multis agam ad remittendum pertinentia, demonstrandum, optandũ, uocandum, extenuandum, ad euentus, ad similitudines, ad comparationes, ad quantitates, ad loca, ad tempora, nihil habent quod fieri maius queat, aut necesse sit. Denique è sex, & uiginti generibus aduerbiorum, quę in decimo libro de lingua latina fecimus eiusmodi formarum, ut rectè, sapienter, & ostiatim, sola possunt ad numerum crescere infinitum. Prima sunt à quibusdam nominibus qualitatum, quæ adiectiua nominãtur, ut à probus probè, & à lentus lentè. Fiunt & à quantitatum paucis, ut altus altè, profundus profundè; sed hæc rara sunt; illa verò magis propria & infinita. Nominibus enim exceptis colorum, à cæteris fermè omnibus aduerbia fiunt qualitatum. A tertia forma declinaudi sunt, bila

Aduerbia qualitatis, unde fiat.

riter & prudenter. Verum fiunt hæc etiam à se cunda, vt vtrumque ab ea dicatur; unaque sit uox, rationis, & analogiæ, sincerè, durè, ignauè, fraudulentè, luculentè, truculentè, violentè, humanè, turbulentè, commodè; altera doctorum, & consuetudinis, sinceriter, duriter, ignauiter, fraudulenter, luculenter, truculenter, uiolenter, humaniter, turbulenter, & commoditer. Paucio ra sunt à tertia declinandi forma similiter cadentia, ut secundæ, dulcè, repentè, hilarè, facilè, tametsi hilarus etiam dicatur, unde hilarè dici ex ratione potuit. Vt se tamen cumque res habet, nec ueterum finis est huiusmodi aduerbiorum, à duabus his formis declinandi, nec terminum putemus nouorum esse vllum oportere. Nec ideo prudenter, feliciter, Sallustianè, Ennianè, Catonianè, recipio, & latina esse volo, quòd sint hæc in albũ latinitatis, quondã, ipsis à Romanis relata, sed quòd licere doctissimis om niũ seculorũ debet, quoties necesse sit, similia à similibus formare. Quare etiam illa ad postremũ uideamus, quæ sunt, ut ostiatim, paßim, turmatim, pectinatim. Hæc uel separationum sunt, uel similitudinum, ut oppidatim, viritim, speciatim, generatim, tributim, regionatim. Plurima hæc sunt, & uiam (quemadmodum cætera) nobis, doctisque omnibus fecerunt ad quæ nondum cogitauit quisquam. Et profectò, qui nunciatim, qui municipatim, qui syllabatim, qui nobis insolen-

Ostiatim. Turmatim.

len-

lentiora dicere sunt ausi, non videntur existimasse, nobis eandem rationem sequutis, extimescenda quæ desunt, quæque ipsis non accidit, ut nouarent. Imbricatim, cuniculatim, & carinatim facta sunt, quæ imbricis, cuniculi, uel carinæ similitudinem habent. Legebant olim docti homines in P. Nigidij commentarijs, & antiquorum libris tuatim, & meatim, nec miremur, quòd incisim, membratim, cancellatim, & huiusmodi plurima legamus. Afferunt eodem ex Nigidio, canatim, suatim, bouatim. Non enim putabant veteres non licere sic loqui, vt canatim latrare, bouatim mugire, suatim in libidines ruere. Quare ne illa quidem uitauissent, lupatim esurire, uulpatim latere, asinatim rudere, colubratim serpere, & si mille similia his necessaria cognouissent.

Hæc erant Camille quæ mihi de copia latini sermonis præcipienda uidebantur. Feci etiam non inuitus, ut multa non prorsus ab instituto aliena, præterirem. Putaui enim satis, quòd singulis in libris multa breuiter infinita esse docui, ut ex multis infinitatibus, & ipse uerè infinitas esse veteres Latij opes agnosceres, & ego, (si res postulet) nullum esse debere apud homines doctos finem aliquando nouitatis, ostenderem.

FINIS.

Q. MARIVS

CORRADVS

VRITANVS.

CAESARI [illegible]

[illegible]



VENETIIS

Apud [illegible]

M. D. LXXX[illegible]

[illegible]

F I N I S.

Q. MARIVS CORRADVS VRITANVS,

GAPSARI CERVANTI SALERNITANORVM Archiepiſcopo S. P. D.





VENETIIS.
Apud Franciſcum Zilettum.
M. D. LXXXI.

Q. MARIVS CORRADVS VRITANVS,

CASPARI CERVANTI Salernitanorum Archiepisc. S. P. D.



VPERIORIBVS diebus quùm in sacrario loquerer tecum, dolui vehementer quòd erratum à nobis cognoui de consilio, & voluntate tua. Sed me consolor, quòd summus vir Paulus Aemilius Verallus, quæ sub tempus concilij mecum egit, ea multis etiam nobilissimis viris probauit. Is heri libellum protulit, quem forte habebat in sinu, ordinemque ex eo mihi, & ijs, qui aderant, concilij omnem exposuit. Denique mirabatur vnde ortus esset error. Ego in viri grauissimi auctoritate, cui tu summam concilij gubernandam omnem tradidisses, mihi acquiescendum putaui, qui præsertim diceret, quæ ipse cogitaueram, & cogitaueram ex iussu, & auctoritate tua; contra ritum concilij vsitatum omnia videri. Homini antem ex familia Iesuitarum, à se aiebat, aut à collegio datum esse munus ex Theologia disserendi, antequam me uideret. Ea de re non putabam loqui me tecum oportere, de qua tibi con

uenisse cum Verallo arbitrabar. Ibam tamen ad te, si quid aliud à me velles. Responderunt cubicularij te in lectulo eo die nonnulla ægritudine teneri, idque Iustus Carbalus legatus mihi tuus confirmauit, cui, hunc etiam errorem, & animi mei molestiam narraui. Tertio, uel summum quarto die post, quàm hæc acciderunt, uocat me puer tuus, rogatque statim vt ad te ueniam. Properans, conclaue illud ingredior, ubi Pontifices erant. Hinc tu discesseras paululum ante, quàm ipse ingrederer. Commotiunculam tibi quamdam aiebant accidisse. Tum Paulus Aemilius iusiurandum à me petit, quòd secretorum concilij Salernitani à te mihi, & uestro collegio munus datum esse diceret. Denique iuratus abii, illo accepto munere secretorū, qua ex re, priore mandato me perfunctum esse arbitrabar. Acciderunt hæc tamen, ut casus quidam, vel error, uel concilii nouæ rationis tulere. Itaque uidebis posthac, oro, te num qua tibi mea opera vtendum sit. Ego quidem certe ex poma epistola, quam affecta ualetudine, ex domo Ißapicarum ad te dedi ut primum in hāc urbem ueni, hoc denique perficere cupiebam, ut me in tuam summa nobilitate, summaque auctoritate uiri, sanctißimique hominis fidem darem. Etsi enim occupationes uel meę, uel tuæ, uel minimè blanda nostrum vtriusque natura non sæpius permittat me domum frequentare

tuam,

tuam, & quæ uulgò præstari solent, nihil tamen sic promptum, ac paratum esse uolo, quàm mea officia omnia, & meam in te uoluntatem. Habebis hominem semper, ut hactenus, alienum à rumoribus uulgi, sæpius cogitantem, rarius loquentem, rectis studiis, & antiquis literis deditum, nullius uel docti hominis famæ detrahentem, uel indocti cuiusquam. Sed nota sunt hæc tibi sæpius de congressionibus nostris. Nec illud ignoras tu quidem, fuisse me Bononiæ multos annos in literis apud Romulum Amasæum, præceptoresque summos rectißimè dicendi. Cæteras artes omnes, in quibus elaboraui, minimè contemnens, græca studia, & latina præcipuè sum complexus. Impulit me ad hæc natura mea, qua, nisi me amor mei, aut error fallit, uideor mihi equidem ad elegantißima omnia esse factus, non solum doctrinas, & linguam, sed mores, pietatem, atque omnem uitam. Vixi Romæ, & in luce hominum, Pontificatu penè toto Pauli iii. Pont. Max. cum sanctißimis uiris. Notę ipsi etiam Paulo meæ literulæ fuerunt. Orationes habeo, quas à me hic libentißimè audiuit. Duo tum Cardinales fuere, qui in secretis mea opera, & grauißimis in rebus utebantur, Hieronymus Aleander primum, deinde Thomas Badia, quo neminem eo tempore habuit ille ordo sanctiorem. Sed facio contra, atque esse dicebam naturæ meæ, qui uerbosius me ui-

dear iactare. Quorsum enim hæc mea pertinet oratio? Dicam breuius, quàm res magna dici potest. Ego meam à prima infantia uitam, cũctis mortalibus uelim esse cognitam. Nemo posset hominem, re, aut uerbo, iure, aut iniuria à me uiolatum dicere. Mihi tamen dedecus, mihi periculum minitantur, uel capitis, uel rerum omnium. Hic non agam pluribus. In hanc urbem Salernitanam, ubi florent studia omniũ scientiarum ueni rogatus ab Aloysio Issapica, nobilißimo iuuene, & ab aliis bonarum literarum scientiam amantibus; quo tempore aduentus meus neminem lædere potuisset. Res autem ut acta sit uir clarißimus Caspar Gryllus cum filio Metello cognouit, ut ueritas iam labefacta ri uerbis non poßit. Aiunt nescio quid me Neapolim scripsisse contra existimationem doctrinæ suæ: falsum est, & malitiosè cogitatum. Serò autem Neapoli admonitus à principibus uiris, ut quorumdam hominum insidias cauerem. Et si ante cognoui omnia, binis tamen responđi literis, vt eram prouocatus. Nihil fuit his de rebus, aliud à me literarum. Deinde uerò quùm abs te in concilium, partemq́ue muneris benigne, amanterq́; uocatus essem, ad suos Neapolim scripserunt, me tibi nescio quibus de suspicionibus esse reum, deque iis à te quæstiones haberi. Capitalia autem in me, aut se ipsos excogitauisse crimina, aut ab aliis audita diuulgasse

confi-

confitentur, aut in iudicium deducturos minitantur, quod ijs, quibus ante dixi, literis, quas à me scriptas esse suspicantur, se se aiunt esse cōmotos. O grauitatem antiquam, atque fidem, homines que dignos, quibus cum ex ratione de officio boni viri, & humanitate disputes. Iam non miror amplius, quod se fecisse omnia fatentur, ut Neapoli meas rationes euerterent, usos etiam ope, & consilio principum uirorum. Quando hæc illis uidentur facta, & cogitata rectißimè non putaui mihi cum eiusmodi hominibus esse disputandum. Quid enim cum ijs disputes hominibus, apud quos nihil est quod omnis Italia, & Europa de me, studijsque meis rectissime sentiat, & loquatur? Apud quos illa infamia laboro, quod Grecè sciam? Sibi uideantur esse sapientes, quòd me innocentem antequā vidissent, nullis que rebus cognitum affixerint, & nunc isto nomine glorientur? Quod argumentorum genus contra eiusmodi ingenia ualere poßit? Non tamen impedio, quin sentiant, quod volunt. Si quiescent, nec erunt amplius molesti, non persequar meas iniurias, ac ne vno quidem posthac uerbo crudeliter, nefariè que illata mihi damna vlciscar, & famæ turpitudinē. Christus hæc uiderit, illiusque mater præcipuū, ac familiare semper mihi numen. Sin pergent insanire, tum non ἀλληγορήσω amplius, & implebo scriptis hac de re meis Italiam, efficiamq;

ut aduersariorum de officijs, & æquitate sapientes iudicent, meis uero de studijs literati homines, de uita autem, & moribus tu ut recognoscas. In me si quid erit indignum his diuinis, humanisque legibus, in quas tu superioribus diebus in Salernitano concilio, Pontificesque tui iurauerunt, non causam dico, quin mea isti omnia rectißimè criminentur. Verum homines a me rerum ignaro omnium, sæpius laudati, à quibus fueram antea fortunis omnibus euersus, quùm sibi in animum induxissent me literati hominis existimatione etiam spoliare, idque temere, perfidiose que tentatum non succederet, mihi (quod putabant esse facilius) uitam per scelus, atque audaciam eripere uoluissent. Vnde uerò tantum odij acciderit, ne ipsi quidem possunt existimare, quos numquam re, aut cogitatione prouocauerim, & prouocatus lenißimo animo tulerim. Oro te igitur quantum homo hominem potest, perque istum sanctissimum ordinem obtestor, ut causam tanti odij, & crimina in me ab ijs coniecta uelis cognoscere, eosque tecum, præsente me, his de rebus, totaque hac de epistola disputare. Ego enim & si mihi liberum esse uolo sentire de literis, quæ oportet, nec meam sententiam donare amicitiæ, aut obstinationi cuiusquam, tamē coniunctiones animorum, ac suauitates omnes didici & cum doctißimis & cum rudibus literarū

san-

sanctissimè conseruare. Istas uero non capitales modo inimicitias, sed leuißimas etiam simultates, detestandum homini Christiano scelus esse puto. Hanc sententiam semper constantißimè, & hunc morem inuenies à me ubicunque vixerim sanctißimè conseruatum. Postremo autem, his duodecim annis amicitia sum usus Caroli Bouij summa rerum omnium scientia, & pietate hominis, amicißimi tui, nostri, & Brundusinorum Pontificis, optimoque isto de ordine, & religione meriti, quo tu homine illorum Pontificatuum honore, apud Parasannum Riueram Prætorem confirmasti neminem tibi uideri esse digniorem. Ab illo igitur cognoscas uelim omnia, quibus meam isti summam existimationem labefactare conantur. Is me & plurimum dilexit semper, & inter caros habuit, & inuitum, modisque omnibus repugnantem honoribus affecit. Roga enim quantum laborauerit is eo die, quùm in templi Vritani me collegam, summa uoluntate sua, nulla mea cooptauit. Mitte ad illum literas, cognosce an ego mentiar, cognosce an similiter is, atque istorum temeritas de me sentiat. Doleo autem, quod anno superiore meā ab illo, non quidem uoluntatem, sed consuetudinem homines quidam seiunxerunt. Ab illius enim rebus, quum liber essem, ad hęc me loca homines quidam magnis pollicitationibus, & infinita spe honoris, & commodi adduxere. Iis quū

pro-

promisissem, uenire sum coactus, quùm Bouius mea studiorum opera uti uellet. Aduenienti, spes, & ea mansere omnia quæ multis, & nobilissimis uiris testibus promissa fuerant. Vt autem res à meis aduersarijs cognosci cœpta est, omnia sunt excogitata, ut ij, à quibus fuerã accersitus, in officio, atque fide non manerent. Sed nihil opus est proferre multa quæ hìc latent, plena sceleris, & iniquitatum omnium. Quare ad illud reuertor ut gaudeam immortaliter habere me presidium summæ uirtutis, ac fidei tuæ, in quo posim respirare teque oro, & obsecro ut meam innocentissimi hominis uitam, studia, existimationemque omnem tueri uelis.

Vale, nos ama, ac tuere. Ex Domo nostra xij. Kal. Septembris. M. D. LXVI.

Q. MARII CORRADI *Vritani Ad Concilium Salernitanum.*

ORATIO.

SI QVIS *forte miratur Pontifices, quid sit quod ex tanto consessu vestro, & amplissimorum hominum, qui adsunt, ego potissimum surrexerim addicendum, is cogitet velim, nec me quidem sic arrogantem esse, vt mihi hoc tempore apud vos locum habendæ orationis esse credam, Ego enim is sum, qui & longissimè absim à tanta grauitate sanctissimi ordinis vestri, nec ignoro quàm impar sim ingenio, vsu rerum, ac doctrinis, & quòd maximum est, scio qui summum inter vos locum teneat, illius tantùm esse munus his de rebus in præsentia disserendi. Quamobrem, vir magna pietate, publica etiam, & priuata religione clarissimus, Gaspar Ceruantes hic, Salernitanorum Pontifex, qui concilio præest, infirma ipse, vt nostis, valetudine, affectisque viribus, me aliquid hodierno die apud vos vti dicerem rogauit. Ego autem, & si illius ægritudo corporis,*

Qua de causa Q. Marius hanc habuit orationem.

& maximarum quæ imminent functiones rerum, ac defatigationes omnium, qui adestis, à me breuitatẽ fortasse uideantur exigere dicendi: sic tamen obsequar tacitis animis, ac uoluntati uestræ, ut abstineam quibus uidebitur, Sed neque officio, neque expectationi plurimorum, aut huius loci religioni desim. Rogo igitur uos, & obtestor, si quid unius horæ tempus uidear præteruectus esse dicendo, id omne inter concilij huius, officijque uestri labores numerandum putetis. Ego quidem certe id efficere conabor, ut hic mos huiusmodi in concilijs audiendi oratores non frustra à sapientißimis quondam uiris, maioribusque nostris inductus esse uideatur. Quando autem benigne, attenteque scio uos eße audituros, etiam si non publicis de rebus ageretur, illud minus dubitat quisquam, fore vnumquemque uestrum eo attentiorem, quòd non mea tãtum uoluntate hunc ascendi locum, sed quia Gasparis, quem dixi, auctoritati, & consilio parendum fuit. Itaque nunc principis uiri, & magna auctoritate, summa fide, & religione Pontificis ex me sermonem uobis hodierno die putabitis esse audiendum. Ac uidetur mihi, quæ præcipua sunt in animo illius, & communicatione sermonis mecum, ex ijs maximè gradum esse faciendum ad ea, quæ propria esse huius loci & causæ uidebuntur. Hæc illa dum expono quàm breuißimè magnis de rebus dici potest,

test,meam quoque,idest priuati hominis auctoritatem atque partes, oro uos pro humanitate uestra,aliquas esse patiamini. Primũ,igitur hic Ceruantes, ut singulatim uobis per se,intra domesticos parietes , ita nunc simul uniuersis in prouinciæ conuentu publico,oratione mea gratias agi mandauit. Et si enim ea est illius auctoritas & imperium,& Salernitani Pontificatus amplitudo,ut etiam ex legibus & antiquissimo iure adesse uos omnes oporteret, magnam tamen animo capit lætitiam ex humanitate uestra,qui etiam libentissimis animis,ac fraternè omnes affuistis. Quare etiam sic intelligit,uos concilium hoc,uel sua causa prætermissuros non fuiße, quamquam leges nullę extarent, quibus parendum esse crederetis. Itaque uos amat,fratrum loco amplectitur, & coniunctionem hanc non collegij solum,sed beneuolentiæ singularis, & suauitatum omnium, sperat inter uos fore sempiternam. Illud sibi ignosci à uobis postulat,quòd peregrinationum & laboris,& omnino rei totius incommodum, adineuntem Sextilem,idest maximè æstuosum anni tempus indixisse uidebatur. Suæ enim pietatis,atque uestræ munus hoc habendi concilij,ipsi imperatori Deo,ac religioni, clementiori cælo præstare uoluisset. Sed uiro sapientißimo,atque humanissimo,difficultates, & incommoda hæc, uestra causa uitare cupienti,literæ, scilicet primũ Phi-

lippi

lippi Regis, deinde Pij Quinti Pont. Max. obstiterunt. Ab illo enim Philippus per literas petierat, ut maximis, grauissimisque de rebus in Siciliam proficisceretur: Pius uero eas literas ad illum scripserat, quibus ad prouinciæ totius concilium, primo quoque tempore conuocandum vrgeret. Imperijs igitur summorum principum distractus, & utrique obtemperare cupiens, aliud inuenire consilium non poterat ullum, nisi ut illo potissimum tempore Pont. Max. auctoritati & legibus pareret. Nunc uero, quando res aliter cecidit, ac putatum erat, ut rectissime id fieret, quod is non credidisset, uehementer gaudet sibi quoque illos feruores uitatos, & Siciliæ profectionem ad uernum tempus dilatam fuisse. Orat uos, quantum de re maxima & omnium grauissima quisquam posset, ut uirtute, prudentiaque uestra, se hoc tempore diuinis de rebus tantum, ac de religione cogitantem, ubi opus cũque uidebitur, pro eo ac munus uestrum postulabit, amantissimè subleuetis. In maximarum enim rerum laboribus, quæ illi, & uobis etiam impendent eo nomine uidetur sibi posse lætari plurimum, quod summa doctrina, summaque sapientia, sanctitate, atque usu rerum uos habet collegas, unde in rebus obscuris, ad hoc munus difficile, inuolutum, multisque iam seculis intermissum, ueluti à multiplici quodam sole mutuari lumen posit. A maioribus enim

con-

condita lex fuerat, eaque maximè salutaris ad religionem retinendam, à sapientissimis viris existimata est, vt maiores Pontifices in suam quisque Metropolim conuentus minorum Pontificum de religione singulis annis conuocarent. Hanc morem qui diu ante nostram memoriam, vitio temporum obsoleuerat, nuper Tridenti, in concilio orbis terrarum, ex auctoritate uestra, paulo ante biennium, aura cœlesti, afflatuque diuino permoti homines, tamquam postliminio reduxerunt. Vos igitur Pontifices, qui omnem disciplinam sacrorum tenetis ex illo, seu more, seu lege, à vobis restituta, in hanc urbem de religione, deque moribus cognoscendi causa conuocatos orat Gaspar Ceruantes, obtestaturque, vt rectissimè cerimonias, atque ritum concilij gubernantes nostris hominibus desuetum, iudicijs etiam, sententijsque uestris, ipsum Dei spiritum, atque numen præsens esse debere cogitetis. Nullum hic enim oportet esse locum vel gratiæ, vel commodum cuiusquam, vel alterutram in partem propensionem uoluntatis. Sic animatum esse conuenit vnumquemque vestrum, vt non modo alterius, sed ne sui quidem ipsius rationem haberi placeat, & seueritatem iudicij, uel sui uel aliorum non minus in se, quàm in cæteros, etiam alienissimos, exerceri uelit. Memoria tenendum est quanta fuerit huiusmodi conciliorum aliquando apud maiores, & nunc esse debeat auctoritas,

Adhorratio ad pōtifices congregatos. Vide Co. Triden. Sess. 2. in prin.

ctoritas, quum sciamus in his profligatas esse olim hæreses, religioni perniciosissimas, & magnam partem ius Pontificium, ex illorum decretis esse constitutum. Quod si nunc etiam & omne posterum in tempus ita hæc celebrentur, vt studia, cogitationesque hominum ad vnius Christi leges, voluntatemque respiciant, nihil contra religionem, aut mores extabit amplius quod hunc statum rerum, & quæ sunt à maioribus instituta, uel mediocriter labefactare possit, Nullę stirpes, aut Semina malorum in populis, aut ciuitatibus nascentur, nulla in rebus publicis de ritu sacrorum, de legibus, de iure publico, falsa aliquando opinio succrescet. Vtinam verò agi conuentus huiusmodi intra fines Germaniæ, uel toto etiam orbe terrarum à religiosis hominibus numquam desiuissent. Nam si consuetudo ea, cui tantam vim, & auctoritatẽ esse maiores voluerunt, intermissa non fuissent, numquam profectò, vnius Lutheri sceleratissimi hominis furor, atque audacia latebram, in qua delitesceret, aut socios, fautoresque detestandi facinoris inuenire potuisset. Nunc damus negligentiæ, socordiæque nostræ pęnas, ut qui prouinciarum concilia, idest nascentium malorum omnium euerricula diu intermortua esse tulimus, annis iam paulo minus quinquaginta innumerabilium animarum ex urbibus Germaniæ, & Europæ ius mancipij à Christo ad immanissimas

manißimas furias translatum esse doleamus. Sed continuam hoc loco, Pontifices necesse est vim doloris mei, atque vestri, ut non ualde ad illa ingrediar, ad quæ me ducit oratio, trahit impetus, rapit memoria, & cogitatio malorum. Quæ enim tempestas in religione maior vnquã fuit? Quæ sceleris contagio tanta in vrbibus etiam Italiæ clam furiosorum animos peruagata est? Nec desunt enim hodie etiam inter nos plurimi, quibus non recta de sacris opinio, ac sententia, sed metus iudiciorum, ac terror mortis impedimento est, ne perditis animis, ostentatam ex noua Germanorum disciplina mortem complectatur. Viuunt nefandissime inter bonos, & alicubi, ab hoc statu religionis, & iam nunc cœli regionibus exclusi, alios etiam ad perditissime uiuendum adducere conantur. Illud nanque à primo ortu mundi scimus hostem generis humani prouidisse, ut eßent in hac uita quam plurimi, quorum opera, atque artificijs ad auertendos bonorum animos uteretur. Ipse enim occulta uia, peßimo instinctu, minimèque prouisus insidias locat, inque animos hominum. ut latens quodam virus illabitur; illius autem direptores, atque administri, sermone, consilijs, communicatione doctrinarum, quasi prodesse cupientes inuadunt. Plena est omnis via, nec expertes omnino Italiæ ciuitates huiusmodi insidiarum, ut mouere pedem, aut consilium inire

aliquod non poßis, vbi non multa terribilia cauerí debeant. Princeps enim ille, quem dixi, furiarum, qui primos omnium hominum à Dei voluntate, & imperio ad fraudem, & ad scelus incitauit, iam tum ab eo tempore, ius quoddam sibi instituit perdendi generis humani, quod ius, consiliumq; suum, usque ad mundi interitum conseruaret. Hic ergo nunc omnia quùm persequatur ad impediendas rectissimè factorum uias, ad sceleraque omnia expeditißimum patefaciat iter, tum illud precipuè molitur, ut in ciuitates, in regna, in populos, & quotcunque in cœtus hominum, falsas de Deo, falsas de sacris, falsas tota de religione sententias inducat. Quid enim uel in terris omnium perditißimorum hominum ingenia, uel apud inferos ipsa illa monstra furiarum contra nos exitialius inueniré possent? Qua propter non solum hac tempestate nostra, sed omniam sæculorum ætatibus, id egit semper ut exemplo suo rebellare nos à Dei imperio, ac legibus doceret. Nec ignorare aut obliuisci possumus extitisse quondam illius impulsu sceleratißimos etiam ante Christū natum homines, qui responsa uatum, & oracula de antiquis religionum libris sustulerunt. Ex his ortos accepimus, eos qui ad semel extincta corpora nostris animis nullum fore amplius reditum sentiebant. Eodem pene in tempore fuerunt, qui ius diuinum aspernati, suas leges traderent,

Pessimū malum. hæresis,

derent, qui honores diuinos Herodi tribui uellent, qui matrimonia esse debere communia putarent. Post reditum verò Christi in cœlum, præter Simonis & magorum præstigia, & Principum Romanorum proscriptiones, uniuersumque orbem terrarum paucissimos in Christianos concitatum, exorta non longo interuallo est Mahomethana hæresis: quæ res nostras turbauit, fregit, penè funditus euertit. Hæc primum fax in religionem iniecta, quam vel non statim viderunt nostri homines, vel extinguere cupientes nequiuerunt, paulatim augescens in flammam creuit immensam, qua populi, urbes, regna, & maximæ prouinciæ conflagrarunt. Hinc illa exarsere incendia, quæ religionem ex Rhodo, Antiochia, Byzantio, Alexandria, Carthagine & vniuersa & Thracia, Hellesponto, Syria, Asia, Africa, Aegypto, Græcia, & plurimis etiam ex Europæ vrbibus vexatam, atque exustam expulere. Denique autem religionis illius, quæ sanguine Christi parta nobis fuerat, nullum ijs, in quibus dixi, locis vestigium, ac ne restinctos quidem cineres infestissima natio Mahomethi reliquit. O nos duros, qui sine suspirio, sine lacrymis cogitare hæc possumus: o ferrea Principum Christianorum pectora, qui aliud quidquam sibi magis cogitandum arbitrantur. Christi præterea seruatoris nostri sepulcrum, & incunabula esse patimur in hostium potesta-

te: sanguinem verò illius, non videmur sentire vniuerso generi hominum debere esse salutarẽ, sed nostros tantum ad Europæ angulos pertinere. Sed heu nos miseros, quàm uerendum est, ne is, qui suos triginta annis miserrima vita exantlatos labores, cruciatus, crudelissimumque mortis genus, ac turpissimum, vsque ad inferos etiam patere uoluit, & seruare alios etiam, innumerabilesque mundos potuisset, eò sit à nobis, rebusque nostris alienior, quòd se, vt leuissimè dicam, frustra esse mortuũ intelligere videamur. Nec in mentem nobis veniunt ea tempora, quibus nostra erat Africa, nostra Asia, nostra Aegyptus, omnesque intra Oceanum insulæ, ac regiones, & religio in his, & leges Christi, & imperium tenebatur. Nunc verò ex his locis, & amplissimis vrbibus, vnde ad Christũ sacra, incensi odores, & sanctissimæ ad cœlum animæ quotidie uolabant, templa Mahomethis, imprecationes in Christi nomen, bella sempiterna, impetus, uastationes, incendia in Christianos, & nefandissimæ in Christum derisiones afferuntur. Vbi nunc sunt qui se Christianos esse gloriantur? Vbi autem qui millies vitam sibi quàm vlla ex parte nomẽ hoc auferri mallent? Nollem durius aliquid Pontifices, nollem acerbimus dicere, sed profectò etiam si non dicatur, ipsa tamẽ res durissima est, & maximarum acerbitatum omnium summa. Ignoscite nos igitur,

Olim tres mũdi partes credebant in Christum

ignos-

Ignoscant omnes homines iustissimo dolori: nemo à religione uera tam fuit unquam alienus, ut religionem ac pietatem intra nomen continendam putaret. Quotusquisque enim nostrum cogitat, quis dolorem capit, quis irascitur, aut uindicandum putat, quod tamquam nō satis fuerit olim ab Herode illusum esse Christum, uirgis à Pilato cæsum, à Iudæorum immanissimis conspútatum, nisi etiam nunc in tota Asia, Africa, & intra Europæ terminos quotidie rideatur? Quid enim sacerdotes illi Mahomethis in nos precantur? quo nomine Christum appellant? quibus honoribus afficiunt uirginem Christi matrem? Inter conuiuia plurimùm nefandissimi homines, inter ludos, & ebrietatem, uino etiam lege Mahomethis nonnunquam uiolata, turpissimis uersibus, ac dicacitate in Christi, ac diuinum nomen debacchantur. Aude nunc igitur, si potes, negare Christum ante oculos tuos uinctum duci, raptari, cædi, eique in crucem acto amarissimam ad singula momenta fellis, & aceti potionem dari. Nunquam ne recordabimur, nulli mortales erunt aliqua saltem in posteritate, quibus ueniat in mentem ferri amplius tot semper illatas Christo iniurias, & indigna illius diuinitate, fœda omnia non oportere? Clamitat enim hodie illa iunumerabilium gentium barbaries, cur Deus iste nō potuit Mahomethi paria facere? Cur Mahomethus, illi

 sacra

sacra ex omnibus terris adempta, sibi potuit uendicare? Multo sunt hæc acerbiora illis, quæ per furorem à Iudęis iactabantur; quando eripere se ab ultimo supplicio crucis non posset, Dei esse filium credi non debere. Illis enim sponte se obiecit, quo nos liberaret, hæc uerò, gratiæ loco illi reddimus, quia liberare uoluit. Nec mihi ad hæc respondeat quisquam, hanc uel ad maximos Reges, non ad se pertinere orationem, uel nullas Christum eius mali, ac delicti pœnas esse repetiturum à nobis, quod est multo ante aliorum negligentia commissum. Primum enim Pontifices, ut illud prætercam, quod hæc orbe terrarum audiente uelim dicere, nullius rei uel grauitas, uel magnitudo potest esse tanta quam sapientia, amplitudineque uestra alienam putem. Ea est enim dignitas ordinis uestri, is gradus honoris, is cursus denique ad summam gloriam, ut qui in hac urbe nunc, antea uerò Tridenti, semper autem Pontificibus maximis, ac cæteris Christianorum principibus, summorum consiliorum auctores esse consuestis, nullas rerum pulcherrimarum cogitationes, ac ne spem quidem imperij, maiorem fortuna, maiorem uirtute uestra existimare debeatis. Quumque hoc sensu uos esse oporteat, ne illo quidem in errore omnium hominum consilia uestra, cogitationesq; uersabuntur, ut pertinere ad nos amissæ religionis culpam reliquo ex orbe terrarum, uel maximi

mi illius pœnam flagitij, cunctis hominibus, ac posteritati luendam negetis. An uerò de sacris illa possumus non recordari, ut antiquißimis temporibus fabricator ille Deus uniuersi, quæ parētes commiserunt, eorumse pœnas à filijs, ac nepotibus usque ad longissimum tempus reposcere minitatus est? An illud ignorat quisquam, ut prisci illi mortales paterni sceleris, atque auiti, suorumq; maiorū supplicia sumi à se maxima cōqueruntur? Afflictis enim suis temporibus in luctu, ac lacrimis quum superioris ætatis peccata in se expiari cognoscerent, miseri homines, perinde ac si permansā à parentibus vua acerba sibi dentes in tam magno temporis interuallo obstupefacti eßent, suæ patriæ ruinas, exilia, & seruitutem lamentantur. Alij uerò turrim altitudinis immensæ quùm ædificarent, unde ad cœlum gradus fieret, non ipsos tantū qui id nefarium opus molirentur, sed omnium terrarum homines puniri Deus uoluit, ut sermonem, qui unus antea omnium gentium fuisset, multa in genera linguarum, nouæ temeritatis causa dißiparet. Sed quid multa commemoro? Nonne, ut plurima de sacrorum libris taceam, à principio generis humani, sequutura omnis posteritas, ex duorum hominum crimine ad pœnas innumerabiles damnata est? Non est mei, neq; uestri, Pontifice, ac ne humani quidem ingenij diuinam sapientiā, & cōsilia scrutari. Nā quan-

Seuera Dei punitio in filios, & nepotes peccantium.

to cœlũ est, altius ac pręstabilius, quàm terra, tãtò, ac multo plus etiam superiora Dei studia sunt, atque sensus, quàm nostri, vt non eadem illi, quæ nobis, vel iusta esse, vel vtilia videantur. Quamobrem pro sua admirabili, recondita, ac sibi tantùm nota sapientia, sic statuit, & si non quidem omnia, insigniora tamen flagitia, culpasue hominum, infinita etiam in posteritate vindicare. Nos igitur miseri quanta à maioribus relicta crimina sustinemus? Quantum est vel hoc vnum, quod pessime illi hanc remp. gesserũt, quod illorum culpa, ne dicam socordia, ac stupiditate, ne dicam immanissimo genere impietatis accidit, vt Christi sanguis, ac spes vitæ, atque æui illius sempiterni ex omnibus ferè terris auferretur? An ille non pro mortalibus uniuersis mortem, ac genus mortis teterrimum sorbere voluit? Non carissimorum sanguine illorũ, quos duodecimuiros, leges diuinas docendi gratia ex omnibus legit, maxima regna, remotissimasque barbararum gentium prouincias omnes ad æternam vitam in cœlo peragendam adduxerat? Ostendite quæso nunc mihi oras Asiæ ab Ioanne, Alexandriæ & Aegypti à Marco, Macedoniæ à Matthia, Licaoniæ, Armeniæ, & partem Italiæ à Barptolemæo, infinitis laboribus, effuso etiam sanguine, oppetita morte, ad Christi leges, atque imperium institutas. Agite etiam oculos, atque mentem ad Aethiopiæ

Distributio Apostolorũ p orbem terrarum.

vrbes

urbes conuertite, in quibus vester Matthæus, vtinamque vester, & omnium hominum, ò Salernitani ciues, laborauit. Mesopotamiam, & Pontum, vos oro mecum Pontifices cogitate ab Iuda, Hierosolyma autem ab Iacobo primum, deinde à Simone domita. Scythiam in Europa ab Andrea, Medos, Persas, Hircanos, Barchmanasq; & vltimos Indiæ populos à Thoma Christianos factos recordamini. Illorum quoque septuaginta, qui similiter, ac superiores, ipsius à disciplina Christi pietatem, & eius diuulgandæ munus acceperunt, & aliorum, quos martyres vocamus, neque mors, neque sanguis, neque genera cruciatus vlla ad ampliandos in Africa, totoque orbe terrarum religionis terminos defuerunt. Vbi autem ea religio est, Christi, & sanctissimorum, quos dixi, hominum sanguine instituta? Amissa iampridem, atque extincta est: in locum eius religio Mahometi recepta. Quorum id culpa factum esse ducimus? Profecto maiorum. Ad quos pœnam eius delicti pertinere? Ad illos primum ipsos, qui deliquerunt, deinde ad nos etiam, tametsi negemus. At quo iure? Diuino, secreto, & (nisi blandiri, nobis uolumus) nimium vsitato. Neque verò à sapientissimis quondam hominibus ius hoc ignoratum fuit, ijs etiam, qui hęc sacra prorsus ignorarunt. Didicistis enim à prima institutione literarum, ob vnius hominis auaritiam, ac libidinem

Corpus diui Matth. Apost. honorificere conditum est in Archiepiscopatu Salernitano, & inde scaturit māna, multas sanans ægritudines.

Exempla ex profanis.

nem ab Apolline exercitum Græcorum in Troia afflictum grauißima pestilentia fuisse. Iouem quoque ijsdem in fabulis, uni Prometheo iratũ, quod is ignem è cælo furatus esset, in mundum febres misisse & omnium ægritudinum genera poetæ nobis tradiderunt. Res est igitur cognita de sapientissimorum hominum scriptis, accepta de sacrorum disciplina, intellecta de miseriarum sensu, quibus afflictum semper genus humanum, respirare numquam à malis, numquam à calamitatibus potest. Sed quando gens alia nõ est, quæ possit maiore cum damno, maiore cum turpitudine officia, virtutem, & rectissima deserere, nos profectò, ut calamitosissimi omnium, & calamitatibus dignißimi, à cæteris nationibus, quæ circa Europam sunt, undique irridemur, itaque irridemur, vt religioni etiam, & Christo non parcatur. Et sunt ergo Christiani Principes, qui hæc non curent? immo verò etiam qui Macedonum, qui Rhodiorũ, qui Atheniensium, qui Byzantiorum, uel Hierosolymitanorum se Reges nominari glorientur? Quando autem hæc omnia, & quæ patimur, quæque in nos fiunt, malorum loco non ponimus, & oscitanter sedemus, quasi nihil intersit nostra, utrũ pietas, religioque omnis de mundo auferatur, diuinitus crebro ijs rebus admoniti sumus, quæ à stolidis etiam hominibus ueternum excutere potuissent. Nos tamen, quibus diu cæcitas inueterauit,

Nota.

teraüit, animusque ad profanata, contaminataque omndia duruit, bella, direptiones, incendia, captiuitates, hæc denique in religione dissidia, vno à sceleratissimo Luthero profecta, omnemque Europam breui tempore peruagata, fortunę ludum potius, quàm irati numinis maximam esse pœnarum omnium arbitramur. Sic enim cõstituere oportet, cultum religionis Deum nõ sua sed nostra causa nobis tradidisse. Hunc ergo si uel nos ipsi negligamus, uel à sceleratis hominibus relinqui, uel à barbaris nationibns labefactari, ac pollui, uel contrarias hinc nasci religiones patiamur, sciamus Deum non suo iacommodo, sed nostro malo, ac sempiterno malo facere solere, ut nullo loco ducens, nostram, quam ipsi credimus esse pietatem, nos afflictos, miseros, ad paucissimos redactos, prædam ac ludibrium immanißimis gentibus relinquat. Cogitate enim hìc Pontifices cum animis uestris, quanta, & quam scelerata, ac fœda intra paucos annos, facta sit à religione defectio. Nam leges Christi, quæ nullis terrarum finibus, ac ne immensis quidem cœli spatijs contineri debeant, vno à Mahometho pulsæ ex terris omnibus, & paucissimis in urbes inclusę, quum antea fuissent, nunc vno à Luthero, ipsius etiam Europæ termi nis prohibentur. Non enim Deus adhuc respi cere calamitatas nostras uoluit, nec uota, ac preces hominum tanti putauit, ut illo in consilio

Quãta mala à Luthero emanauere.

rbis

orbis terrarum, cui uos præfuistis tantum ex Europa scelus, ac tanta ex religione pestis contagioque tolleretur. Intra fines autem Italiæ saltem, administrationesque uestras, ac ciuitates, quæ uobis parent id maximè curandum, ut ne quis resideat sensus, ne quod eius furoris uerbũ audiatur. Quis enim furor inuadere mentes hominum potuisset maior, quàm decretis, ac legibus antiquissimæ religionis, & Christi imperio ipsius repugnare? Inueniunt sceleratissimi homines intra nos etiam, & ubique sui similes, quibus facile persuadeant commissa, & secretas animi labes indicari sacerdotibus non oportere: delirationis esse nostræ quòd in panis, ac vini forma, corpus, & sanguinem, diuinitatemq; esse Christi arbitremur: frustra illud omne tempus consumi, quod spectationi sacrorum, & eiusmodi religioni detur: nullos esse dies, quibus ieiunia seruari, uel ciborum aliquod genus vitari conueniat. Sed quùm habeant hæc omnia, sceleratissimum genus illud saltem excusationis, quod libidine, gula, ignauia, fuga imperij, & occultatione culparum turpissimæque vitæ, idest perditorum hominum, sed hominum tamen sensu moueantur, tamen duo illa non inuenio Pontifices, de Christi corpore, & inuocatione Diuorum, cur tanta insania contendant. Nam cur honos haberi non debeat illis hominibus, & puellis etiam uirginibus, quæ ob uirtutem, auctamq;

auctamque sanguine, & morte sua religionem, in cœtu nunc viuunt Deorum immortalium, ipsi etiam facti Dij immortales? Neque enim dubitare fas est hominum uota, ac preces audiri ab illis, Deumque tum benignitate sua, tum rogatu illorum nobis & mentis expiationem, & vitæ commoda impertiri, & gradus locare illos, quibus denique in cœlum ascendere, & uita cœlestium secum frui poßimus. Ac nescio equidem, an alia ex maiore caussa, atque scelere Deus idem princeps, & auctor vniuersi, Germaniæ, aliarumve gentium populos rebus nouis in religione studentes in cæcitatem mentis, erroresque omnes, & tamquam aliquod in tenebrarum chaos ruere sit passus, nisi quod præter alia portenta opinionum, vt leuißimè dicam, ijs quibus dixi, Dijs immortalibus cum periculo supplicari cauillantur. O scelera, o pestes, ac furorem diuinitus in perditißimorum animos immissum. Vos rerum omnium ignari, vos temulenti homines, tu gurges, atque belluo natus ab domini, hæc te melius intelligere, quàm sanctißimi viri maiores nostri, illi diuino spiritu instincti, sapientia cœlesti, atque doctrina adiuti, arbitrare? Dic, dic cetera, vt soles, fanatico illo more tuo: dic non esse locum apud inferos, vbi infectæ eluantur maculæ ex animis, antequam ad cœli sedes queant illi permeare. Aude illud etiam negare ius esse Pontifici Maximo animorum

Potißima causa errorũ Germaniæ.

expian-

expiandi, affluentias meritorum Christi, ac diuorum omnium, ad mentium nostrarum expiationes promendi. Age, istam exple barbariem, & immane odium, ut illi de imperio, quòd habet in populos de sumptu Regio, totoque victu, et ijs rebus inuidiam facias, quæ sunt à sapientissimis euersæ, profligatæ, irrisæ, vt nisi tanta impudentia esses iã turpißimus, ipse tibi viderere. Verumtamen (vt istos ommitam) Pontifices nisi præter cætera maximo illo maiorum nostrorum velut hereditario crimine de cultu religionis amisso ex Asia, Africa, & magnam partẽ ex Europa, totaque Germania, quemadmodum dixi, teneremur, & quale sit hoc de plurimis antiquorum exemplis agnoscere uellemus, minus multa profectò nos, & hanc sedem religionis infestam haberent, nec reliqua in posteritate maiora quædam, & magis exitialia timerentur. Nunc maiore quadam & attentiore custodia, vigilijs, assiduis votis, ope diuina, placatisque Diuis omnibus opus est ad instantes, imminentesque repellendos fortunę impetus, ne sacra hæc, & religio, ut arcam fœderis quondam ipse Deus propter neglectam pietatem, cæso etiam exercitu in manus hostium venire patiatur. Prę ter enim, quæ ante memoraui, non desunt hodie, vt nullo vnquam in tempore defuerunt, quorum scelere, ac flagitijs, ita numinis acerbißima contra bonos etiam, omnesque homines prouo

cetur.

cetur. Non desunt qui in religione discordias, ac tumultus in ciuitatibus concitare soleant, legibus uim afferre, mores & statum reip. perturbare, populos à recto sensu dimouere; vnde uniuersum in genus humanum calamitas, ac sempiterna mala consequantur. Huiusmodi igitur in summa religione tempestates, ac procellas temporum, uel hominum culpa, vel furiarũ instinctu futuras, multo ante maiores nostri sapientissimi homines prouiderunt. Quumque multa sint ab ijs prudentissime inuenta, & constituta ne qui inter nos tumultus exoriri queät, uel iam exortos auferre, ac de memoria hominum exterminare possimus, tum illud prouisum diuinitus, ut prouinciarum concilijs celebrandis, uos religionum Antistites nil scelerosum in populis nasci, aut serpere occultius, aut manare longius patiamini. Hanc operam nauemus igitur, nec defutura credamus ea de cœlo auxilia, quæ semper Deus periculosissimis, extremisq; temporibus, hominũ generi prçstitit, vt religionem, & bonos paucissimos à multis barbarorum milibus, & orbis terrarum iniurijs, ferro, atq; flãma uindicarit. Etsi enim patiatur sæpius hanc sedẽ religionis oppugnari, cõuelli, & quasi paruã nauiculã altissimo in pelago, amissis remis, aduersoq; uentorum flatu agitari, deniq; tamẽ inclamatus è cœlo, cognito gubernatoris studio, et sedulitate remigantium, uotis,

Diuinitus prouisum de concilijs celebrãdis.

precibusque illorum permouetur. Per vndam igitur, ac per fluctus accurrens benignissimus Iesus adest periclitantib. eosq; aspectu suo, & oratione securos reddit, defatigatos iã, & afflictos dulcissime consolatur, procellas reprimit, et serenissimam cœli, ac maris tranquillitatem restituit. Hoc egit sæpius, dum inter homines esset, is, qui seruandum à morte sempiterna genus humanum redemit, nec dubitemus, eũ ex ijs exemplis futurarum rerum, & nostri temporis, & seculorum deinceps omnium documenta nobis dare uoluisse. Quare vigilemus, quantum fieri potest, & opem diuinam, vel priuata religione, uel publicis etiam supplicationibus, uel more quodam noua pietatis, eius rei causa in ciuitates Italiæ introducto, rituque solenni implorandam putemus. Quodcunque tamen aliud honestius consilium videbitur esse cupiendum, certissima spe simus tandem aliquando rebus humanis Deum esse prospecturum. Et quando Pontifices à primordio generis humani, peiore conditione fuisse religionem recordamini, quàm illis temporibus fuit, quùm paucissimi illi mortales, quibus erat nota, seruitutem quadrigentis triginta annis in Aegypto seruirent? Audiuit aliquando tamen Deus illorum uota, ut ab hostibus immanissimis eos libararet. Illi ergo homines, qui infra mortuos omnes amandati esse videbantur, aucti iliã beris, & multitudine populi

Mat. 6.

In oportunitatibus Deus adiuuat.

Exod. cap. 3

puli amplißima, de ergastulis, & mille hostium legionibus ad summam libertatem, ac diuinum cultum euaserunt. Insequente exercitu Aegyptiorum innumerabili, omnes perterriti, inermesque fugiebant. Quoties gradum, quoties pedem huc illuc fugitando mouerent, in illa vastitate regionum, toties hostem sibi ad ceruices imminentem habere videbantur. Metuebant sibi quidem plurimum, sed ijs multo magis, quæ ipsa luce, atque anima habebāt cariora, liberis, coniugibus, infantibus, paruulis in sinu, vberibusque matrum, & imperio Dei, quo adducti sese in discrimen illud abiecissent. A postremo agmine aderant infensi hostes, à primo fugam impedire iā cœperat sinus Arabici maris. Cedo nūc mihi, factumne vobis vnquam videtur Pontifices aliquid propius quàm vt religiositùm ex naturæ humanæ finibus tolleretur? Sexcenta milia hominum censa sunt fugientium, quæ si annumeres puerorum vulgus, ac mulierum, nō dubium quin ad minimū, vicies centena milia reddantur. Quæ tanta claßis tantum numerum traijcere potuisset? Quæ tanta celeritas traijciendi imminente iam ad prædam hoste? Cessit igitur mare ad dexteram, cessit ad læuam, seséq; in altißimam vtrinque erigens molem in puncto temporis, latißimum in profundo alueo, & siccum iter fugientibus parauit. Hac via pij homines quum vsi essent, odio, atque ira præ-

ceps hostium exercitus eamdem est ingressus. Tum subita molis, quam dixi, ac fluctuum ruina, tamquam si cęlum corruisset ipsum, vndique ad naturalem alueum aquæ reuertuntur. Non credunt sibi, non credunt suis oculis, metu, & nouarum admiratione rerum obstupefacti Iudæi, quæque uidebant, somniare sibi uidebantur. Itaque alterum ad litus, amœnissima uia arefacti maris appulsi, de iugis, editisque locis, innumerabiles hostium copias, diuinitus conturbato salo, mergi aspectabant. Multitudinem peditatus infinitam, equitatus uerò quanta ex omni memoria hominum uisa non fuisset, currus innumerabiles, cum armis, insignibus, omniique instrumẽto belli, obstinatione mentis, auaritia, ac furore ducum in horæ momento extincta uiderunt. O si uel nos etiam ipsi Pontifices, quẽ ad modum illi Iudæi sanctißimi homines, illum diem uidere poßimus, uel si quo alio in tempore (quod precari à Deo, & à se ipsis exigere omnes debent) aliqua posteritas, & se ipsam à pręsentibus hostium telis, & Christo suum honorem, & gloriam à cunctis mortalibus restitutam gratuletur. Sed finem Pontifices iam dicendi faciam, & obsequar tempori, & rerum functioni plurimarum. Hanc uerò meam orationem fecit longiorem, quod uestras, & Principum Christianorum cogitationes, consiliaque omnium (benigne arbitror ignoscetis audaciæ

meæ)

meæ) cupiam esse interdum altiora. Illa enim cogitari uelim potius, quæ maiora sunt, quæque si corrigantur, ut principia quædam, ac rerum fontes cæterarum, hæc minora inter nos agitari solita, omnia secum trahunt. Fateor equidem non esse priuati, nec mei loci hominis ea cogitare. At est bonorum omnium ea maximè dolere. Vtinam uos etiam ista dignitate homines hunc meum apud Princepes dolendi morem cõseruetis. Vtinam ad res maiores, uel ad summa imperia quum uobis erit is aditus, quem uestra sapientia, atque uirtus pollicetur, pacificatis Principum cæterorum, animis, de præsenti rerum statu altius cogitare incipiatis, & uitalem illam Christi mortem, salubria illa Christi tormenta, atque vulnera, infinitum illud mare Oceanum, Christi sanguinis, non frustra de corpore illius profusum esse patiamini. Quota enim quæque pars hominum ad se pertinere illum credit? sed impedior iam lacrymis, & inclusa intus anima erumpere in uocem non potest. Ignoscite enim uos oro Pontifices, nec tamen uobis detractum putetis aliquid, si quam alijs laudem tribuo. Illi rectissime uidentur mihi Patres amplissimi, illi de sanguine, & morte Christi sentire hoĩes Iesuitæ, qui quũ imperio, et armis nihil possint, inermes tamen arma tos India populos quotidie adoriuntur. Animo tantũ valẽt, & laborib. & morte, qua plurimos Stefanos

Qui rectissime de Christi sanguine sentiunt. Iesuitarũ laus.

nos, plurimos Laurentios, atque Ignatios, imò et Paulos, Thomas, ac Barptolemæos hac ætate nobis reddidere. Apud nos uerò quid est, quod multum gloriemur? Potentia, & armis non possumus, uel sublato adhuc nobis diuinitus consilio, posse nolumus. Oratione uerò ad religionem docendam non vtimur. Hostes autem minitantur à mari infero, prædantur quotidie à supero, & Ionio, imminent ab Alpibus, intestinum alij malum inter nos multi serere conantur. Non arbitror unquam procellas temporum tantas fuisse. Difficile est omnino è tot scopulis euadere. Difficile prorsus, & sapientiæ cuiusdam singularis portum aliquem tenere: Quamobrem nunc vos orari Gaspar Ceruantes hic uoluit, ut sibi hanc Salernitanam prouinciam administranti, & quasi mare quoddā importuosum nauiganti, amore, ac sapientia uestra opem hodierno die, quantam potestis maximam afferatis. Ad rem igitur, Pontifices, ac sanctissimi uiri omnes tantam, quanta uobis peragenda est, quod bonum, felix, faustum, fortunatumque sit integri, & castissimis animis accedite, ut sola de animorum salute, Dei imperio, & Christi nomine hoc tempore uobis cogitandum putetis. Dixi.

Q. MARII CORRADI ODE DICOLOS distrophos de obitu

Hieronymi Vitaliani.

DOCTA soror Phœbi Parnasia, dulce meorum
Lenimen usque temporum:
Tu mihi perpetuos longè miserata labores,
Adhuc das uitam ducere.
Nunc iuueni debetur honos, & munera castis
Debentur nostra manibus,
Manibus amissi iuuenis, cui præmia frontem
Eurotę lauri cinxerant,
Quo non flebilior mihi quis, non carior umbra
Tenello exuta corpore.
Huię nam digna Deo mens, & prudentia rerum
Fuit, quas natura abdidit,
Et uarios linguæ promptum dissoluere nodos,
Vanę & umbram scientiæ,
Et sese unanimem cunctis præbere canentum
Docta ut vox una cæteris;
Splendida quin etiam Romanè copia fandi,
Suadelæ fortis mentium,
Arcanumque simul, Diuis & amabile carmen,
Vetustis non dictum prius,

Abstulit huic lucem subitæ, floremq; iuuentutæ
Fatum non euitabile.
Concidit Italiæ sic & deflenda latini
Spes magna semper nominis.
Fleuimus extinctum lumen, fleuere sepultum,
Nymphę uicini litoris.
Vos etiam reor occasum doluisse Thalia,
Raptumque Vatem Amphrysium,
Qui poterat mentes Diuum mulcere canendo,
Iouisque inferni coniugem.
Sed non carminib. cuiquam superabile tempus
Postremum ægris mortalibus:
Statque dies una impendens certissima leti
Nulli retro meabilis.
O saltem hæc, primos non incurrisset in annos,
Opesque in tantas ingeni:
Non ego, non Hirnus duo sese in cornua findens
Augeret undam lacrymis,
Hirnus ad ima cadens altè placidissimus amnis
Tum fluxit primum turbidus:
Squalentes uisit campos, tristique Salerno
Amaras lymphas intulit:
In pontum lacrymans fugit, salsumq; sub æquor
Mouit Neptunum fletibus.
Audierat namque ingenium, præsenserat artem
Priscis monstratam sæculis,
Et maiora illis nostrum uentura sub æuum,
Quibus stuperet Iuppiter,
Ad superum lumen, detractū Cerberon vmbris

Non

Non ante Phœbo cognitum:
Aut leuiter mundi impostam ceruicib. omnem
Atlantis molem fortibus:
Sic fore qui prudens in apertũ proferat, et qui
Altè monstret latentia:
Obscura ingenijs, cœloque, ereboque tegente
Lumentum solis cernerent:
Quod si Palladió tam longę tempora vitæ
Vitaliano manserint,
Hunc fore, qui solus naturæ ducat in auras
Arcana ex umbris eruta.
O mens plena Deo, atq; instinctũ numine pectus,
Cui se Minerua crederet.
Non tã Pythagoræ, aut Architæ fama Tarentũ
Illustrauit Neptunium,
Quàm docti iuuenis frondosum fama Salernum
Locasset inter sidera.
Inuida sed Lachesis metuit, ne tarda senectus,
Aequalem hunc Diuis redderet.
Quò properans circa iuuenilibus exuit annis
Vitam, reciso stamine.
At uos æterno dulces hunc nomine Musæ
Donate patrium decus,
Vel mihi det pietas, det uestrum numen, amici
Sat æternare gloriam.
Tu mox Hirne pater casiam, violasq;, per oẽm
Fouebis ripam, luteas.
Lilia iuncta rosis toto superantibus anno,
Quacunque flectis alueum

Purpureoque dabis Hyacinthi ex flore coronar
Lauri inter textis frondibus.
Hæc iuueni pones circum uiridante sub umbra,
Sepulchrum lambens proximum:
Sis memor æternum, & recupes incisa loquatur
Vitallianum litteris.
Huic hedera cinctu caput, inter lumina quondã
Donatur sedes artium,
Orbe alio, Graios inter, patresque Cethegos,
Musæo & Lelio pares.

Q. M. CORRADVS BASILIO ISSAPICAE Monacho. S. P. D.

EGIT Rogatus nimium seuerè mecū. Nam si insciente me, & inuito meis in dimetris spondæus versaretur, unus tamen esset error. Fuerat enim voluntatis meæ, vt spondeum illis dumtaxat in versibus ne vitarem. Volui mihi hanc dari veniam, quæ si negatur ab ijs, qui mea scripta ante non legerunt, equidem illud appono solum, Horatij de Iambo sententia, nec spondæos tolli nostros, & contra honestissimis verbis laudari Actium, laudari Ennium, qui rarò etiam Iambis vterentur, quid enim illud est?

Hic & in Acti
Nobilibus trimetris apparet rarus,

rus, & Enni,

Nec ignorat quis Terentium in ea re his auctoribus vſum eſſe. Verum eſtó, vt volet quiſque: ego quidem certè, ſi quid eſt quod melius poſsim optare, poſt alia ſcripta noſtra Rogatum in hanc Odem incidere voluiſſem. Ex ijs enim intelligeret vtrum errore, an voluntate acciderit id, quod nunc venia dignum non putauit. Sed nos omnino is non nouit, nec miror nullam ad eá loca famam obſcuri nominis noſtri Roma eſſe állatam. Barbaras fortaſſe literas me tenere arbitratur. Iambos autem non ſanè velim ab illo, aut à quoquam ſollicitari meos, præſertim ſi contumelioſè id fiat. Nimietas enim pedis illius in me reprehendi poterit. Verum tu inurbanè quidem, ſed ioco tamen hoc à me dictum accipias. Nemo enim illum diem videat, quùm impatienter, aut iracundè aliquid ſcribam, vel in eos, à quibus ero inſolentiſsimè

etiam

etiam laccessitus. φωκυλίδου γὰρ καὶ τόδε Μὴ μεγαληγορίῃ τρυφῶν φρένα πλυσσωθείης. & Rogatus poterit esse mihi inter carissimos, præsertim si quid uideam ab eo, dignum proximis literis, & laudatione tua. Ex reprehensione illius, quosdam versus cognoui malè istic descriptos esse. De meis autem rebus, & ijs, quę fratri significaueras tuo, respondit is nullam in ijs literis, quas proxime accepit, mētionem esse factam. Ego in ijsdem, adhuc versor fluctibus, quibus iam nosti. Benedicto Vuæ, si Mantua iam redijt, salutem meis verbis: meque statim docebis, quum istic erit. Vale Salerni 6. Kal. Octob. 1567.

Q. M. CORRADVS, FRANCISCO ROGATO.

SECVNDO spondæum qui miratur ioco,
Vitaliano in carmine,
Vinoque factum id credit, non consilio,
Et esse inexpiabile,
Is pace nostra, tempus demat syllabæ,
Iambus vt fiat citus.
Verùm hoc liceto, si de Plauti fabulis
Idem licere sentiat.
Namque his latini se soluere legibus,
De sede versus impari,
Vel pari, nec laborat hoc Terentius,
Vter pes in versum cadat.
Quare nihil me Flacci lex docti mouet,
Seruata quondam ab Atticis
Neglecta nostris omnibus.
Ὅπως ἐγὼ, ταῦτ᾽ ἐκ ἀθηναίοις φράσω
At illa fors: INTER MINORA SIDERA,
Fuissent exemplum mihi,
Non lex tamen, quæ me nolentem cogeret,
Iambo ut omnino vterer.
Verum doceto, si poetas nescio,
Aut si scio, permittito,
Sicut volo, uel hunc plorare mortuum,
Meisque tantùm lacrimis.

Aut

Aut ſi loqui tamen uelis poſthac malè,
Nil audies à me mali,
Sed γραμματίςως inter collocabere,
Inſigne cui ſint ſcortea
Flagella, dux inſcitia, & comes fames,
Et mille riſus omnium.
Sin vir es vnus de paucis, ut audio,
Quales mihi dat plurimos
Europa amicos, ipſe ne ſis vltimus
Oro, nec ad me epiſtolam
Moraberis, quæ nos coniungat arctius,
Et rata ſint quæ ſors tulit.

ANDREAE



ANDREAS GVARNA

Patritius Salernitanus.

De bello Grammaticali.

Ab innumeris mendis repurgatum, ac poſtillis auctum.



VENETIIS.
Apud Franciſcum Zilettum.
M. D. LXXXI.

ANDREAS GVARNA

Patritius, Salernitanus.

De bello Grammaticali.

Ab innumeris mendis repurgatus, ac pristinis auctus.



VENETIIS.
Apud Franciscum Zilettum.
M. D. LXXXI.

PAVLO CAESIO IVR. V. CONSVLTO.

Andreas Guarna Salernitanus S. D.



BELLVM illud memorabile, quod inter Grammaticæ Reges, non minoribus animis, quàm odijs gestum est, omnium periculosissimum, cùm superioribus diebus imprimendum curarem Paule Cæsi: cui nam potissimè id opus dicarem cogitanti diuitius, vnus mihi occurristi: quem tametsi paternis inhærentem vestigijs, arduæ Iustinianæ sanctiones, ac difficilia indefessè exerceant legum decreta, ea nihilominus es ingenij dexteritate, ut post inquietas fori actiones, post importunas clientum querelas, domum reuersus, ætati aliquantulum, atque animo indulgens, locos, sales, cæteraque, quæ pulsis occupationum te-

nebris, affectam mentem exhilarare censueuere, seruata semper personæ grauitate, admittere non uerearc. Decorabunt alij nomen, virtutesq; tuas sublimioribus, grauioribusque lucubrationibus; sed & tute parentem imitatus, teipsum, ac familiam tuam marmoreis laudibus illustrabis, ipse ex tenui penu, quod possum proferens, beneuolentiam, quæ vnico congressu (tantum plerunque ualet ad conciliandas amicitias morum consensus) inter nos exorta est, nunquam intermoritura, vel vnico hoc prosequar munere deuotissimo. Vale, & me Tarquinio Sanctæ crucis, Romanę iuuentutis splendori, ac bonarum literarum cultori commendatum redde.

GRAMMATICALE BELLVM nominis & Verbi Regum, de principalitate orationis inter se contendentium.

GRAMMATICAE prouinciam, *cæterarum omnium, quæ ubique terrarum fama celebres sunt, pulcherrimam, fœlicissimamque esse, nemo ferme vel mediocriter eruditus est qui ambigat. Quippe cùm amænitate situs salubritate cæli, frugum omnium copia, rebusque alijs, quibus mortalijs hæc vita carere non debet, nulli cedat: tum illustrium virorum nutrix semper extitit & alumna. Sicuti enim ætate hac, ita priscis etiam temporibus inuiolabiliter obserua tum fuit, ut quicquid ubiq; gentium (Barbaras & desides nationes semper excipio) gigneretur ingenij, bonæ indolis, alicuiusvè spei, eo sanctissimis imbuendum disciplinis, mitteretur: ex hac siquidem ad sublimiores regiones, beatioresque habitationes, Dialecticam scilicet, Philosophiã, Theologiam, cæterasque illis similes prouincias, unicus aditus patet, & nisi eam peragrauerit, in illarum sacraria minime quis ualeat penetrare. Quæ quidem licet tanta polleat amœnitate, & rerum copia, est nihilominus altissimis circundata montium cristis, & inaccessis eo usq; circumsepta alpium iugis, ut nisi peritum habeas*

Laus prouinciæ.

Gram. est ianua ad alias scientias.

itineris ducem, ad eius plana, cultaq; numquam ualeas peruenire. Fuit proinde, & nunc est eius prouinciæ regibus laudabilis & pius mos, ne mortalium genus tam necessario bono priuari queat, ex suis militibus ueteranos (quos pædagogos vocant) in omnes mundi partes dirigere, qui tenerioris ætatis adolescentes (nam adulti & prouectiores haud facile disciplinam recipiunt) ad ipsa usque Regum palatia incolumes perducant, ubi & Latiæ & Cecropiæ Mineruæ artes eruditi, prædictas postea sublimiores regiones scandere ualeant, & expeditius penetrare, ubi Græci omnes, Latinique, quos uel propria scripta, uel aliena celebrant monumenta, tirocinia sua prima exercuere, ibique edocti, atque instructi, tantis postmodũ floruere gestarũ rerum præconijs, ut viuentes, ætatis suæ hominibus maximo ad virtutem fuerint adiumento: & uita functi, posteris, tamquam extento digito, recti ad laudabilem vitam callis semitam demonstrarint. Prouincia hæc itaque, licet vnica sit, & indiuidua, geminos tamen habet, qui in ea imperent, potentissimos Reges, Verbum scilicet, & Nomen, & prior quidem Amo, posterior uero Poeta nuncupatur. Qui diutissimis temporibus tanta simul regnauere concordia, ut in conficienda oratione, ex qua vtriusque imperij vectigal omne consistit, nullum unquam dißidium, nulla dissensio, nul-

Adulti non facile discunt.

lum denique litigium inter eos fuerit auditum. Nihil autem in omni Grammaticæ solo gignitur oratione præclarius, nihil dignius, nihil salubrius, quæ iucundissimis compacta florum coloribus, pulcherrimis ornata rerum figuris, ac suauißimis redimita rosarum nexibus, tantæ est autoritatis & virtutis, ut cum mortales omnes (modo recte, apteque peroretur) in sui admirationem trahit, tum à Dijs ipsis, quidquid uoluerit, ualeat extorquere. Vnde est illud Euripidis dictum, Omnia conficit oratio, quæ hostile ferrum conficere non potest. Et Pyrrhus plures à Cynea oratione, quam à se armis urbes captas dicere consueuerat. In hac igitur Regum concordia, cum Grammaticæ totius res optime procederent, fœlicique prosperarentur successu, accidit, vt orta inter eos ex parua causa dissensione, cuncta tumultibus, & inexpectatis bellorum anfractibus inuoluerentur. Quid enim non faciant vinum, & immoderatius sumptæ epulæ? Tantam animorum coniunctionem unius conuiuij ebrietas in eas impulit vtrumque Regem inimicitias, ut immoderata dominandi libidine tamquam syluestres tauri æsylo acti, propria regna, & tam nobile Grãmaticæ imperium penè euerterint. Referam autem quonam pacto gesta sit res, üt sciant omnes, nullum eße tam arctum amoris uinculum, quod regnandi libido nõ soluat. Quapropter Dionysiũ seniorem dice-

Commendatio orationis.

Dictum Euripidis.

Cyneas Pyrri orator.

Regnandi libido dissoluit amicitias:

Dictum Dionysij.

re ſolitum ferunt, Ab amicis etiam cauendum eſſe ei, qui præſit: quando ignarus non ſit eos imperare malle, quam ſeruire. Cęnantibus itaque aliquando prædictis Regibus in medio æſtatis feruore, ſecus placidiſsimum, & perennem fontem, cuius ripas vndique virides fagi; & altiſſimæ platani, opacitate eximia adumbrabant, poſtquam abunde uentri factum eſt ſatis, cum incaluiſſent omnes mero, orta eſt inter eos quæſtio, cuiuſnam partes in conficienda oratione potiores cenſerentur. Et Verbo quidem digniorem locum ſibi adſcribente, acriter reſiſtebat Nomen, aſſerens ſine ſe ſtare orationem non poſſe, ex ſe que procedere, quod intelligibilis habeatur, & grata. Quîd enim (aiebat) facis tu in oratione ſine me? Si paululum præſentiam meam ſubtraxero, non ſecus te intelligant audientes, ac mutum loquentem: confice illam pauliſper ſine me, fac ut ſciant audientes quid tibi uelis: certe niſi ipſe interpres accedam, uel ipſa intentionis tuę primordia nullus ualeat penetrare. Sed & illud notari eſt dignum, quod quo te antiquior ſum, eo etiam dignior debeo comprobari. Quis uero neſciat fuiſſe prius Nomen, quàm Verbum? Aut quis non intelligat Nomini, quàm Verbo uetuſtiora adeſſe exordia? Deum certum eſt feciſſe omnia, quòd ſi omnia, utique & uerbum: Deus autem nomen
Ioan. 1. eſt, non verbum: Igitur à nomine facta ſunt om

nia

nia: & non solum oratio à Deo facta est, & sic à nomine. Sed & tu ò Verbum, qui adeo insolescis, à nomine tuum esse sumpsisse conuinceris. Legisti tu aliquando, Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne baptista? Dei hæc est sententia, huic refragari minime tibi fuerit fas. Matt. 11. Si Ioanne nullus est maior: Ioannes autem est Ioan. 1. nomen eius. Et cui nomen erat Ioannes, apparet certe nihil maius Nomine posse reperiri. Sexcenta sunt testimonia quæ possint afferri, quibus luce clarius diffinitur, sicut dignitate, antiquitateq; ita & autoritate Verbo longe Nomen esse præstantius: quæ omnia sponte prætereo, ne uerbositate nimia, non causa Verbum ipsum videar superare. Mirabar (respondit Verbum) ò Poeta, quòd te Plato ille diuinus sua eiecisset republica: nunc animaduertens quanta impudentia, temeritateque diuinas autoritates tuis ineptijs inuoluas, sapientissimum philosophum recte iudicasse satis animaduerto: nam nisi te, ea, quam constituebat, republica exsibilasset cum alijs multis, tum falsis religionibus, portentosisque Dijs, omnium ciuium suorum mentes peruertisset. Quid enim non audeat tua arrogantia, tua mentis elatio, quando possessa à me diuturno tempore prioris loci in hac prouincia dignitate, vel cum fictis, inuersis, & intortis sacræ paginæ testimonijs exturbare conaris? Enimuero ne solus literas scire

uideare manifestissimis, & planissimis eiusdem paginæ dictis autoritatem meam conseruabo. Proferam autem ipsum veteris scripturæ caput, ubi dicitur, In principio erat verbum, & uerbum erat apud deum, & Deus erat uerbum. Arrige aures, cur faciem deprimis? Deus, inquit, erat uerbum: omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: Non igitur Nomen fecit omnia, sed Verbum. Deus autem erat uerbum, non Nomen. Sed & uerbo domini cœli firmati sunt, & omnis virtus eorũ, Quid igitur dices? non est quod te diuinis tueare testimonijs quæ pro me stare, tibique aduersari intellexisti. Verũ ad ea, quæ ad nostrã uere attinent causam, reuertamur. Quænam est, per immortalem Deum, hæc tua insania? vnde hos tibi tam repente sumpsisti spiritus, vt audeas in oratione digniorem tibi locum vsurpare? An te præterit omnem decorem, pulchritudinem, ac suauitem ex me vno procedere? à Verboque Nomen, non à Nomine Verbum regi consueuisse, Verborum varietas, uerborum elegantia, orationem exornat & illustrat; sed & nisi te regam, ac dirigam in oratione tu ipse mancus, & debilis reperiare. Poteris ne tu constructionem vnam connectere, in qua non continuo mihi principales partes tribuantur? Sed & me solum, qui inter verba principatum teneo, sic alterius adminiculo orationem perfectam, cùm

uolu-

uoluero, facere posse, nemo permittitur dubitare. Quid ergo blateras, & quod ille ait, tuas proijcis ampullas, & sequipedalia verba? Quis uero es tu? qualisue? aut quantus? qui hæc iactas; qui tam alte reboas, qui eo vsque inflatus incedis, vt periculum sit, ne medius dirumpare. Nominum inquies, Rex sum. Sed quod tibi est nomen? Poeta, respondes. Quid autem aliud est poeta, quam nugigerulus, nugiuendulus, fabularum inuentor, scelerum magister, loquax, nugax, mendax, ebrius, & fatuus: qui vera inuertas, falsa ingeras, totumque orbem garrulitate inficias & perturbes: qui loquacitate tua tantam tibi apud imperitum vulgus auctoritatem vsurparis, vt cum clarissima Verborum progenie de dignitate audeas disceptare. Quid ex te habent vnde ad virtutem incitentur adulescentiores, (quos stulte satis erudiendos parentes eorum tibi tradidere) nisi adulterum Iouem, zelotypam Iunonem, meretricem Venerem, mœchum Martem, reliquaque tuæ sapientiæ pręclara commenta, qui cùm plus iusto aliquantulum biberis, tamquam Deo, non mero, plenus, ad instar laruati, ceritiqu[e] cælum terræ, terram cælo audeas permiscere? Ad hæc, ira vehementiore excandescens Rex Poeta, ignominiamque, ac iactata de se probra ferre non valens, O improbum, inquit, caput, talia de nobis temerario ore dicere præsumpsisti?

Oratius in Poetica

Scelera Poetarũ.

Simul-

omnes,longa disceptatione agebant de retinenda in Grammaticæ regno Verborum dignitate deque deprimenda Nominum arrogantia. Cum interim superueniens Poetæ nuntius, de bello quæ sibi mandata fuerant, diligenter exposuit. Enimuero læto se animo accipere illis respondentibus,ad belli cogitationes versi sunt omnium animi. Misit itaque verborum Rex tubicines & nuncios suos ad omnes nationes, & gentes, quæ suo parebant imperio: iussitque vt cuncti, armis idonei ad constitutam diem adessent. Omnium autem primus adfuit aduerbiorum dux, QVANDO, cum centurionibus sex, uidelilicet,ubi,quo,unde,qua,quorsum,& quousque: quos sequebantur manipulares sui: & sub primo quidem hi erant,Hic,illic,istic,intus,foris, ibi,ibidem,sicubi,necubi,alibi,alias, alibi, vsquam,& nusquam. Sub secundo, huc, illuc, istuc,intro,foras,alio,nequo,aliquo,siquo,illo, eo,& eodem. Sub tertio,hac,illac,istac, alia, aliqua,nequa,illa,ea, & eadem. Sub quarto, horsum,illorsum,istorsum, introrsum, extrorsum,dextrorsum,sinistrorsum,aliorsum,aliquorsum,sursum,& deorsum. Quintum sequebantur,hactenus,hucusque,eousque,usquemodo, & vsquenunc. Sextus centurio signum ferebat manu propria,ibatque medius omnium: ita ut duo præcederent ordines, ipse sequeretur, tres clauderent agmen. Multa alia aduerbia ante

Comitantes uerbũ.

cur-

simulque arreptum poculum, in illum furibundus immisisset, ni ex circũstantibus quidam apprehensam eius dextram ab ictu diuertisset. Minime dubium est quin, iritatis vtrinque animis ex verbis ad uerbera, uulneraque deuenien dum fuerit, nisi interuenientes seniores, & saniores viri, vtrumq; Regem furore ebrium in suas ædes reduxissent. Quo cùm postridie ambarum partium studiosi conuenissent, maxima apud omnes de pridiana contentione disputatio habebatur. Lacerabatur præcipue inter Nomina, Regis Verborum maledicentia: maior eorum pars, & iuniores præcipue, mirum in modũ fremere, malo domandam Regis Amo loquacitatem dicere, docendumq; illum amplißimam Nominum maiestatem nunquam contumeliæ fuisse opportunam. Et licet ætate prouectiores, & Terenttus præcipue, qui ibi tunc aderat, suaderent nihil præcipitata sententia fieri debere, & omnia consilio prius, quam armis sapientem experiri oportere: tantus nihilominus fuit omnium Nominum com suo Rege ad arma consensus, vt in eam frequenter sit itum senten tiam, omnibus verbis continuo bellum indici debere. Misso igitur tubicine ad Regem Amo, inimicitias, bellumque manifestum confidentissimis animis denuntiarunt. Nec saniora quidem apud Verborum Regem agitabantur consilia, ad quem conuenientes suæ partis ordines

Terentius in Eunucho.

omnes,

currebant, quædam procedentium acierum tegebant, latera, illa itinera explorabant, hæc curabant, ne ordines interrumperentur, quorum nomina hæc sunt, peregre, pone, super, supra, intra, extra, citra, & vltra cum alijs pluribus. Venere post hęc alia aduerbia qualitatis, quantitatis, & numeri: cum quibus erant Aduerbia iurandi, vt ædepol, eminuero, ecastor, mehercule, mediusfidius, & profecto. Aduerbia uocandi, ut heus, & o. Respondendi, ut hem. Ridendi, ut ha ha he. Negandi, vt minime, & nequaquam, qui quidem nequaquam, licet strenuus in bello esset, & diu exercitatus, omnium nihilominus mendacißimus habebatur, & fallax, nec nisi coactus verum fateri didicerat, hunc & Gręci sycophanton appellant. De hoc Nequaquam truci & mala bestia plura essent dicenda, quæ quoniam liberę non sunt uoces, uolentes omittimus: id potißime persuasum habentes superfluum esse lupum ouibus cauendum nunciare. Omnia hæc Aduerbia triplici muniebuntur armatura, ferebantque pro scuto speciem, pro lorica significationem, pro ense figuram. Multæ aliæ nationes Verborum venere in auxilium Regis sui, uidelicet natio indicatiua, frequentatiua, meditatiua, desideratiua, inuitatiua, diminutiua, & denominatiua, cum copijs non spernendis. Affuere etiam fortißimi satrapæ Anomali, qui late dominabantur in confini-

Super, flauum est nunciare ouibus cauendū esse lupum

finibus Grammaticæ, bellicoſiſſimi quidem, ſed qui nullo poſſent ordine contineri: eorum nomina hæc ſunt, ſum, volo, fero, & edo, quibus conceſſum à Rege fuit ut in quocunque caſtrorum vellent loco ſua figerent tabernacula, modo inter milites nullum tumultum excitarent. Poſt hos aduenit natio Verborum defectiua, diſtincta, & pulcherrime per turmas ordinata, uidelicet memini, noui, cœpi, & odi. Item uale, ſalue, aio, inquit, inquam, faxo, cedo: omnes armati, & ad pugnam animis præſentiſsimis, quæ quidem ſequebantur omnia Verba actiua ueſtita in o, & paſsiua in or, neutra quoque cum deponentibus, communibus, & impersonalibus cuncta diuerſorum idiomatum, & uariarum linguarum, erantque armata generibus, temporibus, modis, ſpeciebus, figuris, perſonis, & numeris. Congregato huiuſmodi exercitu, rex Amo omnes copias deduxit in latiſsimos campos Coniunctionum in loco quodam, qui dicitur Copula, ibique caſtrametatus eſt iuxta flumen diſiunctiuarum, nomine Siue: diuiſit que omnia ſua Verba in quatuor coniugationes, unicuique tribuens in caſtris proprium locum; exceptis quibuſdam familiaribus Verbis, quibus iniunctum fuit, ut ſarcinas ferrent Infinitiuorum, quorum hæc nomina ſunt, incipit, deſinit, debet, uult, poteſt, iubet, audet, nititur, tentat, & dignatur. Vltima omnium uenere in caſtra quædam Ver-

ba maximæ autoritatis, vt pluit, ningit, fulgurat, tonat, fulminat, & aduesperascit, trahentia post se cohortes fortissimorum militum suorum. Sed & Gerundia cum Supinis, relictis nominibus transfugere ad Verba. Audiens uero nominum Rex Poeta quanta contra se præparassent aduersarij sui, ueritus ne subita ui aliqua ingruente opprimeretur si imparatus tantarum uirium impetum expectaret, omnibus imperio suo subditis indixit, vt quamprimum fieri posset, armati, & instructi pro uiribus adessent, in eius auxilium, ut pote propinquiores, primi afsuere Pronominum duces, ego, tu, sui, consanguinei ipsius Regis, & ex eodem Arsacidarum sanguine procreati, cum quibus erant meus, tuus, suus, noster, & uester, nostras, & uestras, ille, ipse, iste, hic, & is. Omnia autem Nomina diuisa erant in plures cuneos, & sub uarijs signis centuriata, aliqua quippe erant primitiua, alia deriuatiua, aliqua relatiua, quædam possessiua, quędam gentilia. Venere insuper tres articuli pugnacissimi, & longo belli usu exercitati, primus erat Hic, hæc, hoc: secundus Hic & hæc: tertius Hic & hæc & hoc qui speciebus, generibus, numeris, figuris, personis, & casibus armabantur. Post hos duces magni Relatiuorum, quis, quæ, quod, uel quid, eisdem se castris iunxere, & erant ij referendarij generales Regis Nominum in omni suo Regno, cum quibus

Comitantes nomē

fuere

fuere omnia relatiua, & substantiua distincta in duas turmas, videlicet, identitatis, et diuersitatis. In prima numerabantur Is, suus, ipse, sui, ille, & idem. In secunda Cæter, alius, reliquus & alter. Princeps Relatiuorum accidentium erat Qualis: cum quo militabant Quantus, quot, quotuplex, quatenus, quotifariam, cuias, & cuigena. Venit etiam Regina Præpositionum Ad, cum qua erant Ab, & in, coniunctæ Nominibus causalibus: ducebantque secum tres phalanges strenuorum militum. In prima erant A, ab, abs, cum, coram, clam, de, e, ex, pro, præ, palàm, sine, absque, tenus, seruientes ablatiuo casui. In secunda fuere Apud, ante, aduersus, cis, citer, citra, circum, circa, contra, erga, extra, inter, intra, infra, iuxta, ob, pone, per, propter, prope, secundum post, trans, vltra, præter, supra, circiter, vsque, secus, penes: omnes seruientes accusatiuo casui. In, sub, super, & subter, seruiebant vtrique casui: ablatiuo scilicet, & accusatiuo. Sub signis tertiæ phalangis militabant Di, dis, re, se, an, & con: eratque eorum proprium officium compositionem facere in vsum militum, namque tunc dies quadragesimæ erant. Atque Nomina omnia in suas acies distributa, pulcherrimo ordine procedebant, uidelicet substantiua, & similiter adiectiua, propria, appellatiua, & partitiua, post quæ comparatiua, superlatiua, possessiua, patronymica,

gentilia,numeralia,& multiplicia. Singula eorum distinguebātur per declinationes quinque, scilicet,primam,secundam,tertiam,quartam, et quintam,quorum arma erant species,genera,numeri,figuræ,& casus. His igitur omnibus in vnum coactis Rex Nominum Poeta,copias & ipse suas deduxit in eamdem planiciem Coniunctionum,posuitque castra ab altera parte prædicti fluminis Siue,ita ut tantos exercitus unicus diuideret alueus fluminis:vnde & fiebat vt inter aquatores non leuia interdum prælia inirentur,numquam tamen totis copijs in aciem descensum est:prohibentibus id utriusque partis Regibus,quoniam necdum ad pugnam necessaria omnia parata intelligebant. Satagebatque vterque eorum Participium in suas partes traducere. Erat uero Participium maximè in tota Grammaticæ prouincia autoritatis, & post Reges,potentia & dignitate plane primus, qui in quācunque partem cum suis viribus inclinasset,haud dubie victoriam secum trahere posse videbatur. Qua propter non tam Verbum,quàm Nomen,vt hunc sibi adiungeret nihil intentatum prætermittebat. Præoccupans autem Nominum Rex Poeta,huiusmodi ad illum literas dedit.Non arbitror te præterire frater mi,quanta insolentia,quo animi tumore contra me,Nominumque dignitatem insurrexerit Verborum Rex Amo,quave temeritate conficiendæ orationis

Maxima autoritas participii.

tionis

tionis primas partes sibi usurpare præsumat, propter quod licet inuiti, arma sumere, et copias cogere coacti, sumus ut illius contusa superbia, autoritatem nostram illibatam conseruare valeamus. Enimuero cùm optime scias, quantum Nominum gentibus debeas, quæve ab illis acceperis beneficia: feceris pietate, & fide tua dignum opus, si communem existimationem, communem rem, communem spem nobiscum protecturus, cum tuis te legionibus nobis adiunxeris. nam euerso Nominum statu, atque imperio, nihil est quod in Grammaticæ solo tutum tibi possis arbitrari. Vale, & quantum potes tuum festina aduentum. Verbum autem Rex has dedit literas Participio: Non me latet amice charissime, solicitari te maxima instantia ab aduersarijs nostris, vt contra nos bellum gesturus secum in campum descendas. Et licet pro tua prudentia nihil temere te gesturum cõfidamus, necessarium tamen duximus admonere, & hortari te, ut mente reputes quæ à nobis habeas commoda, quanta ex uerbis dignitati tuæ fiat adiectio, & licet minutula quædam à Nominibus accepisse uidearis, potiora, ampliora que nihilominus sunt quæ tibi à nobis tribuuntur. Iustius, itaque feceris, si non nos modo, Verborũque imperium, sed teipsum tuasque res defensurus, ad fœlicia hęc nostra perueneris castra, nam nec verisimile est, si succubuerimus, ipsos ho-

stes à rebus tuis temperaturos, quin uictricia (quod Deus auertat) in te conuertant arma, quò soli tandem in omni Grammaticæ solo pro effrænata animi libidine grassari queant. Vale. Ambarum igitur partium lectis literis, aliam Participio mens esse, alia moliri, diuersa animo uoluere ipse. Cogitabat siquidem neutri se parti adhærere posse sine manifesta rerum suarum pernicie: econtrario si se medium gerat, vel amborum seruare gratiam: uel qood magis destinabat animo, utriusque res bellorum cladibus ita affligi posse pensabat, ut illis depressis, rerum ipse in Grammaticæ Regno sine controuersia potiretur. Verum dissimulandas huiusmodi cogitationes censebat, ducendosque utrosque uerbis, quoad certaminum euentum posset inspicere. Rescripsit itaque utrisque in hęc verba: Accepi literas vestras illustriss. Reges, easque non sine ingenti animi dolore perlegi, audiens inter adeo coniunctos principes tanta exorta dissidia, ut contineri minime poßitis, quin propria regna Grammaticæ & tam celebre imperium cruentißimo bello sitis euersuri. Quæ uos occupant intemperiæ? Vnde ea mentium alienatio. Per immortalem Deum, quo progrediamini, paululum cogitate, quantum lætabuntur aduersarij communes nostri, ignorantiæ petulci habitatores, & barbarismorum incompositi populi, intuentes hostium suorum ui-

Respõsio participij.

res mutuis dissidijs lacerari? Adiuro uos per Deos omnes, superos, medios, infimos, regredimini: abstinete funestis et abominabilibus armis, ne damnabili dominandi libidine, pulcherrimã totius orbis prouinciam tumultibus, & cladibus inuoluatis. Atqui si ita in fatis fuerit, si omnino obfirmati estis bello decernere, meum minime arbitror uestrum alicui adhærere, partem quippe iurisdictionis meæ capio à Verbo; partem à Nomine & cum utrique multum debeam, utrumque commeatu, alijsque ad uictum rebus necessarijs, quantum potero adiuuabo. Abstinebo autem armis, tantumque ad id meas cogam copias, ne in hac bellorum licentia fines imperij mei aliquatenus poßint deuastari. Dent uobis Dij, ut saniora cogitetis. Valete. Licet uero hæc rescripserit, alebat nihilominus uersipellis & uafer, quibus poterat modis, Regum discordias, concitabatque occultis literis, utrinsque gentis animos ad pugnam, sperans ex eorum internicione facilem sibi aditum ad totius Grãmaticæ imperium posse parari. Dieque quo milites sui ad se conuenirent indicto, non contemnendas & ipse copias aggregauit. Affuere in primis desinentia in ans, & in ens, in tus, sus, xus, rus, & in dus, cum nominibus verbalibus in tor, & in trix: & similia, quę incolebant loca uicina Verbo, & Nomini, Participio se adiũxere. Sed & Gerundia, Supinaque, ut ciuilia

 bella

bella declinarent, à Verbo iterum ad Participium transfugere. Rebus hoc pacto dispositis, quo se utrique parti Participium gratum exhiberet, destinauit utrisque munera pretij non exigui, & Verbo quidem primum misit infrascripta, Neutra passiua, uidelicet Gaudeo, soleo, audeo, fio, prandeo, cœno, iuro, titubo, placeo, nubo, careo, mœreo, poto, taceo & quiesco. Nominum autem Regi dedit desinentia in tor, & in trix. Misit etiam pro pedamento exercitus Verbo, plaustra centum, præteritorum, præsentium, & futurorum, camelos mille figurarum simplicium, compositarum, et decompositarum. Nomini uero per flumen Siue transmisit decem onerarias naues casuum nominatiuorum, & genitiuorum, et totidem numerorum singularium, & pluralium, multaque alia genera masculina, fœminina, neutra, communia, & omnis. Quibus peractis continebat se cum legionibus suis intra proprios confines, expectans quonam inclinaret fortuna. At bellicosi Reges cum abundè prælio oportuna præparassent, nihil cogitabant, aliud, quàm ut ex præclara aliqua re belli initia ordirentur. Accidit autem, ut ex nobilioribus ciuitatibus totius Grãmaticæ, duæ furto interciperentur à Verborum Rege, uidelicet, a, & u, nam in eam diem urbes omnes utrique Regi suum stipendium exoluebant, nullam uni magis, quàm alteri de cætero seruitutè exhibentes.

Munera, quæ participia misit uerbo.

tes. Quod audiens rex Poeta, iisdem artibus tres alias occupauit, scilicet e, i, o. Reliquæ ciuitates cautius inuigilantes, sua seruata libertate utrisque se communes exhibuere: quarum nomina hæc sunt, b, c, d, f, g, l, m, n, p, q, r, s, t, x, ex quibus omnes Grammaticæ neruos constare certissimum erat. De diphtongis binæ cuilibet Regum datæ sunt, ut tubicinum officium exercerent, edoctæ quippe erant ęre ciere viros, Martemque accēdere cantu. Ae, & œ, Nomini Regum cessere, an uero, & eu, Verba accepere. Sequebantur insuper utraque castra mulierculæ quædam mimæ, uariis affectibus militum mentes efficientes, earum quædam flebant, & lamentabantur Grammaticæ communem stragem, quam imminere prospiciebant, ut oh, ah, he, & heu, & hei, aliæ indignabantur, et carpebant Regum discordias, ut Vah, ueh, & atat: pleræque admirabantur inter tam coniunctas personas ea orta esse dissidia, ut papæ, uahu, & uha, sed & quædam ob mentis leuitatem gaudebant, hortabanturque milites in prælium, ut eia, & euax. Cæterum omnibus ad pugnam instructis uisum est Verborum Regi, quo ciuiles clades, quantum in se esset, declinare uideretur, honestaretque aliqualiter factum suum, huiusmodi Regi Nominum epistolam scribere. Intelligere potuisti ò Poeta, quàm paratus, quàm robustus tecum certaturus in campum descenderim, nec ignarus es,

eas tibi minime adesse uires, ut legionum mearum impetum possis expectare, tuis prudenter consules rebus, si mihi cedens, tuis te continueris terminis, quod si insanire pergas, statque sententia ferro decernendi controuersiam, die tertia omnibus copijs tecum congressurus in campum descendam. Has literas cum Nominum Regi dedissent tubicines au, & eu, ex consiliariorum suorum sententia, ita & ipse respondit, Semper tibi uerborum est plus satis, ò Amo: nec nouum est quòd uerbositate tua audientium aures obtundas. Iactas tu pugnaces exercitus, & tuos terribiles apparatus, quasi nos pumiliones, locustasve nobiscum habeamus. Possessio tibi parua fuit semper in oratione, & nunc eo te impulit tua insania ut effugere nequeas, quin male parta, peius gesta, pessima retenta, hac tua Regni portione iustis armis eijciare. Et ut scias quanti nō tam ipse, quàm milites mei, minaclas tuas faciamus, tubicines nostri, æ, & œ, nomine nostro, nudatos tibi lumbos porrigent. Si vt velim ualeas, extremum ualeas. Huiusmodi literis iritatis utrinque animis, futuri prælij diem ardentissime cuncti expectabant. Creuerat interea ex temporum occasione (ut fit) facinorosum licentia, exierantque latrunculorum non spernandę manus, quæ omnem Grammaticæ prouinciam, & præsertim loca saltibus, montibusque præpedita, quæ transeuntibue, angu-

angustum iter præbere consueuere, obsidentes, uiatores, aut alias in utraque castra commeatum ferentes prædabantur. Quapropter crescente in dies apud utrunque exercitum annonæ inopia, intellecta eius rei causa de vtriusque Regis consensu missi sunt duces quidam peritissimi cum militum oportuna manu, ut uel captos latrones interficerent, vel fugatos ab omni Grammatica, procul expellerent. Qui ad ea peruenientes loca, circundato militibus quodam saltu, in quo plerosq; ex illis latere compererant, omnes ad vnum intercepere. Inter quos fuit quidam nomine Catholicon, qui grandem asinum uocabulis Græcis Latinisque confuse permistis onustum in Italia agebat, & cæteros quidem cum laqueo necassent, hunc solum vinctum cum suo asino in castra duxere. Qui tormentis coactus (quod alioquin manifestissimum erat) confessus est se omnia uocabula in Grammaticæ terris furto surripuisse. Cum uero eum quis Græce interrogasset, ingenueq; respondisset se Græce nihil scire, Latine aut parũ. Quid ergo, inquiunt iudices, Græca tecum defers uocabula, quæ non intelligis? Ad quæ, ille respondit. Tanta apud nostrum plerosque, inquit, literarum est imperitia, ut etiam si barbare loquar, facile illis persuadeam me Atticæ eloquentiæ angulos omneis penetrasse. Risere uehementius adstantes cuncti, hoc audito. Et me hercule, inquiunt, quan

Liber Catholicon tormẽtis examinatus.

do tam faciles auditores habes, quæ tua sunt, aut quorum alias domini non comparebunt, te cum ad illos ferens, ibis incolumis: quæ uero certum dominum habere dignoscentur, ea ut restituas, dignum iudicamus. Facta igitur diligenti inquisitione, omnia fermè Græca Isidoro, cuius fuerant, restituere, cætera Latinis & ipsis marcidis, mucidisq; permixta, ut asportaret permittentes, illum demisere cum suo asino iam leuius incedente, iubentes nihilominus, ne unquã, nisi inter imperitos, & indoctos auditores suos, Grammaticum se profiteri auderet. Priscianus vir præstantissimus, & in omni grammatica apprimè honoratus, cum ægre ferens, ciuilibus bellis Grammaticam deuastari, seditiones sedaturus in castra festinus pergeret, a latronibus Catholicon socijs captus, spoliatus, ac fustibus pulsatus, tale in capite vulnus accepit, ut nullo unquam medicorum studio curari potuerit. Ex his non multo post captus fuit quidam, qui se falso historiographum publice profitebatur, congesserat que innumeras in uolumen quoddam ineptias, atq; eum librum Supplementum chronicorum appellauerat; quem quæstionibus omnia furta fateri coactum, in ignorantiæ terras perpetuo relegarunt. Dum hæc agerentur, egressi ex Verborum castris quidam ex genere Anomalorum, uidelicet sum, volo, & fero, cum cohortibus tribus intercepere unum ex centurionibus

Priscianus vulneratus.

Supplemẽtũ Chronicorũ in ingnorantiæ terras relegatũ.

rionibus

rionibus nominum, dictum Cæter, qui erat de genere Relatiuorum, latebatque cum manipularibus suis in quadam spelunca posita in biuio Coniunctionum Quod & Cum, ipsumque cum omnibus suis singularibus trucidauerũt, plurales uero in tali discrimine constituti, cum se magistri Pasquili statuæ, quæ Romę in Parione est, sub ędibus Cardinalis Neapolitani uouissent, eius meritis (præter omnium opinionem) incolumes euasere. Quod cum Poetæ Regi nuntiatum fuisset, iratus est uehementer, tulitq́; ægerrime, quòd talem centurionem amisisset: erat quippe is Cæter fortitudine insignis, audacia celebris, & militaris rei peritia nulli secundus. Obseruabat igitur omni studio, si quo pacto acceptum damnum, bene cumulatum hostibus posset retribuere. Verum Fortuna, quæ cum omnibus in rebus plurimum potest, tum in bello planè dominatur, optimam læsis uindictæ præbuit occasionem, nam eisdem diebus ab leuis armaturæ militibus Nominum, captiui in castra adducti sunt complures ex Verborum legionarijs, non leuis inter suos autoritatis: inter quos ex Imperatiuorum genere fuere, dice, face, & duce; quibus ignominiæ causa, posteriores uestium partes præcidi iußit, ita ut nudas nates conspicuas gererent, & dimitti: uocatique imposterum sunt fac, dic, & duc. Fuo & Specio, similiter captos necari iußit. Quorum bona à

Fortuna in bello multũ dominatur. Initiũ pugnæ.

Ver-

Verborum Regē accepere eorum per rectam lineam legitimi descendentes; inter quos Futurus & Fui, cum alijs a Fuo oriundis, & à Specio, Conspicio, & Despicio, ceterisque à Specio descendentibus. Detecta est interim in castris Verborum grandis proditio: coniurauerant enim quidam monstrosi milites de genere Præteritorum perfectorum, quibus bina erant capita, moliebanturque insidias Verborum Regi, qui quidem capti, conuictique, damnati sunt perduellionis, siue crimine læsæ maiestatis. Nomina eorum hæc fuere: Momordi, cecidi, cucurri, pepedi, spopondi, cecini, peperi, tutudi, pepuli, & fefelli: Quibus iussu regis, in præsenti tempore unum caput abscißum fuit, & sic ubi prius in præsenti dicebant. Momordeo, cecædo, cucurro, postmodum dixere Mordeo, curro, cædo, cum cęteris. Adueniente demum pugnæ die, uterque Rex in eminentiore castrorum loco pallium rubrum poni iußit: quo milites admoniti futuri prælij, curarent corpora, præpararentque arma, ac reliqua in id operis necessaria. Postridie summo mane pransis militibus, ex omni parte copiæ summo silentio in campum deductæ sunt, explicatisque ordinibus, suos quisque, ut uiriliter agerent, efficaci oratione excitabat, minime vero opus erat accensos per se satis, uerbis accendere, quin ipsi ultro crispantes tela furibundi, ineundi prælij signum expectabant. Postquam a idictum est,

tubæ

tubæ utrinque canunt, contra consonat terra, clamorem utrinque efferunt, imperator vtrinq; hinc & illinc Ioui uota suscipere, hortari exercitũ pro se quisq; id quod quisq; pōt & ualet, edit, ferro ferit, tela frangunt, boat cælum fremitu virũm, & spiritu atque anhelitu nebula constat, cadunt vulnerum vi, & uirium vtrinque multi. Videre erat inter cæteros Defectiua uerba pugnantia cum Nominibus heteroclitis: & hæc quidem suis nominatiuis casibus, & generibus, genitiuis, numerisque pluralibus acriter feriebant aduersarios: illi uero resistebāt audacter, repercutiebantque nomina heteroclita indicatiuis, præteritis perfectis, & plusquam perfectis, confringebantque eorum numeros, & genera coniugationibus suis; ex quibus quidem Verbis unum, cui nomen Aio, singulari utens audacia duorum nominum heteroclitorum impetum diu sustinuit; uerum cum resistere non potuisset, spoliatum fuit multis personis modis, tēporibus, & numeris, remansereque illi ex omnibus suis hi tantum, Aio, ais, ait, aiunt, aiebā, aiebas, aiebat, aiebāt, cetera, hostiũ gladijs cecidere. Pugnantibus hoc pacto utrinque legionibus, atque adeo simul permixis, ut uix hostes à socijs possent discernere, tantus fuit omnium in præliũ ardor, tanta animorum intentio, ut cum eadem hora terribilis terræ motus in ea prouincia uicinas urbes prostrauerit, amnes cursu rapidissi-

mo auerterit, mare fluminibus inuexerit, montes lapsu ingenti proruerint, nullus tamen eorũ id senserit. Eant nunc qui fabulas censent hoc idem accidisse eo prælio, quo Romanos apud Thrasimenum Pœni maxima, ac memorabili illa affecerũt clade: nec fidem facit Cortona ciuitas, quæ teste Luciano in libro de veris narrationibus, cum prius in Thrasimeni litore sita esset, eadem hora, ventorum turbine, in eum collem, in quo nunc est, translata dignoscitur, hoc nouissimo exemplo maximum sibi certæ ueritatis testimonium accessisse Liuius gloriari poterit. Obscurabatur sol multitudine sagittarum, numerorum singularium & pluralium, obtũdebantur aures omnium clamoribus figurarum compositarum, & decompositarum, vulnerabantur innumeri iaculis specierum primitiuæ, & deriuatiuæ. Sed & tubicines vtriusque partis clangore rauco, & terribili taratantara concinentes, militũ animos in pugnam mirum in modum incendebant. Mulierculæque mimæ, Interiectiones scilicet pugnantium ordines circum euntes, cuncta suis affectibus perturbabant, ex quibus quidem frequentius audiebantur gementes illæ Heu & Hei, & Oh, ah, eh. Atrox magis, quàm longum fuit prælium illud: & nisi coorta illa subito tempestate, ingens superueniens aquarum vis pugnam diremisset, actum sanè fuisset de vniuersis Grammaticæ uiribus: tanta namque erat

Cortona ciuitas ui uetorum in aliũ locum transportata est.

Ingens tẽpestas diriũxit bellantes.

om

omnium in mutuam perniciē.rabies,ut ingruente imbre,ac signo receptui dato,vix tamen,atq; ęgre in castra reduci potuerint. Incertitudo,et ambiguitas fuit maxima,penes quos eius pugnæ uictoria staret, ingens utrinque clades, ingens cædes,ingens non tam militum, quam ordinem apud utrosque ducētium iactura, nec facile fuerit amborum detrimenta sermone complecti. Contendam tamen,ut posterorum consulam vtilitati,si non omnium,multorum saltem,diminutiones,augmentumue quantum potero, liquide demonstrare. Ex parte in primis uerborum, defectiuum uerbum Infit, amisit omnes ab eo descendentes,omnia sua genera, tempora, modos, personas,& numeros, qui fuerat coniugationis quartæ,figuræ compositæ, singularisque numeri,ipse Dei munere,quoniam in periculo positus nullius se vnquam religionis probatę,improbatęuè habitum sumpturum uouerat,saluus euasit. Sed & tāto ex eo casu terrore perculsus fuit, ut postmodum in Grammaticæ regno prodire in publicum raro sit visus. Forem spoliatus fuit reb. suis omnib. præter,fores,foret,& fore, quæ sunt de modis optatiuis coniugationis tertiæ. Vale,aue,salue, de genere imperatiuorum grandem comilitonum suorum stragem accepere,paucis conseruatis; qui & nunc comparent, alios amisere. Faxo,ex eadem gente actiuorum omnibus suis manipularibus circa se trucidatis,

Immutatio Regni uerbi

cum

cũ trib. tantũ, uidelicet faxis faxit, & faxint, fuga elapsus euasit. Inquio, de genere neutrorũ, conseruauit inquis, inquit, inquiunt, inquam, inquies, inquiet, inquient, & inque, reliquos bellum absumpsit. Inquiens cum in castris Participiorum esset, periculo non interfuit. Apage & apagete, cunctis commilitonibus amissis, soli euasere. Desco uniuersos socios amisit præter diescit. Facio orbatus fuit filio suo Facior, qui tamen prius, quàm expiraret, militari testamento hæredem sibi instituit Fio. Posco, disco, metuo, timeo, renuo, respuo, compesco, urgeo, & linquo omnes de genere Actiuorum, perdidere sua supina. Occasum, beneficio noctis saluus euasit. Nonnulla uerba quæ amiserant præterita sua tertiæ coniugationis, in supplementum accepere postmodum præterita quartæ coniugationis: in quorum numero fuere, cupio, peto, quæro, arcesco, facesso & fero. Quædam amissis futuris in am, ne futurorum omnino abijcerent spẽ, emerũt in nundinis Recanatensibus alia futura in bo, ut eo, queo & ueneo. Sed & Horatius autoritate sua, lenio dedit lenibo. Omnia uerba pertinentia ad splendorem spoliata sunt supinis. Inter quæ luceo, fulgeo, splendeo, palleo, & similia. Fulcio singulari usus audacia excussit periculum & retinuit suum Fultum. Enimuero postea quàm ea enumerauimus, quibus aduersi aliquid euenit, minime æquum fuerit suis carere laudibus

bus illa verba, quæ re strenue acta, vel ex hostibus spolijs, vel sui Regis munere ad priorem statum aliquid addidere. Inter cætera autem eminent cœnatus, iuratus, casus, mœstus, nuptus, & pransus, quibus ultra propria præterita vocis actiuæ, accessere etiam preterita vocis passiuæ. Redimo, duobus auctus est sensibus, possedit ea hora tria significata, videlicet liberare, conducere, & ornare. Solor obtinuit duo significata, videlicet solus esse, & hortari. Explicat, vltra proprium sensum, qui est explicare, atque emittere, obtinuit, vt explanaret, ostenderet, extraheret, exhiberet, & proferret. Vale, vltra proprium sensum qui est sanus esse: obtinuit etiam, ut cùm diceret uale, salutaret. Præsto similiter, duos habuit sensus, scilicet mutuari, & excellere. Haurio maiori ditatus est præda, quatuor videlicet significatis, trahere, vulnerare, audire, & uidere. Quæ tamen omnia, cum opus fuerit, in vnum sensum rediguntur. Pasco geminos recipit intellectus, rodere & alere. Vaco licet minime se prælio immiscuerit: nam (vt apud Plautum ait Sosia) cùm pugnabant maxime, fugiebat maxime: fortuna tamen, quæ & desides plerunque coronat, illius ignauiam pinguioribus exuuijs voluit decorare, fugientes enim ex pugna hostium quosdam conspicatus, tabernaculo exiliens intercepit, quibus postea grandi se pecunia redimentibus,

sex sibi vltra priorem, sensus acquisiuit, scilicet, intendere, cessare, seruire superfluum eße, licere, carere, & vacuum esse. Studeo tria lucratus est significata, videlicet sollicitare, operā dare, & conari. Pango tres sensus accepit: videlicet cano, & tunc in præterito facit panxi, paciscor, & tunc facit pepigi, & coniungo siue figo, & tunc facit pegi. Sapio ex ea die binos tenet sensus, uidelicet saporem reddere, & scire. Fero ex anomalis, quatuor auctus est sensibus, sustinere, cupere, dicere & portare. Cofiteor triplicem accepit intellectum, laudare, purgare, & manifestare. Supero dati sunt sex, ob illius eximiam inter verba omnia potentiam, uidelicet, restare, uincere, imminere, transire, euadere, superuiuere & supergredi. Fuere quædam uerba quæ amissis proprijs præteritis acceperunt postea à Rege suo præterita quorundam paßiuorum, quæ in bello ciderant, ut audeo, fido, gaudes, soleo, & fio. Verba illa pestifera, perniciosa, mendacia, aliud semper in lingua, aliud in corde clausum, habentia, licet nullum lucrum eo fecerint bello, tamen prętereunda, non sunt, nec eorum reticenda arbitror nomina, ut ab illis caueant cuncti, quoniam paßionem continue afferunt sub specie actionis, quorum hæc nomina, exulo, ueneo nubo, & vapulo: ultimi huius insidias adolescentiorum quisque, quo fuerit cautior, eo enixius declinabit, si suis recte consultum uolet natibus.

Ver-

Verborum aliqua ex parte exposita fortuna, Nominum Rex orationẽ ad se trahere uidetur, in quorum castris diligenti omnium sensu habito, cognitum est inter ea non minus, quàm inter uerba uariasse fortunam. Et ut a positiuis incipiamus, fuere ex illis nonnulla, quæ in comparatiuis suis sauciata, medicorum diligentia aliquale fomentum accepere; uidelicet melior, maior, minor, dexterior, sinisterior, plus, munificentior, & magnificentior: omnia irregulariter, & a secunda declinatione descendentia. Sed & pius, arduus, egregius, tenuis, & similia, perdidere propria comparatiua. Nomina desinentia in er, in superlatiuo amiserunt, imus, & pro eo postea acceperunt, rimus, ut tener, & saluber. Quibusdam pro simus, quo spoliati fuerunt, concessum est, limus, ut humilis, facilis, gracilis, agilis, & similia, ueteri datum est ueterrimus. Fuere inter arborum nomina quædam, quæ dũ in prælio viriliter agerent, derepente miraculo sè mutarunt sexum, & ex fœmininis facta sunt masculina, mirantibus omnibus, qui aderant, interrogantibus que, unde illis accidisset illa tam mira metamorphosis, ex quibus sunt, rubus, & oleaster: quę Liuius, ut monstrosa, & mali ominis in altum uehi, & mergi, aut grammaticæ solo omnino exturbari suadebat. Verum Rex Poeta nimiam illius in procurandis prodigijs superstitionem irridens, prohibuit: inquiens non esse

mali ominis, fœminas in uiros mutari, quando ex malo ſexu in optimum fiat iſta conuerſio. Quibuſdam heteroclitis nominibus, dum cum defectiuis in rbis pugnaràt, abſciſis ſunt omnes teſticuli, cum penè in plurali numero (Quem caſum Deus a nobis auertat) deincepsque in eo numero; neque fœminina fuere; neque maſculina, ſed neutra, quod certe miſeratione dignum fuit: nomina eorum hæc ſunt, ſibilus, Auernus, infernus, ſuperus, balteus, & didymus. Alia fœliciorem ſucceſſum acquiſiere: nam cum in eodem plurali numero eſſent neutra, cum maximo ipſorummet gaudio continuo maſculini generis apparuere, ut porrum, raſtrum, frænum, & cælum. Enimuero porrum, & frænum, dum Romę per emporium Agonis tranſirent, reperta ibi ſua neutra pluralia, grandi pecunia redemere, illisque uti maluere, maſculino genere repudiato. Balſamum ex omnibus arborum nominibus ſolum remanſit neutri generis, unde eſt, quod cum nec generare, nec parere queat, tanta illius eſt raritas, ut unico in Iudæo ſolo reperiatur. Id quod ipſa arbor ægre ferens in lachrymis omnē ſuum fructum mœſta repoſuit. Alia nomina neutro plurali ſpoliata, fœmininum accepere: ſicut epulum, oſtreum, ueſper, & cepe. Oſtreo (quod ex omnibus animalibus ſolum reperitur neutri generis) Ouidius reddidit, & alij Poetæ, & præſertim Plinius, etiam plurale neutrum,

cum

cum dixit in libro Fastorum, Ostreaque in conchis tuta fuere suis, & sic deinceps fœmininum etiam & neutrum tenuere. Alijs, quæ erant generis incerti, in plurali datum est masculinũ, videlicet margo, cardo, bubo, & similia. Quædam omnibus casibus in plurali spoliata, deinceps mutilata, & manca ramansere, inter quæ fumus, limus, fimus, puluis, sanguis, mundus, pontus, sol, sal, & vnus; quæ omnia sunt masculini generis. Soles tamen apparuere aliquando: sed cum id accidit, contra naturam fuit, & pro prodigio habitum est. Similiter & fæminina nonnulla pluralibus casibus truncata sunt, vnde uersus, Lux, ac sitis, labes, mors, vita, fames, quoq; tabes, Gloria, fama, salus, pax, humus, cum lue tellus, & cum illis senectа, iuuenta, soboles, indoles, & proles. Quædam alia fæminina amisere in eo bello omnem numerum singularem scilicet argutiæ, habenæ, bigæ, blanditiæ, cunæ, deliciæ, exequiæ, exuuiæ, excubiæ, phaleræ, facetiæ, genæ, Gades, insidiæ, induciæ, calendæ, lachrymæ, latebræ, minæ, & complura alia. Nonnulla neutra toto plurali numero exuta sunt, ut cœnum, fænum, æuum, solum, rus & uirus. Insuper alia neutra totius singularis sui numeri iacturã sunt passa, scilicet arma, castra, exta, cunabula, conchilia, crepundia, pascua, mœnia, magalia, mapalia, ilia, feria, præconia, præcordia, sponsalia, & ferè omnia nomina festorum, ut Saturnalia,

Dionysia, Aphrodisia, Bacchanalia, Floralia, Neptunalia. Nomina ea uana, quæ semper plura dicunt, & tamen vnum solum significant, amisso omni singulari, fuga elapsa sunt, sicut, Venetiæ, Pisæ, Cumæ, Athenæ, & Thebæ. Nomina metallorum omnium pluralem numerum amisere, ut aurum, aurichalcum, argentum; plumbum, ferrum, & stamnum. Aes uix, æra retinuit: sed & oleum, & frumentum similem cladem accepere. Alia extremis suis membris, genitiuis scilicet & datiuis pluralibus mutilata remansere, uidelicet iura, thura, æra, maria, & fora. Sed nec omnia nomina in eo bello iacturam fecere, fuere si quidem complura, quę spolijs hostium ditata, maiorem exinde autoritatem obtinuere, ex quibus quædam ultra primum nominatium alium etiam adepta sunt, ut arbor, quæ & arbos, honor, qui & honos, labor, qui & labos, odor, qui & odos, cucumer, qui & cucumis, ciner, qui & cinis, & puluer, qui & puluis, quæ tamen ambobus nominatiuis non induũtur quotidie, sed quod conspicuum, & ornatius est: ut ex pręda habuere, ad dies reseruant celebriores, & festiuos, Plaga ultra primum significatũ quod proprium est, dum vulnus, percussionemue significat, quatuor alios sensus accepit, uidelicet ut pro reti accipiatur, pro spatio cœli, uel terræ pro linteo illo grandi, quo Romanæ ẽt nunc matronę utuntur, dum in publicum prodeunt, pro-

lecto

lecto, & parte etiam ipsius lecti. Ops ab ea die tres sensus habet, ops namque terram significat: sub ope auxilium præbet, sub opibus diuitias. Gerundia, & Supina quoniam toties transfugerant, mulctata sunt post confectum pacem ab utroque rege, orante contra ea Demosthene, legesque Solonis proferente, quibus statutum fuerat omnibus. patriæ honoribus priuandos esse eos, qui seditione in ciuitate exorta, neutri parti adhæsissent, quoniam priuatis fortunis plus iusto prospicientes, publicas patriæ res despexisse uidebantur, & uiuebatur, tunc quidem, ut plurimum in Grammaticæ terris Atticis legibus, a Gerundijs casus omnes præter, tres, adempti sunt. Supina vero duos tantum retinuere, ægre id ferentibus uniuersis grammaticæ incolis: carpentibusque maledictis non tam legum Solonis indiscreta præcepta, quàm Demosthenis impiam loquacitatem, dicentibusque illum fascias: & lanam domi reliquisse, nec gutturis morbum simulasse, quoniam à Gerundijs, supinisve non fuerat, unde aurum, sicut ab Harpalo quondam, posset accipere. Cæterum si singulorum clades, aut res benè eo prælio gestas, adepta decora, sigillatim percurrere nitar, nimis longos afferam logos. Ideo dicendi compendium facienti illud asseruisse sufficiat, quicquid in omnibus Grammaticæ terminis auctum, diminutumve reperitur, ex illo cruento,

execrabili,& funesto bello processisse. Multa sunt in ea temporum licentia,& introducta uerba noua,& explosa uetera: Et nisi præstantissimi tres uiri,quos paulo infra harum litium arbitros electos fuisse narrabimus,singulari solertia Grammaticorum quorumdam petulentiæ obuiassent,tanta fuisset Latinæ linguæ immixta barbaries,ut de illius decore,elegantiaque fere desperatum foret. Posteaquam igitur utriusque partis legiones in castra reductæ sunt,desideratorum, sauciorumque censu habito, intellecta utrinque accepta clade,omnes passim ingemuere. Questique acriter sunt,quod nimia dominandi libidine,rebus proprijs tantam cladem intulissent:& penitentia ducti,quisque eorum, quæ pacis sunt enixius cogitabat. Primum uero Rex Nominum Poeta,aduocata concione, non sine lachrymis, ita locutus perhibetur. Scire vos arbitror commilitones mei quàm inuitus,ac restitans pro decore,proque amplitudine (ut tunc arbitrabar) & Nominum tuenda autoritate,contra fratres nostros Verborum gentem arma susceperim: quantisque satagerim modis,ut illis nobis cedentibus,ciuilia bella longius submouerentur.Verum cum non tam nostra,quàm Verborum etiam metior damna, cum utriusque partis strages intueor,flere libet magis,quàm loqui. Operæpretium fuerat reminisci,quanta de Græcorum,Romanorũque ciui

libus

libus odijs, bellisque scripserint ciues nostri, quantisque eorum ambitionē lacerauerint probris. Perfecto ea si in mentem venissent, nusquam in tantam insaniam à nobis processum fuisset, nec ita & furore obcæcati, quid ageretur non intelligentes, nostramet viscera proprijs manibus discerpsissemus: sed præterita (ut ille inquit) magis reprehendi possunt, quàm corrigi, & melius est regredi, quàm male cœpta sequi. Si ferro decernere perrexerimus, si in finem usque insanire uoluerimus, actum sane est de Grammaticæ imperio, tantaque ignorantiæ & barbarismorum genti fiet accessio, ut nemine obstante, nemine eorum temeritati obuiam eunte, ubique ipsi pro animi libidine dominari ualeant. Quocirca commilitones, vt vtriusque regni utilitati consulatur, ultro à Verborum Rege pacem petendam censeo, ultro dextras porrigendas. Neque hoc dixerim, quod labar animo quod timore cōcutiar; sed quoniam luce clarius cerno res Nominum, Verborumque non sine mutua, stabili, & inconcussa animorum concordia posse consistere. Fungor ego officio meo ea adducens, quæ communem salutem concernere minime dubito, audacter nihilominus, quod uolueritis executurus. Vos itaque quod facitis, Deos omnes fortunare velim. Placuit mirum in modum uniuersæ concioni non utilis minus, quàm opportuna sui Regis oratio, omnesque

que militum ordines, ingenti sublato clamore; ut quod Rex tam sapienter suaserat; sine mora exequeretur, enixius petiere. Missi itaque in uerborum castra legati ex Nominibus prudentiores, absque aliqua difficultate constitutis primum inducijs, in hanc postremo cum Verborũ Rege, eiusque proceribus deuenere sententiam: ut. s. tres eligerentur uiri omnium Grammaticæ usuum, regularum, & terminorum periti, quorum decisioni, arbitrioque utraque pars persancté iurata stare deberet. Enim uero grandis fuit difficultas, & maxima inter partes contentio, quibusnam id munus potissimum huiusmodi demandaretur, multis eam prouinciam ambienbus, alijs alios nominantibus, & nominatos alijs improbantibus, demum Prisciano, Seruio, Donatoque approbantibus, in infrascriptos cuncti unanimiter censuere, Phædrum. s. Volaterranum, canonicum Basilicæ apostolorum principis, singularis eloquentiæ uirum, & extra omnem ingenij aleam positum, Petrum item Marsum D. Laurẽtij in Damaso canonicũ eruditissimum, ac Raphaelem Lippum Florentinum, oratorem insignem. Qui cum in castra uocati ad uenissent partis utriusque iuribus auditis, re inter ipsos accuratius considerata, hanc postremo sententiam protulere. Quod Grammaticæ Regibus, satrapis, ciuibus, studiosisq; uniuersis faustum, felixque sit; Nos triumuiri tollenda-

rum

rum litium causa constituti, omnes contentiones, maledicta, iniurias, damnaque, quæ in hanc diem inter Grammaticæ Reges eorumque milites interuenere, reuocamus, tollimus, & obliteramus, & si obliuioni tradi nequeant, et saltem silentio tegenda decernimus, statuimusq; ut de cætero in conficienda solemni oratione vterque Grammaticæ Rex cum suis sequacibus conueniat, uerbum scilicet & Nomen, Participium, Aduerbium, Præpositio, Interiectio, & Coniunctio. In quotidiana vero & familiari oratione soli Nomen & Verbum onus sustinebunt, arcescentes in patrocinium suum quos ex suis uolent, cæteris parcentes, ne toties citati, nimis grauentur. In oratione igitur uolumus Nomen Verbo supponi, & cum apponitur, à Verbo Nomen regi debere decernimus, quantum ad casum: quantum uero ad personas & numeros, uerbum supposito cedere, quod sit uel Nomen, uel pronomen, uel participiuu. Item uolumus quod Participium reuereatur Nomen & Verbũ, habeatque regimẽ à parte post sui uerbi, à parte ante imitetnr & Nomen. Si uero necessitas urgeat, concedimus soli uerbo, ut in prima, & secunda persona, & in quibusdam uerbis exceptæ actionis, in tertia persona sensum faciat orationis, semper nihilominus sub intelligendo Nominis autoritatem, sed non exprimendo. Hæc itaque sententia partibus la-

ta est, atque promulgata, receptaque ab omnibus Grammaticæ incolis, miro omnium ordinum consensu, quam etiam omnia Italiæ gymnasia approbauere, & præcipuè Bononiensis docta ciuitas, & sublimium ingeniorum parens fœcũda: quæ cum alias multos, tum maxime ætate hac Alexandrum illum Zambeccarium, uirum integerrimum, quem nec spes, nec timor unquã mouit a recto, Romanæ dedit curiæ. Studium uero Parisiense cætera recipiens, hoc suis prouincialibus speciale reseruauit, pronunciandi, scilicet tam Verba, quàm Nomina libere, & sine aliqua syllabarum quantitatis discretione. Et quoniam uetus erat quæstio inter relatiuum, & antecedens, inter adiectiuum, & substantiuum, inter dictionem regentem, & rectam, determinantem & determinatam, necnon inter orationem perfectam, & imperfectam (eorum enim unusquisque de præeminentia certabat) ut huius quoque dissensionis materiã tollerent, decreuere, quod Relatiuum substantiæ, identitatis, cum suo antecedente concordaret in genere, numero, & in persona. Item quòd Relatiuum substantiuo deseruiret in genere, numero & casu; & quod dictio recta, naturam regentis sequeretur. Relatiuum uero accidentis solum antecedens referret, quantum ad tale accidens suę proprietatis, in quo modo referibilis, & referentis tantùm concordaret regula diuersitatis

cum

cum antecedente, quodque oratio imperfecta dependeret à perfecta, & dictio specifica à specificata, & inter adiectiua, duo substantiua, duo uerba modi infinitiui, duas orationes perfectas, & duas imperfectas, nulla esset obligatio seruitutis. Hortabatur præterea Petrus Marsus, ut inter facta, dictaque pacem & concordiam ponerent. Verum dissuadente Phædro, diceteque hac sublata discordia, nullum tonsoribus, popinarijsque linqui negotium, rem intentatam dimisere. Ignorantiæ studiosos omnes, ac barbarismorum ridiculam gentem inuiolabili decreto omnibus Grammaticæ finibus submouere, et barbarismos quidem ad se profectos Cisalpinę gentes ciuitatibus suis donauere. Ignorantiæ uero deditos quorundam principum fauore protectos, non Italia modo, sed Vrbs etiam ipsa bonarum literarum parens, uel inuita tueri perseuerat, inter quos nonnullos rudes adeo, & imperitos reperies, ut si eos interroges: Amo quę pars est? dicturi sint: Parle ce queie entēs, usqueadeo mulas ipsas, quibus tam sublimes uehūtur, inscitia, & obesitate animi supergrediuntur. Prędictis insuper arbitris omnium consensu irreuocabilis potestas, & perpetua censura data est, grammaticulos omnes Grammaticæ corruptores, semilatinosque, & semigræculos, tāquam naturæ monstra, inquirendi, puniendi, relegandi, omneque id faciendi, quod bonarum litera-

rum cultum, augmentumque concernere animaduerterint. Quæ quidem sententia Pontificalibus, imperialibusque amplissimis priuilegijs corroborata dignoscitur.

GASPARIS AVIATI CREmonensis carmen ad Lectorem.

Lector candide quid legis Thysten?
Sæuas Colchidas? auribus placebunt
Quæ doctus cecinit magis Salernus
Andreas, dubios mouet tumultus
VERBI, & NOMINIS, hinc & hinc furentum.
Hunc lector lege, fabulæ facessant:
Hic prompti Ciceronis & facultas:
Hic sunt ridiculi sales, iocique:
Quid stas? hunc rigidi legunt Catones.

HIERONYMI FONDVLI CREmonensis hexastichon ad Lectorem.

Nominis & Verbi lector stipe sumito bellum.
Quo pax nulla quidem dulcior esse potest.
Bella recognosces, quorum sine partibus, hoc est
Eloquio, omnis homo cederet usque feris.
Hic iocus Andreæ defluxit ab ore Salerni,
Fluxerunt lepidi cum grauitate sales.

Eiusdem

EIUSDEM TETRASTICHON.

Ranaram & murum tam belle haud è ponit Homerus
Bella, gigantæas non ita Naso manus.
Andreas quanta cum maiestate Salernus
Ingenij, bellum grammaticale canit.

FINIS.

VENETIIS.
Apud Franciſcum Zilettum.
M. D. LXXXI.



